Poligrafia

B 9/4.

8
33

6
29 L
64

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-37-e-33

21-h-39

3.7.39

21
8
40*

Digitized by Google

8-9-4-53

Digitized by Google

ANALECTA

PROSÆ ORATIONIS, ET CARMINUM

SIVE

EPISTOLARUM,

EPIGRAMMATUM,

INSCRIPTIONUM,

CENTURIÆ

Auctore IOSEPHO SILOS Bituntino

CLERICO REGULARI.



PANORMI, Ex Tipogr. Petri de Inſula 1688:

Imp. Martinez Rub. V.G. & G. Imp. Abbas D. Octauius de Auguſtino
Pro Spect. de Dainotto F. P.

[illegible]

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI

BIBLIOTECA ... ROMA

ANALECTA inſcripſimus nugas haſce, Lector; quia nugæ; nam veluti quæ de menſa cadunt reliquiæ, nullius omninò pretij ſunt. Igitur, inquies, adeò putas ieiuna ſeculi huiusce noſtri ingenia, vt ad vilia iſthæc ſe ſe tua analecta demiſerint? Certè, qui nimiùm eſurit, ac ſitit, non id illi curæ, vt pretioſiùs cœnet, aut è Chio cado vinũ hauriat: ſedãda vtcumque, quæ acriter admordet, fames, ac ſitis eſt: obuia ipſa ſine delectu alimẽta abundè ſunt, atque auidè ingeruntur: & accidit, vt quibus olim delicatior ſaliua, & guſtus; inter lectiſſimas videlicet epulas enutritis, ijs, ſi fames deindè vellicet, nõ ineptæ modò dapes; ſed viliſſima quæque ſapiant, atque ipſam interdũ Deorum ambroſiam guſtu, pretioq́ue ſuo exęquet Ceres nautica. Noſtro autem hoc ſeculo nihil ſplendidius, ac lautius. Nemo non cum Apolline, aut in Apolline cum Lucullo diſcumbit: quidam nunc literarum luxus eſt: Muſæ, multò nunc elegantiores, adijciũt

operi manus, menſasque pro[illegible]ant cum apparatu, & pompa; addictæque licet fontibus miſcēt Falernum nectar. Saliares, triumphales vbique epulæ ab ingenijs: atque adeò in tanto rerum ſplendore, & copia quid intẽpeſtiuius, quàm micas, atq; analecta ijs obtrudere, qui niſi quęſita ab alio velut orbe, ac digna Apicijs edulia minùs probant? Noui hæc ipſe: idque etiam probè ſcio, non eum eſſe me, qui ceu ſolenne aliquod epulum alias dederim, colligam nūc reliquias, quæ in eiuſmodi conuiuijs pretioſæ & ipſæ ſunt. Non is, inquam, ego,

Cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.

E paupere cenſu, ac penu pauca olim edidi, ſi numeres; ſi metiare, parua; ſi pēdas, leuia; ſi libes; haud probi planè guſtus: quæ igitur inde analecta, digna luce? Attamen, qui imperare mihi facilè poteram, vt à typis abſtinerem; quippe quem nunquam afflauit vulgi aura, ac plauſus; impetrare ab amicis minimè potui, vt has ſtudiorum reliquias relinquerē blattis: eòque faciendum ſatis illorum beneuolentiæ, ac iudicijs fuit, quibus viſum, vt euulgarem. Illa ſaltem, aiebant, in Epiſtolis, in Inſcriptionibus, in Epigrammatis argumentorum varietas, fieri vix poteſt, quin legentes oblectet. Præter hanc rerum varietatem, multiplex ipſa ſcriptionis ſpecies grata profectò accidet. Non idem omnibus in hac præſertim re literaria genius. Nonnullos capit mirificè illigata numeris oratio; plauduntque præcipuè Epigrammatis, quibus ſuæ ſunt in clauſulis argutiæ, ac morſus. Sunt, quos epiſtolaris delectet ſcriptio; quòd familiaris, nec iniucūda, aut incōpta

ca

ea ſit inter amicos c[illegible]ulatio. Plerique nimium, quantum Inſc[illegible]onibus, ac elogijs, recenti nimi-rum, ac peracuto ſcribendi genere; excitentur. *Aſſuis* tu, inquiunt, Mineruali tuo peplo tria hæc, occurreſque opportunè diuerſo ingeniorum palato, ac indoli. Nihil deindè in ijs prolixum, vt defatigari legendò quis poſſit. Si quid aliquando in epiſtolis longiuſculum, agnoſcet lector, perbreue hoc ipſum eſſe, quod fuſam ex ſe materiam in arctum contrahit: neq; ea deindè longa cenſenda sũt:

Quibus nihil eſt, quod demere poſſis.

Itaque & ſi intelligam, fore, vt nullum ab hac editione exiſtat operæ pretium; ac futuros etiam, qui adunco hæc ſuſpendant naſo, & carpant; nolui tamen ſubruſtici, præfractique videri ingenij, nim ũ aliorum adhortamentis obnitendo. Parui: & quicquid ſubceſiuæ interdum peperere mihi horæ, in medium profero. In epiſtolis, vt vides, non is eſt familiaris, ac purus ſermo, vt Tullium exprimam: nõ perindè elegãter moratus, vt Senecã: non adeò cultus, ac breuis, vt Lipſiũ. Deſcribo, narro, diſputo, moneo: hic fusè, hic raptim: hic libat ſtylus; hic

Toto ſe proluit auro.

Adhibendi mihi dicendi charactêres alij, atque alij fuere: æuique genius eò me aliquãdo impulit, quò ſanè minimè cõtẽdiſſet epiſtola, ſi ſuis parere legibus voluiſſet. In Inſcriptionibus ludunt, at non ſemper, argutiæ: pro loci, ac rei dignitate litandũ interdũ grauitati fuit; ijque inſperſi ſales, qui proximè ad illam accederent. Enimuerò in templis, in ſacellis, atque in re qualibet ſeria, perinde ac in fontibus, ac villis iſtiuſmodi vti lenocinijs, ac

pun-

punctiunculis, neſcio, an[illegible]i cum dignitate, ac laude poſſit. Vbi verò exponen[illegible] res eſt legentibus; hiſce aculeis nunquam profectò rem acu tanges. Cæterùm, cùm locus poſcit, nil ſanè pulchrius, quàm efflorescere peregrina hac ſententiarum, ac luminum amœnitate ſermonem; feriuntque flores hi animos, ac aures quàm iucundiſſimè. Iam, qui pridem in noſtra Caniculari Muſa tres edidi Epigrammatum Centurias; cum tres item alias enatas ſucceſſiuè, ac veluti ſub manu viderim, debere hic nolui, Id verò curaui, ne ſuos typi de more errores auctori appingerent. Planè in Muſa Caniculari, quę Romę excuſa, dum Neapoli agerem, habui, vnde non minimùm erubeſcerem. Qui erratá recognoſceret, non planè 'ἄμουσος, ſed carminis, ac metri omninò rudis, irrepere facilè permiſit pro ſyllabis, ſyllabas; claudicaruntque versus, luxatis miſerè pedibus; cùm interim integrum mihi non eſſet, corruptos,

Et malè tornatos incudi reddere verſus.

Accuratior nunc ſpongia typographorum errores delet. Tu, Lector, quæcumque hæc ſint, excipe perhumaniter; &, ſi minus ad guſtum, memineris analecta ea eſſe. Vale.

AVC-

AVCTORIS PHALEVCIVM

DVm neſcit manus otiari, & ipſa
Horæ fruſtula colligit, minuta
Et ramenta volubilis diei,
Ducitque, aut facili ſtylum Camena
Argutum, aut pede lucubrat ſoluto;
Spirante Aonidum leui Sororum
Aura, & flauicomo fauente Phœbo,
Currente hunc calamo parit libellum.
Et præbet manibus teri diſertis.
Eſt mole exiguus, rudiſque cultu.
Non ornat Phrygius labor, nec oſtrum
Chartis Sidonium nitet; politus
Fulget nec rutilo vmbilicus auro.
Quæ fert Litera ſenſa amiciorum,
Fucum miſſilis odit indecorum,
Quæſita & nimio colore verba:
Illi ſat ſuus ore purpuraſcens
Sanguis: ſat proprijs bonis nitere
Lætis non eadem modeſta Muſis.
Floret ſimplicitas: manuque parca
Oderunt minio rubere vultus.
Ver quicquid tepidum parit roſarum;
Quicquid gemmiferis alit retortus
Ganges fluctibus, aut Erythra fundo,
Muſarum niueo ſinu renidet,
Et vultu meritò, comiſque fuluis.
Nimirum Soboles Iouis ſuperba
Poſcit regifico nitere cultu.
At non hæc mihi nobilis ſupellex,
Diues non mihi fluctuat corusco
Hermus gurgite; lucidos ſmaragdos
Nec mittunt Garamantes, aut Idaspes.
Hinc carmen rude: nilque doctioris
Eſt limæ tenui meæ poeſi.

Digitized by Google

Non auro cithara ardet aut eburni
Pectuntur pretioſa fila plectri.
  Lector candide, & Atticos lepores,
Et quiſcquid Venerum deeſt, legendo
Supplebis; facilique fronte cultum
Addes; margaridaſque, fulgidoſque
Addes chryſolytos: eritque comptus,
Hæc ſi trita leges, ineptus Auctor.

D. IOSEPH MARIA MARAVIGLIA CONGREGAT.
Cleric. Regular. Præpoſitus Generalis.

CVm Analecta Proſæ orationis, & Carminum, hoc eſt, Epiſtolarum, Inſcriptionum, Epigrammatum, Centurias, opus P.D. Ioſephi Silos noſtræ Cõgregationis Theologi aliquot eiuſdem Congregationis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandentur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cuius rei gratia has literas manu noſtra firmatas, noſtroque ſigillo munitas dedimus. Venetijs die Iunij 1666.

D. Ioſeph Maria Marauiglia
Præpoſ. Gen. Cler. Reg.

D. Ioſeph Maria Arrigonius Secr.

PErlegimus iuſſu admodum Reu. P. Generalis noſtri Ordinis Analecta hæc P.D. Ioſephi Silos: & quòd nihil in iis offendimus, quod offendere pias aures, aut mores poſſit; ac fore etiam putamus, vt ſint legentibus voluptati, ac fructui, digna nobis videntur, quæ lucem aſpiciant. Panormi die Auguſti menſis vigeſima MDCLXVI.

D. Franciſcus Maria Maggius C.R.
D. Hieronymus Maggius C.R.

EPI-

EPISTOLARVM CENTVRIA

TORQVATO MONTAPERTO S. D.

EPISTOLA I.

NE frequenter literis te meis interpellem,
literariæ occupationes tuæ faciunt, in
quas non ipſe peccauerim, qui ſcio illas
longè fructuoſiſſimas, ac fore, vt nomen
tibi aſſerant perquàm ſplēdidum. Nunc
imperare mihi, & calamo minùs potui;
vt, qui musas cum paucis colis, inclyti
poetæ funeri illachrymes. Ioannes Bap-
tiſta Marinus, ſi ingenium ſpectes, phœnix; ſi cantum, cyc-
nus, aut Siren: nam apis Atticæ longè inferior nomencla-
tio: Ille poetarum apex, ac nobilis Muſarum cura, deſijt vi-
uere; ſi tamen mori potuit, qui tantùm æui commeruit no-
mini; continuatque vſuram lucis ſplendore famæ. Neapo-
lim, quæ illi patria, diu exul, redierat poſtliminiò: & qui
iuuentam, florentemque ętatem exilio, ac longa peregrina-
tione decoxerat, ita nonnihil incanuerat, vt diceres, non
deeſſe Parnaſſi vertici ſuas niues. Appetebat ſcilicet ſenium:
verùm, quia vegetus adhuc vigor corporis, atque integrum
robur; abeſſe longiùs fatum, videri poterat; ac diuturnio-
res fore ſuas delicias, Parthenope ſibi perſuaſerat: cùm ten-
tari morbo cœpit: neque mora obluctante licet vi medicę

artis Apollinis filio, Princeps Apollinarium obijt. Qui luctus Otioſorum Academiam, cuius ipſe tùm faſces adminiſtrabat, merſerit, haud facile dictu eſt. Viſa à peracerbo doloris ſenſu conſternata ingenia: ipſamet Teſseraria Academię Aquila, perculsa vehementer Principis ſui fato, abrupit commercium lucis, atque à conſpectu ſui Solis oculos ad lachrymarum officium traduxit. Iacturam nulla profectò exæquauerit eloquentia, nulla vnquam reparauerint secula. Monſtra hæc rara admodum; nempè diutiùs iis fingendis naturę deſudat induſtria. Inter honeſta literarum ſtudia contigit illi nobiliſſima, ac iucundiſſima artium, poeſis penè à cunis; vt pro lacte hauſerit Hippocrenis vndam. Spartanæ matres clypeo infantes ſuos excipiebant, cùm parerent, vt iã tum bello aſsueſcerent, nec antiquior ijs eſset luce armorum vitę lux. Marinum puto naſcentem excepiſse, aut Apollinis lyram, aut Muſarum vlnas: inſtillatique ſtatim numeri, ac ſparsa tenero in pectore ea affatim ſemina, quę in aureã, grandemque mox ſegetem effloruere. Et quidem visus ad poeticem vir factus: nam quę vena vberior? quis generoſior ignis, ac furor mentis? quę vis ingenij promptior? qui limatior versus? quę concinnior elegantia? quę numeroſior ſtyli amœnitas? quid ſalibus, quid argutijs acrius, ac feſtiuius? Quid illa deindè, quę incredibili admirationi erat, volucris in pangendo carmine facultas? ſtudium occupabat celeritas: fundere, non conari versus: non conſcendere cunctando Parnaſſi rupes; sed vorare abruptum iter: neque emendicare diutiùs, aut eblandiri à Muſis verba videbatur; ſed perinde familiaris, prompta, facilis, extemporanea illi vena, ac ſi ad manus haberet inſtrumentum omne poeſeos; eſsetque ipſemet ſibi Parnaſsus, Helicon, Musa, Phœbus. Hinc appellere, quò vellet, versatile ad omnem carminis formam, ac genus ingenium. Summa, media, infima, sacra, profana ęquè aggredi: ſciuerat aptare cothurnum magnis: ſciuerat eſse in paruis magnus: vt nihil exciderit vnquam è Marini calamo vulgare, ac tenue; nihil citra florem, & cuſpidem: nihil non aureum. Quic-

quid venuſtatis in Musarum areolis floruit, viſus decerpſiſse Marinus. Vna olim in Iouis capite Pallas: centum in Marini ingenio dicendi Veneres. Si Pindarum, ſi Flaccum, ſi Maronem miſceas, vnum inde conficies Marinum, cultu parem, granditate non imparem, maiorem copia. Quid? laureatam Lyram suam pulsat? quid ſuauius? inflat fistulam? quid dulcius? Adonem canit? quid pulchrius? ſucciſos Innocentum flores lamentatur? quid amœnius? In Pinacotheca quæ non argutè ſpirat effigies? Quantum in Epithalamijs, quantum in Idylijs deliciarum? an multiplex in eius ore, non Pitho ſed Musa? an militarunt illi Gratiæ, & coniuratæ venere ad carmina? Hunc igitur tam fertilis, viuidique ingenij; tam expolitæ, magnæque mentis; tam facilis venæ; tam floridæ, præſtantisque facundiæ; tam inclyti nominis Poetam amiſimus. Publico nunc funere parentandũ, quod iam Otiosorum Muſæ non ſegnes Principi ſuo adornant. Non deerunt tanto cineri honeſtando literæ, ac pro floribus carmina. Par eſt, vt eruditam imponant tumulo lauream, quam nullæ vnquam fati, aut æui vices abſtulerint. Tu interim, qui musa proximus, mi Torquate, quando & lauros etiam feriunt mortis fulmina, incolumitati tuæ conſule, quam ego tibi, amicique prolixiùs precamur. Vale. Neapoli.

Antonio Samblaſio S. D.

EPISTOLA II.

COmmodatum pridem à te amico illi tuo librum, extorquere, vti iuſseras, modis omnibus ſtudui: ſed fruſtra: comperendinationes, & bona verba. Rarus ille codex, ac non ita obuium argumentum: vt non ſanè mirum, ſi is cunctando, non reſtituat rem. Librorum præterea id fatum, vt vbi ſemel extra lares ſuos extulerint pedes, aut raró, aut nunquam redeant: eòque veluti honeſtę virgines, continendi

intra ſepta; vt ne coniunctiſſimis quidem credantur: nam expoſuiſse, amiſiſse eſt. Libros tantum? parum hoc eſset, niſi cum libris amicos etiam, quid nempe pretioſius, perderes. Quid? quòd ſi caſu aliquando redeant, vix agnoſcas? conſcribellatis videlicet, diſcerptis, plicatis, fœdè iunctis: planè vt in mores peccet, quiſquis adeò indiligenter rem curat: tu, ſi conqueri velis, audies illiberabilis. Conſule igitur bibliothecæ tuæ, mi Antoni. Cum libros à te petunt, puta, non tam libros, quàm liberos à complexu ſinuque tuo auelli. Si prona erit, ac facilis manus, breui exhaurient pluteos frequentes amicorum preces. Duo ſunt, inquit ille, quæ clam omnibus haberi oporteret: Coniux, & vinum. Hoc ſi euulges, ac laudes, ac non Falernis, non Maſſicis inuidere te, iactes; ecce tibi non vna ſtatim ad fores amicorũ amphora: negabis? quid inurbanius? igitur dabis, atque interim, exſiccato doliolo, momento Cretenſe illud merum, aut Surrentinum nectar amici combibent. Coniugem verò ſi laudas, ita adſtantium auribus lenocinaris, vt deſcendant in intimum pectus verba, ac flammam ſimul accendant, ſimul conflabellent. Collatinum huc aduoco, cui ornatiſſimam Coniugem commendaſſe, tanti ſtetit. Nam Lucretiæ ereptus pudor; Collatino Lucretia. Igitur optimum factu, celare vina, & coniugem. His ego libros addiderim, quos ſi penes te eſse ſciuerint, nil propiùs eſt, quàm efflagitari; & quà infimis precibus, quà petentis auctoritate extorqueri, & perdi: vt ſerò agnoſcas, id genus eruditæ mercis certam ſubire aleam, ſi proſtet. Sed de libro hoc tuo ſatis. De florum bulbis vtinam polliceri tibi certi aliquid poſsem. Romæ iſtiuſmodi factitij, vt ita dicam, veris culturæ plerique ſtudent. Sed nimiùm, quàm anxiè floreas haſce opes cuſtodiant. Putabam, auri duntaxat famem ineſse mortalibus: video, ſnam etiam ijs eſse florum auaritiam; vt faciliùs aliquid ab auaro exculpas auri, quàm ab ijs florem. Quiſque affixus perditè ſuo bulbo: quiſque Narciſsum ſuum deperit. Attamen non deſpondi animum. Eſt, qui ſpem bonam iniecit. Tu interim flores tuos mitte; nam ab ingenio tuo nihil non

flori-

floridum; quicquid ſcribis, aut cudis, flos eſt: dum commentaris, dum lucubras, tu tibi, & aliis ver facis. Vale. Romæ ſext. id. Nouemb. MDCXXIII.

Franciſco Mariæ Gallo S. D.

EPISTOLA III.

CAput, quo laboras, mi Galle, non minimum quidem leuamenti accepiſſe, exſiccato etiam nonnihil reumate, quod moleſtiſſima quadam gutta pectus exagitabat, accidit mihi periucundum; eo maximè nomine, quod Muſeum tuũ, à quo ſeueriore medicorum decreto iam diù exulabas, repetere ſubindè poſſis, ac raptim licet verſari cum tot priſci, noſtrique æui ſapientibus viris, quorum adeò conſuetudine, atque ingenijs oblectaris. Quoad verò, confirmata valetudine, faceſſat omninò pertinax morbus, vt in cætera viuendi ratione, ita in tractandis libris, vtaris menſura, & modo, neceſſe eſt. Ne te legendi guſtus, aut æſtus abripiat: neque enim ſumendus affatim, atque immodicè cibus, quòd nimis ſapiat. Heluo rarò longæuus: ac parum intereſt, cibos, an libros vores. Porrò incrementa, hæc valetudinis tuæ tabacco accepta refers: bene eſt: ſed caue, ne te in nouum hunc morbum induas, vt tabaccum perditè ames: quod video à multis, neſcio, an cum ſalutis compendio, ac decore, fieri. Remedium hoc quidem, ac purgando capiti præſentiſſimum, ſi tempore, ſi loco, ſi rarò, ac parca vtaris manu: ſecus, quidam eſt à prauo vſu morbus, qui ita pleroſque omnes corripuit, vt dici iam popularis quædam lues poſſit. Cum cætera tranſmarina merce adnauigauit huc noſtrorum æuo Patrum, ignotum auis, hoc humanorum corporum præſidium. Scio ego, inter claſſiarios, nautaſque, ac viliſſima quæque capita contineri ſolitum: rarus, aut nullus ad ingenuos, vrbanoſque viros aditus; ac fumo præſertim res agebatur, vt facilè quis agnoſceret, quid polliceri ſolidæ ſalutis

fumus

Digitized by Google

fumus poſset. Poſtea, ſeu commendatione vulgi, penes quē rerum nonnunquam pretia; ſeu quòd aliquid reuerà commodi exiſtit aliquando ab iſtiusmodi fumariolis; ſeu fato quodam perindè creuit tabacco exiſtimatio, vt, reclamantibus licet melioris notæ medicis, ab ea, quam diximus, gentis colluuie viam ſibi ad honeſtos hominum cœtus munierit, ac breui communi quadam ſuffragatione donari Ciuitate meruerit. Aſpectum proinde, ac habitum, vt qui nobilitari iam cœperat, commutauit: abſterſoque magnam partem fumo, euaſit in puluerem. Vides remedij præſtantiam, momentum, pondus? aut fumus, aut puluis eſt. Neque id ſatis: ambitioſior profectò, ac ſuperbior puluis hic: immiſceri roſis: tùm ambaro, musco, alijſque etiam imbui adoramētis voluit, ne mundiſſimi quique viri, ac venuſtuli Parides, atque ipſa etiam nobilium fœminarum elegantia ab eo abhorreret; eſsetque, ceu communes generis humani deliciæ, in omnium amoribus. Quid plura? ad votum res cecidit, ſucceſſitque egregiè faſcinum. Exarſere gentium ſtudia: nullum non hominum gradum odorata iſthæc afflauit lues: ordo, populus, ſummi, infimi, grandæui, iuuenes, profanus, ſacer, togatus, miles, Infulati ipſi, matronæque principes pretioſo eo puluere volutantur. Panacèam quandam putant: hoc ipſis malorum omnium alexipharmacum: hoc humanæ ſoſpitatis munimentum: hic Hippocrates, & quicquid vſpiā medicorum eſt. Atque hinc etiam pertinax quidam ijs vſus, ac nulla temporis, ac loci ratio. Nullæ, nuſquam feriantur nares: vbique eo ſordidari puluere, hoc pulchrum. Fora, lycèa, templa, Principum aulæ tabacco inodorantur: idem expergiſci eſt, ac nares eo imbui: ſcilicet, cum cæteris vitæ adiumentis ſua ſint tempora; tabaccum horas omnes, omnia ſibi momenta, ac puncta temporis contra ius, faſque arrogat. Quid vrbaniſſimum illud inter amicos certamen, ac mutuum inuitamentum? ſuum quiſque commendat puluerem: proferunt, inuitant, dant, accipiunt; itque in orbem omnigenum tabaccum non ſine feſtina de principatu pugna: planè vt nulla vnquam ſit familiaris confabulatio, quam mutua hæc tabac-

Digitized by Google

bacchi libamenta non interpellent; ſucceditque ſermonibus concentu quodam ſternutatio, tuſſis, excreatio; quo nihil grauibus, honeſtisque viris moleſtius. Sed neque diſſimulanda pompa, luxus,& qui adhęſit huic puluei ad inuidiam ſplendor. Enimuerò vt populare hoc amuletum vnà ſecum ferrent, eſsetque ſemper ad manus; elaboratę exiguę pyxides, vrnulæque, materia ſplendidę, opere nobiles, ingenio quàm curioſiſſimę. Vides interrasum abire in ſitulam ebur; in cucurbitulam erudiri argentum; aurum ementiri doliola: quid belluatum electrum, Iaſpis, gemmęque alię? adeò vt faſtu quodam triumphare hodieque in nobiliſſimarum etiam fœminarum manibus tabaccum videatur; ſintque inter præcipua earum ornamenta peregrinę hæ pyxides. Adde ſerica, atque opere Peluſiaco picturata emũgendis naribus ſudariola: nempè ne quid ad inclyti huiusce alexiterij pompam deſit: à quo ego nihilominus ſemper abſtinui. Non me communis hic plauſus, ac vſus, non celebritas, ac ſplendor illexere vnquam, vt illi aſsueſcerem: pro tabacco mihi victus ratio. Qui menſis, qui cyathis plus nimio indulgent, ſuasque ad multam noctem producunt commeſsationes; hi nimirum ad ſacram hanc anchoram confugiunt, popinaſque ſuas ſic vomunt: ac putant, cum à frequenti poculo ſtomachus, & caput langueat, tabacco egeri Bacchum, qui morbum facit. Tu verò, quòd iſthæc tuæ ſalutis rudimenta illi debes, vtere quàm parciſſimè: certiùs, puto, valebis, ſi ea adhibeas artis ſubſidia, quæ ritè præſcribunt medici. Interim conſuetudine amiciſſimi hoſpitis fruere, quam ſcio iucundiſſimam æquè, ac fructuoſiſſimam. Vir eſt, & priſcæ eruditionis, & elegantiſſimi moris. Saluta à me illum. Vale. XIII. Kalen. Apr. MDCXXIII.

Fili-

Filiberto Feltrio S. P. D.

EPISTOLA IV.

QVi ſolitus ſum, cùm ad te ſcribo, alacri, currentique quodam ſtylo meas dictare literas, ſuſpenſo nunc quadam per interualla calamo; ceu manus torpeat, reſtito, ac fruſtra interim expecto, vt ſuggerat verba expedita olim, confuſa modò mens. Tantæ conſternationis cauſa non te, puto, latet. Nam, quæ eſt famæ in ærumnis præſertim, atque infortunijs celeritas, aduolaſſe huc Alexandri Cardinalis Montalti funeris nuntium, nullus dubito. Sixti Quinti Nepos, ac regia planè Princeps indole, vſque adeò ſtudia, affectuſque omnium occupauerat, vt ſenſus deindè de tanti occaſu Syderis peracerbus, non inter domeſticos, atque in priuata domo paſſus ſit contineri. Exarſit, veluti in communi clade in omnium animis. Summi, infimi ad ſe quiſque nullis eluendam lachrymis, iacturã pertinere exiſtimarunt; optaſſentque ad ſempiternium triſtitiæ documentum, quæ Romæ eſt aquarum perennitas, à fontibus traduci ad oculos. Tybris ipſe plus ſolito ab ingenti mœrore turbidus, hoc lætus videri potuit, quòd in tam acri deſiderio exſiccari vena vberrimi fletus nequeat. Quæ gentium omnium patria eſt, Roma, viſa in tot nationum comploratione conſenſu, ac luctu Orbis Montalto, hoc eſt, ſuis amoribus, ac delicijs parentaſſe. Indictum proindè publicum ferè iuſtitium: veluti vnius ruina Montis ſeptẽ ipſos Colles oppreſſerit, amiſeritque florem ſuum purpura; decus Principes; ciues, exteri perfugium; tutelam inopes; ſuum magnificentia domicilium; ornamentum Roma, ac Orbis. Nobis verò, noſtroque Ordini quàm grande contigit, quàm triſte doloris argumentum! Quid illo in nos propenſius, ac magnificentius? Teſtatur in Romæ medio Templum, cui nihil humile, præter nomen: vt non à Valle, ſed à Monte alto appellari iure debeat; ea eſt amplitudo, atque admota penè ſyde-

ſyderibus ſublimitas molis. In hac illa excitanda viſus æquare Cæſarum curas, ac aurum: idque in primis ſtuduit, vt ſingulari cum magnificentia certaret in Theatinum nomen beneuolentia: planè vt ampliſſimi Principis ſimul animi magnitudinem, ſimul præclarum in nos ſtudium Tiburtina ea ſaxa repræſentent. Hinc iuſtiſſimus Ordini mœror, hinc lachrymæ; quas quidem non tàm ereptum Theatinæ rei columen, & commodum; quàm ipsa in primis excitat, adaugetque virtutum nobiliſſimarum recordatio. Nullus profectò magnam eam Animam pro dignitate dilaudauerit. Inerat ingenuæ mentis ad miraculum candor; citra omnem aulicorum fucum affabilitas; incredibilis dictorum, ac promiſsorum fides; in omni genere officiorum intimi pectoris cum vultu, cum lingua conſensus; popularis præſertim comitas, & conciliatrix animorum in omnes humanitas. Quid conſilium, ac prudentiæ index verborum parſimonia, ac pondus? quid prolixa illa beneficentia, ac pronior ſubleuandis mortalibus manus? Atque hæ quidē præſtantiſſimæ animi partes cùm vulnus vehementiùs aſperent acerbitate memoriæ, id effecere, vt aliquod incomparabili triſtitiæ ſolatium curaremus. Iuſta igitur exequiarum honeſtiſſima pro modo deſtinauimus; lugebitque atratis de more parietibus Principis ſui fata templum hoc noſtrum, quod ſupremis ipse tabulis honeſtatum meliore ſui parte voluit. Enimuerò, legatis Exquilinæ Baſilicæ, vt propè magnos cognati Pontificis cineres quieſcerent, extincti corporis exuuijs; quod erat in exuuijs ipſis pretioſiſſimum, cor nempè, noſtratibus ad amoris ſpecimen miſit. Scilicet, abeſse corpore à Theatinis Montaltus poterat, non corde: ac par erat, vt quod extruxerat munifica manu templum, foueret corde. Oratio funebris Placido Filingerio, viro, vti noſti, diſertiſſimo inter noſtrates demandata. Peroranti non deerit ab inclyto Principe dictionis maieſtas, à magna purpura elocutionis ſplendor, & color. Ego, & ſi ingenium æquè & calamus à triſtitia mihi elanguit, quod ſtatim monui; officij duxi, tanti te funeris monere, vt tuas etiam excitarem lachry-

chrymas, nunquam, herclè, aut vberiùs, aut lubentiùs, aut iuſtiùs perſoluendas. Vale. Romæ 3. Kal. Feb. MDCXXIII.

Placido à Montibus S. D.

EPISTOLA V.

AGnoſco à tuis literis, *mi Placide*, egregiè te in religioſam diſciplinam animatum, ac ſpem inijcis fore, vt noſtrum aliquãdo capeſsas Inſtitutum. Addubitas nihilominùs, fluctuas, de tua conſtantia nonnihil times: nunc diffidere viribus, nunc erigi videris. Quid hic ego; vbi tot iam viri ad præſtantiſſimum hoc vitæ genus prælux ere facem, incenduntque exemplo? Video ex omni cenſu, ex omni gradu dediſse Religioni nomen: hos tenera in herba, ac æui flore: illos, quo maximè tempore ardet ætas, ac indoles: pleroſque medio in ipſo vitę curſu: non paucos deuexo iam ſenio, cum exegiſse iam penſum ſuum, exhauſto penè vigore omni, videri poſsent. Ad hæc, non modò infimi, ac medij, priuatæque ſortis, ſed ſummi etiam, atque ab illuſtri domo prænobiles, ac præcipui ſanguinis: tum Senatorij ordinis viri, regnorum curis innutriti; regij item iuuenes, quos exceperat ſinu magnificentia, purpuræ fouerant, aluerat copia, ad maieſtatem erudierant Auorum imagines; aula, auro, faſtu, mundicijs abdicatis, cœnobijs ſe ſe manciparunt: vbi in ipſo veluti rerum diuinarum meridie inumbrata luce generis; infra natalium dignitatem, at ſupra quicquid eſt decidui, ac fluxi; citra Regum inſignia ſui Reges; foris à cultu inopes, intus ab aureis moribus Attali; demiſso ad modeſtiã vultu, erecto ad diuina animo; clauſi cellula, per aſtra expatiantes; illigati votis, ſed libero ad gloriam gradu; exuuijs corporis inuoluti, non impliciti; enecti fame, Deo ſaturi; ſiccis faucibus, nectare delibuti; pluuijs oculis, ſerena fronte; voluptatibus, mundoque immortui, immortalitatis candidati, vitam tranſmiſere longè tranquilliſſimã, ac præcoce

qua-

Digitized by Google

quadam felicitate penè beatiſſimam. Non hæc omnigena nobiliſſimorum capitum documenta, ac ſtimuli propellunt? Adhuc neſcio quæ te larua à præclaro hoc conſilio abſterret? Scio, indolem tibi viuidam, lætam, alacrem, longo vſu liberam; atque adeò vehementer dubitas, ne triſtem, ac tacitam Religioſorum hominum vitam, genio, ac moribus non adeò attemperatam, aliquando cum probro dimittas; quam ſi minimè complectare, nullus profectò vitio verterit. Magna aggredi, cœptis deinde non inſiſtere: inuolare in ſtadium, atque in curſu ipſo concepto ſemel ardore deſtitui: admota ad aratrum manu, retrò ſubindè reſpicere: hic pudor, hic probrum. Facis enimuerò, mi Placide, quod prudentiſſimi quique viri facerent. Metiri nempe vires, robur, animum, ac ſua expendere omnia oportet, quiſquis in aliquod ingredi difficile opus parat. Malè cuncta miniſtrat impetus, inquit ille. Suſpecta mihi ſemper conſilia, quæ non conſilium, ratio, tempus diù agitauerit, ſuamque ad maturitatem perduxerit. Sapienter proinde cunctaris. At ſciueris, in re tam ardua adeſse adiumenta, ac tempeſtiuè præſidia, quæ cliuum, cautesque complanent. Putas, qui id præclaræ mentis inijcit Deus, fore, vt deſtituat deinde conatus tuos? Modò tu te minimè deseras, adeſt prouidentiſſimus ille Parens. Quicquid eſt mollioris ingenij mirè durat: pectora ita afflat, vt quandam vorandis incommodis generoſitatem, ardoremque inurat, ac imprimat: ſtudium virtutis æmulandæ neſcio qua ſtatim flamma excitat: quicquid aſperum videbatur, guſtu quodam diuinorum iam ſapit: vires ſi nutant, confirmat; ſi langueant, reficit; ſi cadant, erigit: hinc lentis, hinc nimiùm lætis occurrit: illis ſtimulos addit, his frænos. Igitur ſi te ipſum in conſilium vocas, tuique duntaxat corporis, animique opes ſpectas; iure dubitas: ſi præſentem diuini Numinis tutelam, ac fidem; ejuſque in aſcetas ſuos proniorem beneuolentiam; nihil profectò eſt, cur tibi, tuæque conſtantiæ, atque exiſtimationi metuas. Adde, quod inſita naturæ alacritas, atque inoliti iam vſu mores non ſtatim, ac impetu conuellendi: ſenſim, ac ſua mora agenda res eſt. Nihil reli-

religioſa diſciplina prudentius, ac ſuauius: extirpantur lentè, ac facili manu vitia; frangitur genius citra vim, iniuriamque naturæ: aſsueſcimus paulatim duris; graſsamur ad virtutis ardua, ſed per gradus: præliaris, vincis: planè vt vix aduertas, in te ipſum expedire arma, ac te petere in palæſtra virtutis; triumphaſque de tuis moribus, antequam probè ſcias, an bellaueris? Non igitur regularis Inſtituti rigor pertimeſcendus, qui ita ſe ſe ipſe tacito quodam vſu naturæ accommodat, vt placeat poſtea Chriſti, atque obedientiæ iugum; placeat vmbra, receſsus, ſilentium, frugalitas, chori pſalmodia, prolixior de genu commentatio; Et quicquid eſt ad ſenſuum frænum, ac mulctam in religioſis Ordinibus cruciamenti. Quid? quòd nec ſua deſunt eiuſmodi ſtrictiori diſciplinæ laxamenta. Arcum, citharæque fides aſſiduò, aut nimiùm ſi tendas, rumpis: ſtatis temporibus ſuæ ſunt noſtris eruditæ, honeſtæque confabulationes: lautior interdum, ſed intra parſimoniam, menſa: egreſsus nonnunquam captando aeri: adimus identidem, oculis, animiſque exhilarandis, villas: bis in menſe domi ludimus, aut latrunculis, qui eſt grauiſſimorum hominum ludus; aut exercendo corpori, trudiculis: ita curæ, ſtudia, occupationeſque ſpiritus temperantur, ſucceduntque hilaria aſperis; vt ſuum ſit laboranti naturæ ſpiramentum, atque ipſa vegetetur virtus. At ſuperuacaneum profectò fuit, iſthæc tibi epiſtolā noſtram obtrudiſse. Id ætatis es, ea vi iudicij, eoque inſtructus ingenio, vt quæ ſint Religionis bona, & abundè noueris, & facilè tibi perſuaſeris. Acre tui transfugij deſiderium, vt ſcriberem, prouocauit: & quando propendere te in hanc partem viderim, non te manu impellere, piaculum duxi. Sed præclara hæc ſemina irriganda precibus ſunt: non equidem deero, ac prædiuino cæſariatam iam ſegetem. Germanum fratrem ſaluere à me iube. Vale. Romæ IV. Kalen. Iunias MDCXXIV.

Petro

Digitized by Google

Petro Aloyſio Saxo S. D.

EPISTOLA VI.

TAntum te periculi in Meliteſi nauigatione, ſemel à mari, iterum à Barbaris exhauſiſſe, mi Saxe, aliorum ſciuerim literis, non tuis? An triſtis illa imago rerum ita adhuc animo, atque oculis obuerſatur, vt torpeat ab horrore manus, ac ſtylus? An id ſilentij affectus in me tuus iuſſit, ne ſcilicet vehementiùs me afficeret, quæ te propiùs afflauit, calamitas? an denique ideo viſum abſtinere calamo, ne eadem ſubire diſcrimina videreris, illa ſi mihi accuratè deſcriberes? At, quando res bene cecidit, & gratulari tibi præſentiſſimum patrocinium Numinis, & communicare mecū debueras hanc à feliciore exitu lætitiam, quæ eò profectò maior, quò grauiora fuere pericula. Nam quid pelago terribilius, ſi furorem venti conflabellent? Quantum efferueſcat in ſinu iræ, ſpumantes ipſi fluctus commonſtrant. Inſumeſcit, inſurgitque horrendum in modum: vndas vndis, hoc eſt, montibus montes, ceu Pelion Oſſæ imponens, prouocare aſtra, ipſumque impetere Cælum videtur; ceu noſtra dedignatum nauigia, ſydeream obruere, ac ſorbere nauim tentet. Quis ad hanc rerum faciem vultum non mutet? cūi mortaliū tantùm ineſt pectori adamantis, ac roboris, quod non expugnent coniuratæ cum aquilonibus vndæ? Vbi ſingulis fluctibus ſingulas innatare furias vides, an non intimè cohorreſcas? Hoſtes ſi mœnia aggrediantur, propulſamus igne, ferro agimus. Fluctuum phalāges quis vnquam proturbauerit? Quæ vis lacertorum impetum fregerit vndarum inſanientium? fruſtra in turbulentiſſimas haſce legiones, aut nautarum arma, aut nauis armamenta: fruſtra ad fugam remigium, ac vela: non habenas, non fræna immiſerit feroſcienti huic belluæ clauus: nihil à conſternato rectore opis: nihil ab arte præſidij: vbi fluctuat ratis, naufraget conſiliū, ac ratio, neceſſe eſt: atque adeò nil propius, quàm vt in-

tan-

Digitized by Google

tanta ventorum rabie, non modò transuerſum agi, ſed diffringi horridè, diſſui, dilacerari nauigium contingat. Illud autem furente pelago non ſanè mitius; ſi, difflata deinde procella, ac turbine, eòque defunctus periculo, in efferatiorem Turcarum gentem incidas. Planè, cum pleraque alat monſtra pelagus, neſcio, an ex iįs aliquod teterrimum hoc genus hominum æquet, quibus pro humanitate immanitas. Nam quid vnquam non atrox ab ea Scytharum, ac Thracũ mixtura extiterit? Myoparonibus longè celerrimis, ac piraticæ perquam idoneis mare inequitant. Si quæ procul conſpexerint noſtratium vela, nulla mora, vires, neruos contendunt, momentò inuolant, imminent. Ipſa ſpecies, cultuſque barbaricus terret. Velificaſse laruatas tigres, leonesque perſonatos dices. Sinuoſum illud cirrati capitis tegumentũ, non tam gentis inſigne, quam quædam eſt patriæ teſsera feritatis. Spirat vultu inſita pectori rabies, ac gentilis furor, quem torua oculorum fax vehementiùs inflammat. Gemino iaculantur arcu: alterum immani ineſt ſupercilio, alterũ manu tenent. Sagitta, ac mors è ſeminudis lacertis expeditior. Inter tela clamoribus etiam Cælum feriunt. Igitur nauigium circumſiſtunt, eique, ſereno licet Cælo, procellam mouent. Animus feruet, non æquor: à fronte, à tergo verberat telorum grando; vrgent, pulſant; iam penè inſiliunt: ſi arceas, redeunt, inſtaurantque acriùs pugnam: non ſe, non cœpta deſtituunt barbari, quoad aut ſpirans à puppi vẽtus, aut ardens claſſiariorum virtus, aut Deus ipſe eos luſerit, fruſtratos præda, quam ſpe vorauerant. Vtriuſque ſpectator periculi, eiusque pars magna funeſtæ fabulæ fuiſti, mi Saxe; luctatus cum tempeſtate, & mox cum barbaris: horũ immanitatem, maris iram tuiſmet oculis vſurpaſti: eòque tu ipse teſtis, tu iudex ferre ſententiam facilè poteris, quæ ſcena oculis, atque animo truculentior. Ipſe interim æſtimare mecum ipſe planè neſcio, quæ clades grauior; vndis mergi, an ſeruitio Turcarum premi? mors in pelago dirior, an inter Thraces vita? turbo, an Turca crudelior? Pendet, fluctuatque hic animus. Sunt qui naufragium deprecantur,

inco-

Digitized by Google

incolumi videlicet inter barbaros vita : at quiſquis accuratè rem expenderit, ſecus planè ſentiet. Quos pelagus ſorbuit, diem ſemel obeunt ſuam, quæ ſemel obeunda eſt : quos verò ſuum infortunium efferatæ huic genti addixerit, mutata ſorte mortalium, ac repetito pluries fato, ſingulis penè horis mori contigit : idque per ſummam rerum inopiam, per contumelias, per flagra, per vulnera. Naufragium deinde corpora ita perdit, vt à mari in Cęlum nauiget liber, ſolutisque nexibus ſuis animus : quos autem Turca premit, libertate perinde carent, vt catenati etiam ad fortunæ triumphum, an ludibrium ? mare triremibus inambulent, neque longiùs à naufragio. Quid illud ? nam merſos excipit ſuo ſinu æquor, ac totus ipſe Oceanus extincto vrna eſt : apud barbaros quis honor tumuli, aut funeri locus ? ſed hæc non ego ſtudioſiùs expenderim. Quæ duo præcipua ſunt mortalium bona, quæ nullæ exæquent Craſſi opes, libertatem nēpè, ac vitam ; ereptus hinc pelago, hinc Turcis, videris tu pridem adeptus : vtràque fruere. Te autem ſoſpite, ac liberò, cum & ipſe meæ reſtitutus vitæ, ac libertati videar, vtrãque tibi addico. Vale. Romæ ibid. Auguſ. MDCXXIV.

Andreæ de Veritate Cl. Reg. S. D.

EPISTOLA VII.

MOnes, Iuuenis ornatiſſime, te propè diem Philoſophiã vniuerſam publica in arena, vti moris eſt, ante autũnales ferias propugnaturum. Gratulor : idque cum primis opto, & voueo, vt fauſtè res cedat. Difficillimum hoc quippè certamen, ac plenum aleæ, vt niſi cui acre, viuidum, promptũque præſertim ingenium; ſubire id periculi ac ſplēdidum adeò literatorum theatrum, ac lucem, nullus deberet. Flos ipſe eruditionis, multarumque palmarũ viri conueniunt : arrectæ omnium aures : conuerſi innumeri in Candidatum oculi ; nihil ineptum impunè hic excidit : vt quiſq; ſibi

ſibi ſapit, muſsant, improbant. Si reſtites, ſi tantiſper addubites, argumenti ſi non ſtatim aut vim capias, aut verba concipias, aut formam nonnihil mutes; clamoribus confeſtim theatrum miſcent, ac repetito prolixiùs, mutatoque ſyllogiſmo, propugnantis ingenium Iuuenis verbis obruũt, confunduntque: vſque adeò nihil vrbanitati tribuunt; ſuæque duntaxat gloriæ, ac famæ litant, militant. Certè, niſi te ſcirem vi præditum intelligentiæ peracuta, ac disertè etiã quæ ſenſeris, explicare; nunquam in eiuſmodi pugnas vt id ætatis inſilires, auctor tibi eſsem. Speciosa quidem adoleſcentibus, quæ eſt ardens, ac præceps eorum indoles, videtur ea theatri lux: palæſtram inire, conferre pedem, in ipſo æui, atque eruditionis tyrocinio vrſos, leonesque veluti diſcerpere, nimiùm, quantum geſtiant: at non ſatis deinde secum *ipſi reputant*, quid ſit, in ea lectiſſimorum capitum corona erubescere, ac probrum inde demetere, vbi famam ingenij fore, vt colligerent, ſibi perſuaserant. Qui quidem ſi priuatis primùm in gymnaſijs, & concertationibus publico huic diſcrimini proluserint; ſi lacertos in vmbra exercuerint; ſi armorum tractationi, præliorum conflictibus, vulneribus, & cuidam ceu lanienæ ingenia aſsneuerint; petere ſubinde campum, ac ſolem, ſuaſque aperto marte periclitari vires poteſunt. Cæterùm, nihil excitandis, inflammandis, erudiendisque ingenijs eiuſmodi velitationibus, ac pugnis opportuniùs. Scitum illud, vt adamas adamante, ita ingenium expolitur ingenio. Hinc diſſidentes inter ſe ſe Academia, & Porticus; ac Lycèa lycèis ceu collatis ſignis, pugnaciſſimè certantia. Scilicet, à mutua ſtudiorum contentione, ab ingeniorum æſtu, atque ab hoc veluti attritu mentium exacui magnopere vim animi, elimarique intelligentiam cõtingit: nec ſanè minimùm ardoris habet ille theatri clamor. Macte igitur, Iuuenis ſtudioſiſſime, & te ad alterius Philoſophiæ velificationem compara. Longè ſublimior, ac diuinior ea facultas: proindeque contendere acriùs neruos oportet: & ſi hauſtus Cælo animus alacriùs quodammodò, ac ſua ſponte ferri ad Cæleſtia videtur. Illud seriò monuerim, ne

id:. in tan-

in tanto ardore diſcendi, langueat virtus. Nihil ſanè propiùs, quàm vt ſui ſtudium negligat, qui literarum ſtudijs anxiùs vacat. Operam luſimus, ſi literæ, non mores animum exornauerint; ac præpoſterum ſanè illud, cultu diuite procurari corpus, ſucco verò, ac ſanguine deſtitui: neque par eſt, vt qui à diuinorum ſcientiâ aſſurgit, ſpiratque altiùs animus, illum à quadam in schola virtutis inertia deprimas. In ſtudiorum pelago hos tu vita ſcopulos. Vale. Romę 6. Id. Decem. MDCXXVI.

Ioſepho Mariæ Caracciolo S. D.

EPISTOLA VIII.

MEnſem, aut eò amplius apud Abellinenſium Principē egi cum Thoma noſtro Caracciolo, germano eius fratre, qui è Sicilia Neapolim nuper appulsus, conuenire ſtatim, & conſalutare amantiſſimum Fratrem debuit. Ob id quas ad me dediſti ſub initium Nouembris literas, nonniſi Decembri menſe, reuerſus nempè Neapolim, accepi non ſine graui animi ſenſu: nam interim dilapsa eius rei bene gerendæ occaſio, quam ſignificas. Pendent humana penè omnia à puncto temporis: adeòque leuis, ac præceps occaſio eſt, vt dicto citiùs auolet, nec facilè ſubinde redeat, ſuũque iterum offerat inertibus crinem. Planè quam nos ineptè *fortunam dicimus*, volucris illa, ac cæſariata occaſio eſt, quam qui catus, ac prudens, iniecta opportunè manu, captat; ille fortunæ ſuæ faber; illi fluunt ex voto omnia; ille in Principum aula, ac gratia dominatur, niueisque, vt aiunt, equis in Cælum fertur. Quos verò excubare tempori piguit, prætereuectam, ac paſſis crinibus ceu velificantem occaſionē dum vident, id ijs reliquum, vt Cælo parcant, ac aſtris; ſuãque tantummodò proſcindant, onerentque ignauiam. Iam Abellini id me feciſſe operæ prætiũ gratulor, quod Principē nouerim, non è communi censu Principum, ſed qui præter

indolem, natalibus parem, animique magnitudinem, ac ſplendorem, quæ pleriſque eorum inſunt; literas etiam, ac literatos cum primis fouet, quod eorum ſanè paucis, neſcio quonam ſtudiorum fato, contigit. Agnoui in præ-nobili Viro nil pulchrius, quàm præclari generis auro inſeri eruditionis gemmam. Nobilitant hæc ſe ſe mutuò, lucemque inuicem faciunt, adaugentque: vt clarius emicent ab auito ſplendore literæ; à literis auitus ſplendor. Scitè Iulius eius nominis Pontifex Secundus pronuntiauit, honeſtas artes in vulgo argenteas videri poſse; in viro nobili aureas; in Principe gemmeas. Certè ſi priſca ſecula inſpicimus, incurrent ſtatim in oculos literata pleraque paludamenta, doctæque trabeæ, & chlamydes. Alexander ab ſinu philoſophiæ in campum prohſijt: ſolitus inter arma litare Homericis Muſis. Cyrus prius Xenophontis ingenio, poſtea armorum attritu expolitus. Scipionem non adeò militare negotium occupabat, quin inter meditamenta bellorum Palladem haberet contubernalem. Pompeius diſertiſſimus Orator audiuit, æquè lingua, ac manu ſtrenuus. Quid Iulium, cui ſua bella ſcriptionis materia, ac ſeges? Quid Auguſtum, quid familiarem Auguſto Mæcenatem, quorum deliciæ Marones, ac Flacci? Quod ſi propiora exempla cupimus, habuit Regnum hoc Neapolitanum par Regum ſapientiſſimorum, Robertũ, Alphonsum, qui & ſua coluere, & aliorum aluere ingenia. Viſę profectò ad ſplendidam eorum vmbram floruiſse literæ; iidque ipſis cum primis curę, vt non tam auro caput, quàm doctrinis mentem exornarent; nec tam Auorum imaginibus pinacothecas ſuas, quàm veterum monumentis bibliothecas inſtruerent: ac ſimul ſceptra, ſimul tractarent ſtylum manus; commutata in Academiam aula; excitatis in ſpem communis eruditionis Lycęis; accerſitis vndique gentium, qui Athenas Neapoli fundarent, qui Sirenas iungerent Muſis; qui in cratere Neapolitano ſuas propinarent genti ſcientias. O aurea verè tempora, in quibus & imperare philoſophi, & philoſophari Principes videbantur. Age nunc, quo non illi conuicio vapulauerint, qui proſcribenda à nobi-

bilium animis, Regumque oculis, ceu quid inauspicatum, ac noxium, literarum ornamenta contendunt? Quid? quos adeò natura, Cælum, aſtra nobilitant non eò aſſurgent, vt Cæli, syderum, naturæ opes contemplentur? Contenti Principes ſua purpura, ingeniorum cultum, qui longè præſtantior, negligent? Qui populos regunt, prudentiam ſcientijs non elimauerint? Qui proximè Deo accedunt Infula & gradu, inſcitia quàm longiſſimè recedent? An doctos honeſtauerit indoctus Princeps? an agnoſcet propiora virtuti vitia in caligine ſumma mentis? an tenuerit æqua manu libram, auerſus libris? Qui deinde ſplendor ſanguini, qui nitor generi, quod ſceptro pondus, quæ vis conſilijs, quæ linguæ cōpia, quæ moribus norma, quæ auctoritas nomini, quæ apud ſuos reuerentia, quæ apud exteros exiſtimatio, ſi nulla Principi, ſummæque fortunæ ſcientiarum clientela; ſi rerum contemplatrix philoſophia, ſi moderatrix regnorum politice; ſi auriga morum Ethica, ſi animorum triumphatrix eloquētia, ſi lux temporum hiſtoria, ſi Plato, ſi Zeno, ſi Stagirites ſi Tullius, ſi Liuius à Principum aula, ab animo exulauerint? Igitur præſignis genere, animique celſitudine par Regibus, Marinus Caracciolus, Princeps Abellinenſium, hanc æui noſtri luem, quæ illuſtres paſſim viros afflat, atque à Muſarum contubernio, ſinuque auellit, intimè execratus, ad veterum ſe ſe Principum normam, ac laudem cōpoſuit. Matutinas quidem aures populis commodat, vt ſuum cuique ius adminiſtret: reliquum diem in Muſeo agit, quod ſanè inſtructiſſimum. Quicquid ingeniorum, atque eruditionis priſcum, aut noſtrum hoc æuum tulit, hic habet. Appellat, cum volet, adſuntque eueſtigio ſumma doctrinarum capita. Interrogat, audit, alloquitur. Horum ductu nunc terrarum ſinum luſtrat; nunc Cælum conſcendit, metiturque aſtrorum curſus; nunc in Euclidis officina inſtrumenta Matheſeos tractat; euoluit exacti temporis volumina cum hiſtoricis: qua quidem in hiſtoriarum eruditione neſcio, an aliquis doctior. Gentium omnium Annales percurrit, ac mirè retinet. In tanta regionum, po-

pulorum, temporum, euentuum varietate ; nihil in eo , vt aſsolet, confuſum, ac perturbatum. Si narrat, non pro temporibus tempora; pro Ducibus Duces, pro locis loca obtrudit. Sua cuique nomina : vbique temporis , ac loci ratio : diſtinctè , ſuo ordine, diſertè omnia. Sciuerit hic Tacitum, Liuium ille, Thacididem, Herodotum alius: Princeps hic polyhiſtor, nullum non textorem rerum viſus voraſse , Latinos, Græcos, Italos, Hiſpanos , Gallos , planè vt illum hiſtoriarum condum , ac promum iure dixeris . Quiſquis loquentem audit, abrogat penè auribus fidem . Quæ te puto audiuiſse à me non libenter, nempè de gentili tuo. Salutat te Tomacellus, tu amicos. Vale. Neapoli. IV. Id. Decembr. MDCXXVII.

Bonifacio Tomacello Cl.Reg.S.D.

EPISTOLA VIIII.

QVam tibi Biſſij noſtri, diſerti planè viri , lucubratiunculam ſuperioribus diebus, dum eſsem Neapoli, propinaui ; repetis nunc anxiè, Tomacelle ornatiſſime ; vt quam inde curſim voluptatem delibaſti, per otium reguſtes . Exemplum tibi vt mitterem , adduci minimè potui, quod nihil facilius, quàm vt pauculæ eiuſmodi paginæ , eundo, redeundo aberrent via, ac tandem diſpereant. Igitur exſcribi, oportuit : quod dum agerem , ecce tibi moræ. Nam Thomas noſter Caracciolus, qui, vti noſti, elato Abellinenſium Principe , germano fratre, ampliſſimæ huiuſce domus, ac Ditionis curas adminiſtrat , quique huc me ſibi ſocium accerſitum voluit ; adire religionis ergo Montis Virginis Cœnobium in animum induxit ſuum . Ire & me oportuit ; ægrè quidem, quòd differri contingeret tua vota: cæterùm, inſpexiſse conſpicuum priſca religione Locum, ac celeberrimum illud magnæ Matris Sacrarium, non ſanè piget. Imminet Abellinenſi huic Vrbi Cœnobium , quod incolunt religioſiſſimi è Diui Guglielmi diſciplina Monachi . Aſcenſus

non

non ita molliter accliuis, ſed erectus ad aliquod milliarium, abruptusque, Situs nanque longè editiſſimus in crepidine ipsa montis, qui Olympi in morem eò aſsurgit, vt aut nubes excedere, aut illas, & quicquid hyemes, fulmina, imbres facit, propiùs inspicere videatur. Hinc tractus ille aeris penè ſemper nubilus, ac nunquam ſincera Cælo facies. Raro non aliquid ibi procellæ: alieno paſſim tempore tonat, grandinat, ningit. Veris, autumnique locum hyems ita occupat, vt in æſtatem ipsam excurrat; quæ ibi breuior, aut nulla. Interdum ſiquidem, qui alibi allatrat, ac mordet Sirius, hic alget, hyematque, ceu mutet ingenium sydus. Vidimus extremum ipſum Maium alta niue candidum: hæ nēpè adulti iam veris deliciæ, ac flores: hæc illa Maij menſis temperies: hæc ibi rudimenta æſtatis. Itaque errat hic Cælum præpoſtera niue, miscetque annum, ac menſium vices. Id hic nobis primum, inire templum. Ampliſſimum id quidem, ab gente olim Capua, inter Neapolitanos prænobili, excitatum; quod quia æuo laboraret suo, inſtauratur poſtea ad omnem magnificentiam penè à fundo. Marianam. Ædiculam, ad quam aſſidui per annum, cùm à circumiecta regione, tùm Neapoli, totaque Campania concurſus; ornant ſplendidè marmora, aurum, pictæque tabulæ. Operoſior ſanè columnis labor, recurrente nimirùm multo per ſcapum emblemate, cultoque, ac diſtincto marmoribus marmore, vermiculato videlicet opere quàm aleganriſſimè. Illud in ea pulchrius, Auguſtæ Virginis Effigies: in qua quidem effomanda colores miſcuiſse venuſtas, gratia, maieſtas; aut aliquis è Diuorum numero Apelles, hauſta ab aſtris luce, appinxiſse hæc omnia fronti, ac oculis videri poteſt; planè vt ſpirent quid grandius plena diuinitatis ora. Ab hac tabula penè loquitur Deipara; niſi quod mortalium precibus beneficijs reſpondere, quàm lingua mauult: eaque ineſt oculis acies, ac vis, vt videant ſupplicum vota, antequam ea pandant: neque ſurdas aures eas dixeris, quæ citò audiunt. Litatum in hoc ſacello, oratum; atque ad conſpectum pulcherrimæ, ſpirantiſque Imaginis viſum nobis veluti cum

ſuper-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.
Digitized by Google

ſuperſtite ipſa Dei Matre morari, ac loqui. Ædes inde Patrum adimus, quæ laxæ, atque eò vel maximè admirandæ, quòd rupibus inædificatæ, ſublimes pendeant, Cælo, aſtriſque propiores: vt facile profectò religioſis ijs viris ſit, nubes orãdo transmittere; atque inferre ſyderibus mentem; quando tam propè ab ijs diſtant: certè quos arduum adeò Cœnobiũ tàm altè enehit, abripitque à terra, cæleſtem tranſigere vitã oportet. Et verò, præter reliquam diſciplinam, morumque ſanctitatem, aſſidua, ac ſtrictior ijs abſtinentia. Proſcriptæ hinc carnes, oua, & quicquid lactis ſubducitur agnis. Neque Cœnobio duntaxat id genus edulia, ſed toto exulant monte. Hac potiſſimùm religione terribilis eſt ſacer hic Virgini locus; vt nullus vnquam impunè pinguem eò annonam intulerit: Compertum nanque eſt, procellis, ac fulmine vindicaſse Cælum nefas. Id quod puto, te in eius Ordinis, ac Mariani Sacrarij monumentis legiſse. Porrò, dũ digredimur, ſuus fuit diei turbo, ac imber: vt largiùs perfuſi, agnouerimus, nunquam ibi ſudum bona fide aerem. Sed tanti fuit percelebrem prodigijs montem, ac dicatam inclytæ Virgini Deiparæ Baſilicam inuiſere, ac venerari. Itaque reuerſus, nihil habui antiquius, quàm ſcriptiunculam transcribere, ac mittere. Tu, qui eloquentiæ articulos noſti probè omnes; pleraque in ea aduertes, quæ ſurdis ingenijs, ac auribus non adeò concinnè adſonant. Elimata tibi vſu hæc dicendi facultas, qua nunc in Italiæ Orcheſtris dominaris, itque iam per omnium ora tua lingua. Dixiſse te pridem de Marianis Roſis diſertiſſimè, gratulor. In florenti adeò materia efflorescere facundiam tuam præter modum oportuit. Fruere tanta dictionis felicitate, ac tanta approbatione mortalium. Vale. Abellini poſtridie Kal. Ian. MDCXXXI.

Ro-

Digitized by Google

Roberto Valnigræ S. D.

EPISTOLA X.

RES mihi eſt, mi Roberte, cum auaro capite. Pietatis opus agitur; ex parentum piſſimorum legato debet; exaggeratum illi in ſaccis aurum; nulla tamen vis eloquentiæ, nullæ obteſtantium preces, ac vota; non monita, non obſtricta parentibus fides; non conſcij, gratique animi ſenſus, non pietas, non iura, non dicta illi dies, non Deus id vnquam euicere, vt aliquid ab eo pecuniarum exprimerem. Vides in homine, à diuitijs penè aureo, pectus æneum: vides in viro, ad omnem lucri occaſionem oculatiſſimo, ſurdas aures: vides in auaritiæ ſcrinijs vectes adamantinos, opeſque nulli, neque auaris ipſis peruias. O natum infamandæ, inceſtandæque genti mortalium auaritiæ monſtrum. Quam nacti ſunt prædam accipitres, ac aquilæ, ita vnguibus diſcerpunt, vt vorent. Strauere leones corpora, vt famem explēāt. Suo gutturi, ſuo ventri rapiunt tigres, vrſę. Auarus ita opes aggerat, vt nulli proſint. Fauces nunquam non ſitientiſſimæ; at nunquam aurum bibunt, quod ſitiunt. Quid ſupremæ egeſtati propius, quàm eiuſmodi opulentia? quæ tam arcta inopia eſt, quæ auari copiam exæquet? diuitię eæ ſunt, an turpis egeſtas? Craſso ditior is eſt, an Iro pauperior? habet, an habetur à nummis? cumulat, an diſſipat? lucratur, an decoxit? Cæteri mortalium alienis abſtinent, ſuis fruuntur: auarus alienis incubat, ceu ſuis: ſuis parcit, veluti alienis: atq; adeò, vt neque alienis, quæ non poſſidet; ita neque ſuis, quibus abſtinet, fruitur: opeſque quò magis auget, magis eget, condus ſemper, nunquam promus. Scilicet, hanc in illum exercet tyrannidem regina pecunia, vt in auro ipſo fœdè ſordeſcat; vt quod non habet, famem dirè acuat; quod habet, non expleat: vt quod lucratur cupidè, perdat ſordidè; vt ad inſolens tormenti genus, deſit illi, quod poſſidet: vt ſibi egenti non adiumenta miniſtrent ſuæ opes, vt ſe ſe for-

tunis

Digitized by Google

tunis ſuis torqueat; vt ſui ſic peculij Tantalus; hoc infelicior, quòd non fugiant bona, nec captet. O luem hominum longè teterrimam. Id mirum, quod viuat, ſpiretque adhuc tot diſcerptum linguis, tot obtritum conuiciorum plauſtris, tot petitum diris, tot exhauſtum vulneribus ardens, auidúſque hoc monſtrum. Nemo eſt, qui non illud proſcribat, exſibilet, figat. Declamat paſſim eloquentia, exacuitur dirè ſtylus, inuehunt vehementer ingenia, monet acriter philoſophia, ipſa execratur humanitas; neque humano in pectore reſtincta hæc peſtis: forſitan vitali ſuo auro inſtaurat, ac reparat vitam ad animorum perniciem, ad mortalium probrum, ac dedecus ſempiternum. Vt in immane hoc vitium tantùm effunderem ſtomachi, fecit vir ille auariſſimus, cui potior nummus, quàm Numen. Non peccauit ſanè calamus, quando iſtinſmodi ſordes nullæ vindicant ſatis Diræ. Tecum verò ſic obloqui, atque ingens hoc propudium pro voto exagitare liberè potui; ſcio nanque, auream tuam indolem ab inſatiabili auri cupiditate, ac lue quàm longiſſimè abeſſe. Interim ita intimi pectoris in te obſeruantiam foueti à me ſcias, vt hanc ipſe viciſſim tuæ beneuolentiæ argumentis honeſtari à te valdè cupiam. Vale. Neapoli. X. Kal. Octob. MDCXXXI.

Marco Antonio de Rubeis. ſalutem D.

EPISTOLA XI.

SCribis, Marce Antoni, vim quandam repentini cineris; qui, Veſuuio erumpente, huc aduolauit, perindè conſternaſſe Regionem, ac populos, vt veluti ſuprema immineret calamitas, ad aras, atque ad lamenta pænitentiæ confugerint paſſim omnes. Pende hinc, quid contigerit in Campania, vbi fumante horrendum in modum montis vertice, & graſſante dirè flamma, nil propiùs fuit, quam commu ni funere, ac buſto abire in cinerem omnia. Viſa profectò tumul-

multuari natura ipſa, & cum ea ferale montis ingenium, cælique; ac ſyderum inclementiam in publicum coniuraſſe exitium: adeò vt cum deſederint iam magnam partem terribiles minæ, trepidet adhuc perculſa metu mens, ac manus ipſa horrore quodam animi ducere ſtylum vix poſſit, pauca vt dictet è tam multiplici clade. Planè ea eſt illorum ſententia, quibus notæ ab hiſtoriarum monumentis Veſuuij per interualla temporum eruptiones, vt cùm ſæpiùs tragicam hanc ſcenam adornauerit, atque ad Campaniæ, cæteræque Italiæ rogum exarſerit, nunquam funeſtiùs, ac maiore cùm mortalium ſtrage terruerit, quàm hoc anno. Auditum per aliquot dies neſcio quid tacitè adſtrepere in ſinu montis: monebatque profectò ſurda ea vox, aliquid turbarum meditari, atque euoluere arcanum pectus. Neque mora: diſruptus ingenti fragore, ac patentiore quodam hiatu mons. Hinc fumi volumina, ac nubes lõgè teterrimę intercepere Cælum, ac lucem, vt adaugeret atrox facinus noctis vmbra. E nube ſpiſſum tonitru, atque horrida per tenebras fulguratio, flammarumque tractus. Compluere mox, ac ſpargi longè, lateque cinis, atque arenarum imbres, vaſtitatis inſtrumenta, ac symbola. Cum his ſaxa, rupeſque ſemiuſtæ impetu deuolui, ac ruere: hæc ſcilicet arma miniſtrabat monti furor: cum interim non modò mons ipſe aſſiduo quateretur motu, ceu ſuamet portenta exhorreſceret; ſed circumiecta etiam Regio, atque Vrbs hæc Neapolis intremeret, ſuiſque ab immani arietatione metueret tectis. Quamquam rudimenta hæc cladis videri poterant. Enimuerò, vt quicquid conceperat ſinu peſtis, ac iræ mons tandem effunderet, flumina omninò ſeptem, igne, pice, ſulphure, chalybe, plumbo tumida, ſuis è faucibus immani quadam alluuione euomuit. Ardentem diceres Nilum, non fecundandæ, ſed exſcindendæ, euertendæque funditùs Campaniæ, per ſeptena oſtia præcipitem. Excurrere huc illuc flagrantes amnes, alluere, proculcare, vorare omnia: ſiluas, arua, pecudes vnà inuoluere: diſiectæ paſſim turres, ædes, templa: quid ſi pelagus ipſum ſibi cauit, receſſitque, quod omninò inſolens, ad aliquot

Digitized by Google

paſsus, ne quid in ipſum auderent hæc monſtra; & non ſua flumina. Popularibus nullum opportunius adiumentum, quàm fuga: cuius ope & ſi plerique incolumes; tamen, quæ erat præceps calamitas, intercepti non ſanè pauci, dum fugerent: vt hos quidem adhuc ſuperſtites contumulauerit cinis; illos, quæ diximus flumina, igne merſerint; quosdam improuiſum fulmen exanimauerit; alios oppreſserit ruina tectorum: denique commune quoddam fatum videri potuit, adeò vt ijdem ipſi, qui euaſere, mortuis perſimiles, pallentes, ſpirantesque vmbras, aut laruas diceres. Excipit hos Neapolis, vt alieno etiam metu, ac malo trepidauerit, quæ à ſua clade abundè laborabat. Siquidem ipſe conflagrantis Veſuuij proſpectus, & quæ tota patebat ciuibus feralis ſcena; tum reuolutus in noctem meridies; & qui totam fœdabat Vrbem cinis, & ab aſſiduo motu terræ nutantes domus nimium eſt, quantum Neapolitanorũ animos pulſauerint. Vnica ijs ara, ac perfugium Diuorum patrocinium. Quicquid piorum Cinerum Neapoli colitur, per vrbem circumlatum; nempe vt cineres cineri, ceu pila minantia pilis opponerentur. Ipse in primis inclytus Martyr, ac princeps Ciuitatis tutela Ianuarius, viſus in caligine ſumma rerum prodere in lucem, vt communem cauſam eius vox ſanguinis peroraret. Noſtri etiam homines ſuis è puluinaribus Andream Auellinum, Tutelarem item Vrbis eduxere, vt vias, ac fora extinctus tereret, exanimatiſque ciuibus animos ſuis oſſibus faceret. Inſtitutæ ſubinde aliæ ex alijs ſupplicationes. Viſa, non virorum modò; ſed fœminarum etiam agmina, passo miſerãdum in modum capillamento, obire templa: Expiare quiſque ſuas noxas; libatiſque myſterijs, placare iratum Numẽ. Id quod coniectari facilè ipſe poteris: quando, vti innuimus, inuectus huc exiguus duntaxat cinis, hoc eſt, quædam Veſuuianæ cladis analecta, Apuliam omnem intimè perculſam, ad comploraciones, ac pœnitentiæ imitamenta propulerit. Quid faciem ipsam rerum, furentemque Veſuuium, flammas, fulgura, arenarum cumulos inſpexiſse? ſed pauca hæc, ſuſpẽſoque calamo attigiſse, abundè fuerit. Nam totam malo-

rum Iliadem quæ ſtyli facultas exhauſerit? Maiora profectò quouis ingenio incendia hæc ſunt: neque vnum, herclè, Plinium abſorbebit Campani montis vorago, ſi ſcribere tentauerint. Vale. Neapoli IV. Non. Ian. MDCXXXI.

Fabiano Stellæ S. D.

EPISTOLA XII.

CVm nullæ me tuarum literarum, quas hactenus accepi, non incredibili voluptate reſperſerint; quòd præter ſtyli gratiam, illas plerumque tuæ Muſæ lucubratiunculis amœnaueris; poſtremæ hę tamen perindè me lætitia perfudere, vt excedere eas omnes multis partibus videantur: non quia ſaluti reſtitutum fratrem tuum ſignificant, quod equidem mihi pergratum; non quòd exacta ad accuratiorem quandam limam carmina miſeris: nec denique quòd ipſa epiſtola neſcio quo nitore, & cultu cæteris præſtet; ſed quia mones, diuino te afflatum Numine, alias cogitare vitæ rationes, ac ſanctiores Muſas, remiſſo videlicet humanis rebus nuncio, ac relicta ceu glande. Planè, cùm tibi pro vetere noſtra conſuetudine fauſta omnia cupiam, quid vouerim ipſe prolixiùs, aut quid vnquam mihi iucundius fuerit, quàm mundi transfugam, in lectiſſimas acies tranſcribi te, ac ſub Duce Chriſto in religioſæ diſciplinæ, ac ſanctitatis caſtris ſtipendia facere? Hac authorari militia, huic Imperatori ſacramentum dicere, hoc demum eſt in ipſum ſe ſe tranquillitatis ſinum aſſerere. Per alta quædam mentis otia, citra vulnus, ac procul ſole, & puluere, expugnandum religioſis viris Cælum, profligandæ Inferorum legiones, proculcandæ naturæ, ac ſanguinis lenocinia proponuntur. Vide hic medicamenta caſtrorum: penè clypeo indormiunt, cum in ſtramentis cubant: aquam bibunt galea, cum ad temperantiæ leges libant vix pocula: cœnant ſplendidè, cum vorant incommoda; penuri gelu, ferre hyentes, hoc dulce, ac pulchrius

 Ni-

Nihil ijs cum aperto Marte, quos intra ſua clatra continet diſciplina: apage militarem licentiam, ac faſtum, vbi adſtrictior, ac plena modeſtiæ vita: caſtimonia præcincti, loricati cilicijs, haſtati prece, diuini Numinis metu erecti, ac alacres, amore præferuidi: excubias cantu peragunt: diei pondus precibus alleuãt: caſtrẽſes labores exhilarant lachrymis: militarem, religioſamque lacernam miſcent: ad aram militant, dum militant. Ad bellum verò ſupremâ illa cadentis mundi tuba excitantur: prodeunt, ardent, pugnant: neque teterrimos modò hoſtes, ſed aſtra ipsa feriunt, ac Deũ: cùm interim nudum ijs ſit latus, nuda pectora: innocentia nempè ſecuros facit, dantque animos auxiliares è Cælo copiæ. Quæ deinde victoriarum manubiæ, quæ coronamenta, quæ laurus, qui triumphali pompæ currus, cum æternitatis Capitolium conſcendunt? Ad hæc tu Signa, ad has Aquilas dum vocaris; ipsa, qua reſpondes, alacritas præclarum eſt belli omen. Tua item ætas, iuuentutem eluctata, ea eſt, vt expendere vi prudentiæ, ac momentis ſuis rem grauiſſimam potueris: quid nempè Religioſi Ordines in ſpecie, quid in receſſu habeant; quantùm exhauriendum laboris; quid ſorbendum incommodi; quid vigiliarum, quid abſtinentiæ tolerandum; an æqua humeris Inſtituti moles: eòque vbi id commutandi moris conſilij inieris; haud ſanè pertimeſcendum, ne media ſubindè in acie clypeum, mẽtemque abijcias. In ipſo æui rudimento hoc accidit, à quo iſthæc non rarò extitere inconſtantiæ exempla, ac monſtra. Non imus quidem inſicias, auream perſæpe ſegetem cùm ſanctimoniæ, tũ literarum demeſſuiſſe religioſas Familias ab illa ætatis herba. Facili namque ceruice aſſueſcunt præmaturè Chriſti iugo; durantque vngulam, ac tenerrimam, cereamque eam indolem, vt illuſtres deinde labores in afflictationum, ſtudiorumque palæſtra tolerent. Teſtes Placidi, Mauri, Aquinates, quos non tam ſua parens, quàm ipſa peperiſſe, ſuoque aluiſſe lacte Religio viſa eſt. Verùm enimuerò, cùm nondum adulta pueris lux mẽtis peruadere ad intima rerum nequeat; ac præterea ingenio quodam voluceri ferantur, ac ſua præcipitent

pitent vota; accidit nonnunquam, vt ſubitarij ardoris locũ occupet pœnitentia, tædium, ac recurſantes animo ſeculi nugæ: atque adeò nihil ijs facilius, quàm vt ſuſceptum leuitate, ac impetu Inſtitutum, animo leuiore deſerant. Quibus verò ab æui maturitate acceſſit iudicij pondus, ac moræ; cùm altè inſederit capeſsendi Ordinis conſilium, nulla eos arietatio, ac ventorum impetus de gradu dimouerit, vrgentque egregiè ſuam Spartam: vt ſapiant ijs corporum iniuriæ, ad ſanguinem flagra, diluta lachrymis pocula; inſomnes ſæpè noctes, curta ſuppellex, genij frenum, voluptatum proſcriptio; & quicquid auſteri, ac aſperi religioſæ diſciplinæ minatur facies? Macte igitur, Vir clariſſime, ſingulari hac Dei beneuolentia, quæ te ſuis militare in caſtris tempeſtiuiùs voluit: ea nimirum ætate, qua mundi fucum, ac laruam, eiuſque dignoſcere bracteatas opes vis mentis potuit. Mihi verò eo maximè nomine gratulandum, quòd ita ad hanc te laudem animatum videam, vt tu ipse tuo ſis lateri ſtimulus, fax, calcar. Hac alacritate habes iam dimidium facti: reliquum ipſe perficiet, qui dedit velle. Vale, ac me tuis precibus vt commendatum Deo velis, rogo. Bitunti. III. Idus Oct. MDCXXII.

Athanaſio Bilottæ Clerico Reg. S. D.

EPISTOLA XIII.

TArdiùs profectò, quàm par erat, tuum ad te redit carmen ornatiſſimum. Parce, mi Athanaſi; integro bimeſtri, vel eò amplius fuit mihi Marini Caraccioli, Abellinenſium Principis funeri illachrymandum. Cecini, recuſante licet citharam Musa, non ſanè pauca: multa fuere ſoluta oratione lucubranda: funebris prætereà mihi lamentatio demandata: quid agerem in tanto rerum æſtu? At quale hoc funus, Deus bone! regium planè in morem ampliſſimum. Paulinum hoc templum, quod ex ſe quidem ſplendidum,

ehmi, inter iſthæc mortis trophęa , ac vmbras viſum longè ſplendidius. Atrato ſyrmate, ac veluti tenebris conueſtitum, neſcias horrorem, an maieſtatem incuteret menti. Quæ viuentem Marinum ornauerat, multiplex virtus, aderat nunc expreſsa penicillo, magno Cineri; tacitæ quidem, nam nedi ſertiſſimæ ceu præficæ ad vrnam lamentarentur, præcluſerat vocem mœror; cùm interim exarata auro carmina loqui cogerent. Aderant & Gentis Caracciolæ Heroes, paceque belloque inclyti, qui, facto agmine, tẽpli pilas occupauerant: ſimul ſpirare ab accurata artificis manu, ſimul exanimari ab vlcerati ſenſus acerbitate videbantur. Sparsa deinde per omnes angulos magnę Domus culta magnificè ſtẽmata: vbique emblemata, ac ſymbola non ſine Muſarum numeris, ac elegantijs: Admirationi cum primis erat excitata in templi medio Moles ſepulcralis. Eò vertex aſsurgebat, vt Cælum petere videretur; veluti non vulgari face, ſed aſtris accendi emortualis eā Pyra vellet: qua quidē ab idea operis, à multiplici columnarum ſerie, à ſimulacris, à vi luminum, ab opulentia nihil auguſtius. Funebri item cultu, ſcriptiſque nænijs ornata extima templi facies: vt ipſa ſtatim frons, quæ intus agebantur parentalia, euulgaret. Reſpondere deinde expiandis Manibus ſacrorum ritus, apprecationes, thura, habituſque inter ſolennia ſacra panegyricus de more ſermo: qui vnus in tanto rerum ſplendore viſus, nihil afferre præcipui cultus; incomptus videlicet, ac funeſtis exequijs par: namque qui nunquam ornatè dixeram, quid in luctu? Igitur curis hiſce expeditus, vt aliquod ſubindè afferrem animo leuamentum, id è iucundiſſima tui memoria, ſummaque ingenij eruditione accerſitum volui. Elegantiſſimum carmen legeram ſemel, legi iterum, & tertiò. Quod de Egeſia fertur, vt pleroſque, qui perorantem audirent, ad mortem ſibi ipſis conſciſcendam ſtimulis acrioribus impelleret, id ego de te, ac ſcriptione tua affirmauerim. O vim ineluctabilem eloquentiæ. Nullus hæc, herclè leget, quem non rerum humanarum tædeat, ac diſsolui cum Paulo cupiat: vſque adeò pallentes mortis vultus dictionis veluti florente roſa exornas; maieſta-

tem

tem fronti, elegantiam oculis, ſupercilio venuſtatem afflas tuo calamo. Hoc modò carmen ita redit, vt hæreat intimè meo pectori ad ſtyli, morumque documentum. Porrò apud Thomam noſtrum Caracciolum, qui Cyrenenſes Inſulas propè diem induet, meo defunctus munere; ſpero, fore, vt breui Bituntinas ædes repetam, in te autem ornando nuſquam nulli officio parcam. Scio, voluntatem in me tuam non vulgarem; ſed da operam, vt illam aliqua grati animi ſignificatione promerear. Nullæ mihi ſine tui recordatione preces: vt tu idem ad Deiparam præſtes, rogo etiam, atque etiam. Vale. Neapoli pridie nonas Ianuar. MDCXXXII.

Ioſepho Silos, Patrueli ſuo S. D.

EPISTOLA XIV.

GRatæ mihi ſemper, ſuauiſſime Ioſeph, tuæ literæ, & à poeſeos interdum acceſſione, ac illecebra gratiores: verùm quòd nunc latinè ſcripſeris, fuere mihi eo maximè nomine gratiſſimę. Prolixiùs ingenio tuo gratulor, pulcherrimę videlicet ſcriptionis, veræque laudis guſtu excitato. Nam quid illuſtrius calamo, quàm lectiſſima, & cothurnata ea lingua vti ad lucubrandum. Vide, quantum ſtirpe generis linguis alijs præſtet. Natales cum principe gentium Populo, Romanoque Imperio communes habuit; quid grandius? Viſus etiam cum eo adoleſcere, atque amplificari; vt regiones, prouincias, regna curſu quodam victoriarum triũphalis lingua occupauerit. Nempè quòcumque Romanæ inuolarent Aquilæ; quicquid terrarum, ac populorum victricia ea arma, faſceſque Conſulares ſubijcerent; vbi Latina virtus, nomen, fama orbem regeret; eò etiam Romana ipſa lingua, propagandis Quiritium legibus, formandis gentiũ moribus, expoliendæ barbarorum indoli, ac Scythicis penè cautibus emolliẽdis peruaſit. Quid illud? hac linguæ ſapientiſſimos mortalium, hac priſca illa facundiæ lumina pero-

raſse? Planè, quod de Platone olim dictum, vſurpare & Romani iure poterant: nempè ſi Iuppiter more hominum ageret, fore, vt hac ipſorum lingua loqueretur. Nihil in ea aſperum, inamœnum, abſonum: ſiue adſtrictam, ſiue fuſam velis, nihil eius parſimonia, nihil vbertate concinnius; quantæcumque elegantiæ, atque eruditionis capax ad aurium delicias, ad animorum diſciplinam. Ineſt copiæ maieſtas: maieſtati numerus, venuſtati cultus. Mutuata quidem à Græca nonnihil; ſed visa, hoc ipsum non minimùm elimaſse; deditque Demoſthenes, Piſiſtratos, Pericles longè facundiores. Iam, in eiuſmodi te ſermonis vsu video conari, & velle. Optimus hic ardor pollicetur de te magna; &, ſi aſſidua accedat lectio, atque exercitatio, ſoluta hac oratione liberiore ceu pede ad gloriam pulcherrimè graſsaberis. Quod ad carmina, quæ miſiſti, attinet. in Etrusca quidem poeſi videris, iam punctum tuliſse: planè vt nihil ad cultum, floremque poeticæ dictionis deſiderem: ſententia, ſtylus, numerus aptè inter ſe se reſpondent: tùm inspersa tempeſtiua quædam amœnitas, contextum ipsum carminis nimiùm, quantum venuſtet. Perge, & iam in Parnaſſi vertice Muſis omnibus litaſti. Pleniore hac laude honeſtare latinum carmen, non auſim: elegantiora certè dabis; nam & longè nūc emendatiora, quàm antea procudis: adhibenda latinior lima eſt: expolienda, & quodammodo crucianda, vt niteant. Porrò, qua parte me laudas, habeo gratias immortales. Verū ea eſt inter nos quà generis, quà mutuæ beneuolentiæ coniunctio, vt te id omne decus tangat; neque recenſere meas laudes poſſis, quin tuas numeres: hoc nempè diſcrimine, quòd de te narras quàm veriſſimè; de me verò quàm humaniſſimè. Poſthumam amiciſſimi Capitis famam, audio, quoſdam è poetarum fæce nebulones discerpſiſse; haud veritos, in clariſſimum illud ingeniorum lumen iambo inſurgere. Vindicandum facinus, ac tanti viri nomen. Age, non tibi deerit ex Apollinis pharetra telum longè limatiſſimum, Neque ego mulcta abſtineam, ſi quid otij indulſerit diſciplinæ ſtudium. Vale, & optimos Parentes tuos

à me

ame valere iube. Neapoli III. Idus Nouembr. MDCXXXII

Iulio Laſcari S. D.

EPISTOLA XVI.

LVſtraſse te Galliam Ciſalpinam, & probo, & magnopere laudo. Ardor ipse iuuentutis laxari habenas poſcit, ac veluti extra cunas euagari. Danda hæc in æui flore libertas, quæ nunquam ſine fructu: formandæ quippe indoli nihil peregrinatione opportunius. Erudiri eximia quadã præceptoris voce, præclarum: ſed neſcio quæ maior vis ineſt locorum, ac rerum monumentis. Muta iſthæc lycea ſunt: ſed quæ per ſilentium altiùs inclamant, ac imprimunt; ſignamusque intimè, velut ære, ac marmore, quæ oculis cernimus. Nobiliſſima ea eſt pars Italiæ, illuſtriumque exemplorum feraciſſima, à magnarum vrbium quà ruinis, quà incrementis; tùm ab inſignium virorum rebus præclarè geſtis, quarũ ſparsa paſſim veſtigia. Peramplam quandam hiſtoriam in illa habes. Saxa, titulos, corroſas, corruptaſque à vetuſtate literas, luculentos, ac publicos Annales dices, aui fide nobiles, nullis verborũ lacinijs, aut lenocinijs prolixiùs comptos, nullis præterea partium ſtudijs obnoxios. Eundo legimus: atque interdum Commentarios ipſos in noſtra aduerſaria paucis exſcribimus. Quid pulchriùs? Sed hæc vſu te didiciſse, nullus dubito; ac legiſse puto Lipſianam illam, verè auream ad Lanoyum epiſtolam, in qua id contendit viri eloquentia, vt artium, morum, ſapientiæ, elegantiarum Academiam in vna peregrinatione aperiat. Porrò, itineris tui, atque operæ pretium non ſanè exiguum feciſse te, inquis, quòd Venetiarum Ciuitatem, Dominam illam maris, atque orbis, naturæque miraculum inſpexeris. Negas, regiam hanc Vrbem, ac portentum vrbium ſine oculorum fide complecti animo mortales poſse; totuſque es in eius admiratione, ac laudibus. Meritò, mi Iuli: viſæ nanque in eius opi-

ficium, formam, felicitatem coniuraſſe terræ, maria, aſtra, atque ipſa diuini Numinis ſapientia. Adriaticum procelloſum alioqui pelagus, ac turbidum, vides manſueſcere, ac ſinu quàm placidiſſimo complecti, ac fouere Vrbem: quam etiam cominùs, eminùs mirificè tutatur. Nam foris tempeſtatibus ſe ſe armat, aquilonibus, nimbis, vndiſque longè pugnaciſſimis, vt hoſtium claſſes perdat, diſperdat: domi verò nouo quodam munimenti genere in mœnia ſe ſe diffundit, eò tutiora, quò magis peruia: eſtque inſuper ad tutelam ſimul omnia, vallum, agger, arx, excubiæ: planè vt cùm centum Vrbi oſtia ſint, perampla ea quidem, & quæ interdiù, noctùque patent, non ſibi, non ſoſpitati ſuæ metuat, excubante nimirum pelago. Quid alia ad vitæ opportunitates ab eo commoda? Pleriſque vrbium, quibus à portu copia, famulatur quidem mare, ſuiſque velut humeris, quicquid alibi terrarum, ac regionum prouenit, importat: ſed nullibi, herclè, quàm Venetijs, tam domeſticum, tam intimum, ac familiare ſeruitium. Per æſtuaria in ampliſſima ſe Ciuitatis compita immittit. Vbique pontus, vbique portus: in ipſa ſe infert tecta, ac lares, vt ſingulos penè mortales conueniat, ijsque annonam diſtribuat, ac merces: & ne cui deſit opportuna hæc baiuli maris opera, innumeros propemodum in Euripos, ac Nilos ſcinditur, partiturque ſe omnibus; atque huc, illuc intercurſat, diffluit, ſinuatque ſe ſe facili in ciuium obſequium Mæandro. Ad hæc, quam diſſecat Nilis ſuis Vrbem, eandem cymbis, quæ fræquentiſſimæ, vltro, citròque commeantibus, ceu pontibus quibuſdam iungit: nauigantque pontes ipſi, ductiles in immobili penè vnda. Pulcherrimam verò inclytæ Ciuitatis faciem, publicas, priuataſque ædium ſubſtructiones, ac peregrina in ijs marmora, templa, forá, porticus, pendentes inſanæ magnitudinis pontium arcus, non eſt, cur valdè mirer, quãdo præter hæc magnificentiæ monumenta, innumera fermè rapiunt ſtatim oculos miracula. Dum te putas mari vehi, media in vrbe es: media verò in vrbe cùm ſis, eſſe te inter Ægæi Cycladas, ac Sporadas credis, diſſectis in circumfluas

In-

Inſulas vicinijs. Vides inſidere pelago domos, niſi quædam dicas è marmore nauigia, quæ pretioſiſsimis quidem onuſta mercibus, auro, purpura; & nunquam velificarunt, & nunquam fluctuant: extantibus autem è mari palatijs, mutatas hîc affirmas naturæ vices, cùm alibi mergantur ſaxa, hîc innatent. Quid illa? prænobili vrbi tranquillitatem afferre ipſum pelagus; ſecuritatem procellas; aeris ſalubritatem ſtagna; arenam ſegetes; æſtuaria delicias? Neque poſtrema ea laudum, à peregrino cultu veſtium, à linguis, ab omni mercium genere eſse Venetijs Græciam, Ægyptum, Armeniam, Perſidem: vt Itala Ciuitas cum ſit, abijſse in transmarinas vrbes dixeris, ac ſimul Conſtantinopolim repræſentare, Alexandriam, Damaſcum, aut commune quoddam gentium domicilium. At florentiſſimæ huiuſce Ciuitatis decora vſurpaſti tu oculis; ac puto ad tantæ pulchritudinis, formæque aſpectum, affirmaſse te illicò, veram eſse fabulã, emerſiſse è mari Venerem. Interim facilè agnoſces, quàm diſtent ab ſpiranti eo ore, ducti hi meis literis, ac lineis vultus. Quòd ſi aliquis accedat à tuo ingenio, ac ſtylo color, venuſtas, gratia; aut tu pingas; habebimus profectò Venetias; aut Veneres duas: vtra pulchrior? neſcio. Vale. Neapoli Prid. Kal. Martij MDCXXXIV.

Roberto de Robertis S. D.

EPISTOLA XVI.

Literis me tuis compellas extra ordinem, mi Roberte, eòque mihi gratiores, quod inſperatè. Planè, vt frangit vim impendentis mali, expectaſse; ita neſcio quonam pacto creſcit voluptas, ſi improuiſa, ac ſubita. Hoc verò ab epiſtola tua ſolatium meum mœror quidam, ac metus tuus non minimùm ſanè minuit. Ætatis quippè annus tertius ſupra ſexageſimum, quem auſpicaris, climatericus nempè, vt Græci vocant, videtur te ſolicitum vehementer ha-

Digitized by Google

bere; adaugetque formidinem Genethliaci neſcio cuius, veluti è Phœbi cortina vox, qui ſtellas natalitias reas hoc anno facit funeris tui. Dari eiuſmodi nefaſtos annos, quibus inequitent potiſſimùm fata, ac ſuprema interminantur; ſi negauerim, næ mihi res eſset cum ſyderum, Cœlique ſcientiſſimis, ac penè cum ingeniorum vniuerſitate: adſtipulaturque, quæ rerum, hominumque magiſtra eſt, experientia. Compertum nanque, ad hos ſcopulos, ac ſyrtes pleroſque mortalium impingere, eoramque diffringi, ac ſorberi nauigia. Scilicet, in ſeptenario numero arcanam vim quandã agnouere Veteres, ac fatalem dixere, quoties in ſe ductus multiplicatur, creſcente per interualla, & gradus, numeri malignitate. Hinc ſeptimo quoque anno ſuæ homini clades quà fortunarum, quà vitæ: hinc plena aleæ ſeptena annorũ ſeptenaria: hinc annus ille longè periculoſior ex ſeptenis tribus ter ductus, nempè tertius ſupra ſexageſimum, qui modò te, ceu quid inauſpicatum terret; & quem, vt pleraque ſubindè illum infamarunt naufragia, nullus vnquam non timuit. Quid igitur? in horum nos etiam verba iurabimus, ac tantum in genus hominum ſeptenarijs hiſce annis licere affirmabimus? Numero ipſi vis hæc, an tacitum illi cum aſtris fœdus? an cætera clementes, vitaleſque annorum vices, vbi ſeptenarium attigère, mores mutant, ac ſæuiunt? an febri quadam laborant anni, vt ſtatis temporibus, quod in tertiana febri accidit, aliquem ceu bilis motum ſentiant? cur hiſce *præſertim vitæ* periodis inſidiantur mortalibus ſydera? Aliquod igitur ſeptenarium expectat immitis Atropos, vt feriat; ſuſpenditque interim manum, ac ferrum? ſed experientiã laudant; ad quam ipſum te prouoco. Enimuerò illorum annos ſi numeres, qui deſinunt in dies viuere; vulgus ille fuerit, an illuſtres animæ; pleroſque omnes, aut citra, aut vltra climatericum comperies exceſſiſse; perraros, quos aliquod abſtulerit ſeptenarium. Neque eſt, cur ſignatis hic agam teſtibus: ſi hiſtoriarum monumenta, aut lapides conſulas ſepulcrales; videbis, velificatos quàm feliciſſimè Euripos hoſce, ac freta. Itaque parce metu, mi Roberte;

valeant hęc annorum terriculamenta. Scio, te firma vti valetudine: igitur ſalua res eſt. Acciſis, afflictiſque corporis viribus nullus non annus climatericus; incolumi, valentique nullus non ſalutaris, ac fauſtus. Denique ille climatericus, qui vltimus. Quid? inquis, ſi Aſtrologi ab ſyderum themate malè etiam ominantur? pulchrè: genus hominum aduocas longè mendaciſſimum. Aſſidere ſe Saturno, Ioui, Veneri, fabuloſis nempè nominibus, ac Numinum laruis iactant; quid ab iis ſolidi, verique expectas? Qui per errantium ſyderum veſtigia huc illuc excurrunt, annon toto ipſi Cælo errauerint? longiùs profectò abſunt, quàm vt intueri coràm poſſint, quid cudant Cæli ſydera: præſertim cùm nihil obſcurius aſtrorum lychnis, ad quos ipſi nunquam non allucinantur. Fortunas, infortunia diſtribuunt; illum honoribus, hunc cenſu augent: nutu ſuo annos huic adimũt, huic addunt: minantur Regibus, ac Regnis: fatorum leges adminiſtrant. Qui hæc ſibi arrogant, annon inſaniunt, aut ſomniant? faciles nanque ſomnos cum ſuadeant labentia ſydera, facile eſt ſomniare: inſanire verò, hinc conijce, quòd omnium conuicijs, ac linguis vapulent. Quid plura? praua hominum ingenia, vulgi leuitas, habendi cupido, ambitio clientelam huic arti comparauerint; fidem nunquam: idque paſſim cõtingit, vt quiſquis quæ Aſtrologi affirmant pernegget; aut contra, ea neget, quæ illi affirmant; is enimuerò melior ſit aſtrologus, ac certiùs collineet. Innuimus hæc, ne Chaldaicæ hæ tibi rationes imponant. Cæterùm, quòd viuas lethi memor; facis, quod probi viri faciunt. Nihil hac cogitatione ſalubrius, qua & componimus vitam, & morti non illibenter occurrimus. Vitam verò vt morte erudimus; ita extendimus ingenio, quod tu idem facis. Audio ſiquidẽ, te neſcio quid literarij operis in lucem propè diem editurũ. Gratulor, & quæſo te, mittas quàm celerrimè. Vale. Neapoli V. Kal. Februar. MDCXXXV.

Lu-

Lucio Marchioni Sandonato S. D.

EPISTOLA XIV.

QVos duos petis à me libros, miſsa ijs coemendis ſyngrapha, dabo operam, vt quàm primum accipias: & alterum quidem, nempe Senecam cum Lipſij notis, typis Antuerpienſibus, & quàm politiſſimè compactum, cum iam: alterum verò, nempe Abrahamum Ortellium, quòd viſus mihi bibliopola auarè nimis pretium illi ſtatuere, mercari diſtuli: forſitan mora miteſcet tantiſper ea lucri ſitis. Scio, te aſſidua verſare manu Senecam: & quia nonnunquam caligo occurrit legentibus, nihil ſanè opportunius, quàm Lipſianæ hæ faculæ; præter eruditionem, quam lux illa ingeniorum, vniuerſęque antiquitatis, & literaturæ condus, & promus ſcriptis ſuis inſpergit. Pulchrum enim verò, ſimul docentem, informantemque mores audire Senecam, facundum illum, ac peracrem Licurgum animorum ſimul habere, qui Senecam explicet, illuminet, reſtituat, aut ſi quod impreſſum à librariis, ac æuo vulnus, ſanet. Iã quòd Ortellium auidè dicis expectare, video, te Coſmographiæ ſtudio captum, egreſsumque vnius regionis, aut regni confinijs, latius velle per mundi climata peregrinari, ac luſtrare terras, ac maria per veſtigia Solis. Nihil hoc, herclè, ſtudio generoſæ mortalium indoli accommodatius. Stare loco mens hominum neſcit: euagari huc illuc, intueri vrbes, orbem auet. Id quod illi egregiè præſtat Coſmographia: qua duce, affixi tabulæ, quicquid allambit, alluitque Oceanus, vltrò, citròque peragramus: non equo, aut mari; libris, ac mappis vehimur. Itineri quæuis anni, ac Cæli tempeſtas percommoda: nunquam non opportuni incidunt in vela venti, ducuntque breui, quò volumus. Non turbidus Adria, non Ægæum, aut Atlanticum ipſum mare vnquam terruit: legendo, ac ſtando traijcimus, hyemante, aut reluctante nunquam pelago. Adimus ſumma hyeme Germaniam, Po-

lo-

Ioniam, Sauromatas, Getas; nec æterna eorum niue, geluque lædimur: contra, ad obnoxia acerrimo Soli regna pergimus; neque ſub ferventiore ea Zona æſtuamus. Eadem nos beneuolentia humaniſſimi mortalium Hiſpani, Galli, Itali, ac Thraces, & Scythæ excipiunt: nullum incutiunt efferata ingenia terrorē, ac metum: neque magnoperè verendum, ne immanis eorum indoles aliquid afflet barbari moris, ſi diutiùs cum ijs moremur. Illud ſanè mirum, longiſſimam hanc terrarum peregrinationem intra penates ipſos obimus: non commeatu, non penula indigemus: in Museo noſtro, in vmbra, in porticu peregrinamur: ſimul domi agimus, ſimul res Aſiæ contemplamur, aut Africam emetimur. Quid illa? momentò ire, redire: patria ſoluere, neque à conſpectu, complexuque carorum capitum diuelli? quæ itinera comitantur, rerum pericula procul abeſse: nullos ab alieno, grauique ſydere morbos pertimeſcere: idem tibi Sardiniam eſse, ac Tiburem. Vide, Marchio eruditiſſime, quantam à mortalibus inire gratiam Coſmographi debent, quorum vigilijs, contracto in anguſtum orbe, breui noſtris nos oculis regiones ſubijcimus, ac prouincias longè plures, quàm ſibi, ſuoque Imperio Perſæ, Macedones, Romani ipſi diuturna armorum contentione ſubieecerint. Mitto reliquas à Coſmographia opportunitates & commoda. Nam quæ lux eſt temporum, ac magiſtra vitæ hiſtoria, non eam profectò afferret voluptatem, ac fructum, niſi præclaræ eiuſmodi diſciplinæ rudimentis initiati, ſcinerint legentes, vbi locorū, ac gentium legendo morentur. Fortunæ deinde belli quantum terra, marique momenti accedit à Coſmographia? Scilicet, priùs accurata locorum cognitione, quàm armis tentanda regna ſunt: neque ante tranſmittenda claſſibus maria, quàm portus, littora, Euripos, Charybdas, Scyllas noueris. Sed hæc tu, Marchio, probè noſti, atque adeò animatum te egregiè ad pulcherrimam hanc laudem, valde probo. Aderit flagrantiſſimo tuo ingenio ære, ſtylo Ortellius. Ille tibi in hac Orbis luſtratione nauis, vela, remex: ille dux, comes, nomenclator, monitor, omnia. Illud verò minimè diſſimulan-

landum, præter aſpectabilem hanc rerum molē, pulcherrimā eam quidem, ac longè ampliſſimam, quam intueri, atque agnoſcere per partes anxiè cupimus; alium eſse longè ſpecioſiorem, ac feliciorem, ſupra quicquid cernitur, mundū; cuius mundus hic noſter vmbra quædam eſt: Archetypon vocant; eſtque in Deo ipſo, ac Deus ipse, quem, Timæus ille Pythagoricus: Κόσμον ἰδανικὸν, hoc eſt, mundum exemplarem, appellauit; de quo Vir ille ſapientiſſimus:

pulchrum pulcherrimus ipſe

Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans.

Huc collimandum; ad hunc, vt olim Alexander, illachrymandum; hunc niſi noris, ac teneas, quid tandem Ortellius, quid tibi deſcripta literis, ac lineis proderit Coſmographia? Vale. Neapoli Idib. Nouemb. MDCXXXV.

Petro Antonio Santamariæ S.D.

EPISTOLA XVIII.

CVm Lipſij libello de Conſtantia mittis mihi è Romanis iſtis aurifodinis, cryptis nempè Martyrum, pretioſiora auro Diuorum Lipsana. Nexus hic ſanè pulcherrimus: ſcimus nanque Athletas illos longè fortiſſimos hac potiſſimùm laude conſtantiæ frontem, non Apollinea, ac leui frōde, ſed gloria laureaſse. Vtrumque mihi gratum oppidò munus: alterum à præclaro Auctoris ingenio, à ſingulari eruditione, cultuque dicendi erit ſemper in manibus: alterum à virtutis pretio, ac religione, feram in oculis, condam in pectore, cordi adprimam. Iucundum planè mihi audire loquentem Lipſiū: longè iucundiſſimū ad beatiſſimos hosce Manes precibus agere. Sed de Belga illo, æui noſtri diſertiſſimo, nihil addam: abripit ſtylum, quo me beaſti, ſacrorum Cinerum donarium. Quid? factum, infectumque aurum miſeris, vim gemmarum, arguti operis tabulas, chlamydes acu pictas, Attali, ac Midæ opes; quid hæc ad animi cultum,

atque

atque incrementa virtutum ? quid cum Religioſo viro Craſſi opulentia ? quid in ijs non tempori, non caſui, fatoque obnoxium ? Hæc magna, hæc ſolida, mi, Alberte, hoc purum, putumque aurum, hæ gemmæ: nempè inclyta Diuorũ pignora, magnarum animarũ exuuiæ, pretioſa hæc, non tam Martyrum, quàm Chriſti membra; hi Manes, hæc oſsa, hic cinis, templa olim Numinis, inſtrumenta clarorum operum, adminiſtra victoriarum; nunc trophæa fidei, ſpolia charitatis, patientiæ monumenta, incitamenta pietatis; Chriſtianæ Eccleſiæ præſidium, ac decus. Viſi quidem inteſtino quodã odio, iraque implacabili ferri in ſua corpora Viri Dei: & hi quidem in solem, & puluerem grandi quadam indole, ac ſupra omnem metum vultu proſilire, atque aperto veluti marte cum acerbiſſimis lictorum ingenijs, ac lacertis; cum efferata leonum rabie, cũ ferro, cũ flãma, omnique tormentorum genere ita dimicarunt, vt dilaniari pro Deo, diſcerpi, tranſuerberari, absumi, in iucundiſſimis reputarent: hi verò in ſiluis, aut paupere ſub tecto, veluti ſub vmbra, priuatoque in theatro, quiſque ſibi tyrannus, lictor, leo, tigris, fame exſiccare membra, diſsecare flagris, cilicijs horridè diuexare, indormire ſaxis, peruri gelu, atque omnigena ſe ſe afflictatione exercere geſtiebant. Hæc igitur ſanctiſſimorum hominum corpora, quæ ceu præclaras olim victimas, aut aſpera quædam virtus, aut immane ferrum ad aram Numinis iugulauit; quæ tantùm exhauſere ærumnarum, tantum dedere ſanguinis; tam durè, tam dirè pro Deo accepta; attrita, an expolita cruciatibus? elimata flagris, diſcerpta vnguibus; in theatris, in arenis, per ora belluarum æquè ſtrenua: Corpora hæc, inquiam, mirum deinde erit, ſi tanto dignetur honore Deus? ſi vernet erudita in roſam cicatrix? ſi micent gẽmarũ ritu vulnera? ſi oſsa efflorreſcant? ſi pietas eã conſecret? ſi decus afflet diuinitas? ſi dignitatem, ſi pretium conferat religio? ſi mortalium laudes, hymnique inodorent; ſi procumbant in vota populi? ſi purpuræ, ſi paludamenta, ſi Regum ſceptra venerentur? Magnum hoc quidem, priscam Cæſarum rabiem abijſse in gentium cultum;

F & quos

& quos viuentes, aut ſui odium, aut aliena diſcruciauit ſæuitia; vita functos omnium obſequia, ac ſtudia promeruiſſe. Illud ſanè mirabilius, vim ijs ineſse propulſandis infortunijs incredibilem. Nihil Diuorum cinere ardentius; nihil exiguo eo puluere actuoſius; nihil arente iam dextera pugnacius. Calet, ſpiratque in tumulo charitas, ac generoſior virtus; neque adeò quieſcunt pij Manes, vt ſi precibus excites, non ſtatim in commune præſidium emicent. Quoties innumeras hoſtium copias Cælitum profligauere cadauera? Viſa muros perſæpè conſcendere, aſpectuque, ac minis terrere caſtra. Viſa in mediã ſe ſe aciem proripere, ſtrictoque fulmine, delere ad internecionem agmina; ſcilicet, funera afferre, neceſse eſt, qui è tumulo veniunt. Viſa militarem in modum, vultuque acerrimo per aera non aerè verberare, ſed hoſtes. Quæ quidem in hiſtoriarum monumentis paſſim; vt agnoſcas, vrbium, regnorumque firmamenta, ac robora, non tam eſse armatum militem, munimenta, arces, quàm qui ſuis in puluinaribus dormiunt, an excubant? Diui. Non reliquam exequar ab ijs opem. Nulla ſiquidem eſt immiſsa mortalibus clades, quam non exarmet, aut emolliat ſacrorum vis pignorum. Eam vbi ſenſerit intractabile pelagus, momento deferbuit, iramque reſorbuit ſuam. Vel ab vrnis dant fatis, aſtris, Cælo iura. Parent exiguo puluери mundi elementa; non ſterilis cinis ille, à quo annorum autumnitas, vbertas, atque aurea in campis ſeges. Hinc meritò deuota Sanctorum Lipſanis mortalium pectora; hinc congruenter tantæ religioni, ac dignitati faciunt, qui transmarino marmore, ac multa iaſpide ſepulcra ijs ornant; qui puluiſculum gemmis illuminant; qui culta auro officula geſtant pectore, ac proximè cor, vt vitam ſua veluti in ſede foueant. Interim agnoſco, Petre Aloyſi, quo me munere affeceris, & quantum tibi gratiarum debeam: illasq; quanta maxima poſsũ animi contentione humanitati tuæ perſoluo. Si non reſpondeat ſtylus, ſcias, ſupplere abunde ſtudium, atque intimi pectoris obſeruantiam; quam obſtrictam habebis, quandiù pio erit Cineri honor; &

quo-

quoad Diui ipſi viuent in ſinu lucis, gloriæque. Vale. Neapoli VI. Id. Iul. MDCXXXV.

Ioanni Baptiſtæ Summaripæ Cl. Reg. S. D.

EPISTOLA XIX.

PRopugnatas à te ſtrenuè Philoſophicas theſes tuas, nimium, *quantum gratuler, Iuuenis ingenioſiſſime.* Qui te priuatis in ſcholis eximia cum laude ſciueram deſudare, non dubitabam, fore, vt in publica deinde arena confertiſſimo theatro ingenium adprobares tuum. Rem mihi ingenuè ſignificauit, cui nullum, aut ſtudium, aut à mendacio pretium: & qui etiam quotquot ſodalium in ſcholaſtico eo puluere concertarunt, ita dilaudauit, vt palmam tibi aſſereret; ac fore putauit, quod ſanè contigit, vt hic mihi nuntius accideret iucundiſſimus. Alterum tibi e veſtigio curriculum ineundum, nempè ſacræ Theologiæ. Hæc reliquarum magiſtra diſciplinarum; ac princeps; hæc norma, lex, menſura: & quæ quoddam etiam frænum inijcit audacibus, ac natiuo quodã igne efferueſcẽtibus ingenijs. Certè quod ad naturalem philoſophiam attinet, debet illi quidem non minimum mortalium eruditio, atque ipſa vniuerſitas rerum, quarum tenebris lucem fecit: at neſcio, an plus ipſa diuinæ Theologiæ debeat, quæ ad frugem reuocauit, monuitque officij; & quadam etiam illuuie obſitam, impexamque expoliuit ad vnguem, exornauitque. Enimuerò viſa non rarò priſca illa Philoſophia, ceu dormitaret, ſomniaretque, indecorè ineptire. Nihil in literarum monumentis frequentius, quàm veterum philoſophorum deliramenta, ac nugæ; ac ſcitè quidem latinæ Princeps eloquentiæ affirmauit, nihil tam abſurdum dici poſse, quod non aliquis ab eo grege magnificè venditaret. Nam proſcriptum à Zenone rerum motum; implume, ac bipes Platonis animal; Empedoclis naturarũ quaternionem; efſictos ab Anaximandro mundos; igneam

Thaletis animam; Pythagoræ metempſychoſim, ac ſuccedanea illa animarum hoſpitia; diſcerptum in partes, ac ſegmenta Deum, Deorumque myriades, atque innumera id genus monſtra, in quæ Philoſophorum capita hydræ in morem progerminarunt, quis vnquam abunde perſtrinxerit? Hinc Philoſophiæ probra, eiusque formæ, famæque dehoneſtamēta: hinc vulgi in illam conuiciorum plauſtra: hinc genus hominum inſuaue, delirum, triſte paſſim audire: hinc muſſare, obloqui, ſtylumque exacuere plerique omnes: planè vt quisquis paulò facundior, atque vrbanior videri vellet, plauſumque apud multitudinem concitare, philoſophos dictis, factisque exagitaret. Sed hæc olim, atque in caligine ea rerum, ac temporum: mutata deinde facies, atque emollitum philoſophiæ fatum: cùm ſcilicet ſcientiarum, artiumque omnium Antiſtita, ſumma illa diuinitatis interpres, ac cæleſtium arcanorum indagatrix Theologia, diuina quadam luce circumfusa, auguſtaque, ac ſupra communem ſpeciem forma Orbi, ac Lyceis illuxit, atque erudire ingenia publicè inſtituit. Sapere tùm quidem Philoſophia videri potuit. Eius nanque aulæ aſsueſcere; ancillari Matronæ principi; ſuam illi operam, ac ſtudium locare; totā ſe ſe denique eius clientelę, fideique committere viſa eſt: qua ſanè conſuetudine, ac vsu vſque adeò expoliri contigit, vt abſterſa à pallio, à vultu, à moribus ſorde, redierit fronte immixta grauitati venuſtas: tùm addita lux menti; ac ceu reſipuerit, improbare priſca opinionum portenta: abijcere abſonas, inconcinnasque ſententias: Academiam damnare, ac Porticum, qua parte exorbitauerant: ſana docere, ac magna diſceptare, exardeſcere, verſari cum laude in puluere: denique triumphare, dominarique in ſcholis, pronis auribus audiri; in exiſtimatione, in pretio apud ſummos, infimos eſse. Tanti fuit ſcientiarum Reginæ famulari, atque ad eius ſe ſe imperium, nutumque componere. Ad huiuſce te porrò veræ ſapientiæ adyta admittendus cum ſis, ita te velim vrgere doctrinarum ſtudia, vt nihil pietatis, ac diſciplinæ ſtudio ſit tibi antiquius. Iuuant ſe ſe mutuò ingenium, ac mores, ſi

æquè

Digitized by Google

æquè excolas: lucetque à virtute eruditio, ab eruditione virtus. Quid verò religioſo viro turpius, quàm ita ab ardore ſciendi abripi, vt ſui cultum abijciat; ſitque in ignauo, ac rudi pectore erudita mens? planè doctrinarum, atque artium ſtudijs niſi reſpondeat vitæ ratio, ipſemet earum ſplendor id efficit, vt clariùs ſoluti, ineptique mores videantur, ac tua te lux prodit. Apage teterrimam peſtem. Illam tu caue, & Vale. Neapoli Poſtrid. Id. Septemb. MDCXXXV.

Leonardo Vitali S.D.

EPISTOLA XX.

POſtremæ tuæ literæ ſeptimo Kalendas Aprilis datæ, qua parte ſignificant, valere te, ac tuos, nimio quidem opere me exhilararunt. Audiueram quippe, te, ac germanum fratrem tentari neſcio qua febricula, quæ videbatur, fore, vt non tàm citò ſolui, ac faceſſere contingeret. Veſtram incolumitatem non vobis modò gratulor, ſed bonis omnibus, qui vos amant; & Muſis, quarum in contubernio, ſinuque viuitis. Altera verò epiſtolæ tuæ pars alio me cruciat tuo morbo; idque eò vehementiùs, quòd is non corpus, ſed animum, atque intimum pectus afficit. Ais quippe, eò tandem excreuiſſe à ſcrupulis animi tui fluctus, ac tenebras, vt dies, ac ſerenitas omnis à fronte, à vultu, atque à ſuprema potiſſimùm regione mentis exulent. Graſsatur hic paſſim morbus, mi Leonarde; ac parum eſt intercipi moleſtiſſimis eiuſmodi curis ſomnum; perindè corrumpi guſtum, vt nullæ ſapiant dapes; non auium, citharæque cantum leuamento eſſe; nullo denique ab hortorum, à fontium, à littorum amœnitatibus oblectamento mali contumaciam frangi: parum hæc, inquam; acerbiùs nanque ac diriùs ſæuit. Enimuerò, cùm illos præſertim corripiat, quibus nullum cum rerum humanarum illecebris fœdus; ſed frequenti vſu

pie-

pietatis , atque vſurpatione ſacrorum ſibi ; virtuti , Deo va-
cant ; id efficit, vt occupatam, diſtrictamque peracutis hiſce
aculeis mentem , diſtrahi non minimùm contingat, atque
adeò in religionis , ſuique cultu tepeſcat impetus ille, ac ar-
dor, quo cœperant : & accedit aliquando , vt quidam in
tanta rerum caligine priſtinam interni hominis lucem , ac
tranquillitatem desperantes , abrupto penitùs perfectioni
curſu , bonam mentem , atque omne diſciplinæ ſtudium ab-
iecerint. Quid hac ærumna luctuoſius ? ſcrupulis , hoc eſt,
leuiſſimis animi motibus quati , ac obrui : terreri vmbris ,
iiſque confici : mergi virtutem , quæ prouehi verberata ven-
tis debuit : ſiſti ſtimulis ijs ſpiritum , quibus agi, vrgerique
veluti in Elæo puluere videri poterat. Planè, quod experien-
tiſſimi quique in hac rerum diuinarum palæſtra affirmarunt,
verum putò : nempè cum à Deo exercendæ , expoliendæque
virtuti iſtiuſmodi animorum cruciamenta immittantur; tùm
à malis perſæpè genijs excitari , foueri , intendi; ſcilicet , vt
langueat, quod modò ſignificaui , charitas , abeatque in ci-
neres pij pectoris flamma , ac deſtituat mentem guſtus ille
diuinorum , ſine quo nullus vnquam virtutis ardua vorauc-
rit; nullus delicias delibauerit cæleſtis Sponſæ . Itaque ca-
uendum maximè, ne adeò te interna hæc occupet lucta, vt vi-
res animi exhauriat nimius mœror . Obnitendum quidem,
pugnandum . Scis, quomodo ? Contemptu quodam . Cre-
de : terriculamenta ea ſunt , ac larue : ſi ſpreueris, euanuere:
ſi verò tanquam cum verò antagoniſta, collato cominus pe-
de, certas; ac iugulare ſpectra ſeriò contendis ; operam ſtre-
nuè luſiſti. Tùm, ſi quem nactus es rectorem animi pruden-
tem, ac nauum ; illi ad vnguem pareas : nihil hoc adiumen-
to facilius, atque opportunius . Quòd ſi tuo te nutu rexeris;
ſi trepidationem , metumque tuum conſulueris ; ſi te audie-
ris, peracta res eſt : gliſcet dira cogitationum rabies ; abri-
pietque ad certum exitium æſtus animi. Auocant præterea
ab huiuſmodi afflictationibus ſtudia; ac repetitæ interdum
amœniores Muſæ nimiùm, quantùm leniant lanienam. Ha-
bes hoc à te ſolatium , cuius nulla elegantior , ac ſuauior
Muſa.

Muſa. Si autem adoriantur triſtes curæ, auream ſume citharam; pange aliquid eruditi carminis. Hoc arcu Pythonem conficies. Vale, ac ſcias, nullum mihi frequentius votum, quàm pro tuæ mentis tranquillitate. Neapoli Idibus ſextilib. MDCXXXVI.

Ioſepho Silos Patrueli S. D.

EPISTOLA XXI.

MIſſam à te mihi, atque expectatam diù Odem tuam, percurri quàm auidiſſimè, gratulatus vehementer, quód Muſa tibi contigerit planè non ex Sororibus poſtrema: immo, niſi me amor tui, affectus, germanitas fallunt, inter primas. Pindaricam vocas: meritò: nam quisquis elatas, ac ſupra poetarum vulgus figuras; excuſſas ceu torno, cadentesque ex inopinato ſententias, eloquutionis peregrinitatem, granditatemque inſpiciet; dixerit, omninò ad Pindarici plectri modos te canere. Reſpondet argumentum, quod à Pindaro ipſe videris deſumpſiſſe, cui non aliud principium Muſæ quàm: Ἄριστον μὲν ὕδωρ. Enimuerò aquam ita laudas, vt ſuomet ſuffuſum rubore, ſuppudere videatur ſpretum à te vini, quod hi quidē Dei lætitiam, hi Iouis nectar, deſudatas alij naturæ delicias, ac ſuccum quendam ſyderum, alij fuſile electrum, liquatumque aurum vocant. Reclamans hic porrò cæteri penè mortalium, atque ipſa in primis poetarum natio, cùm ad Muſarum fontes ſæpè diuertāt, moreturque aſſiduò ad aquæ lene caput ſacræ, vt perſpicuitatem inde, puritatemque, ac dulce murmur canendo exprimant, ac imitentur: attamen ex ijs ita nullus abſtemius, vt ad doliolum omnes canant, totoque ſe proluunt auro. Vinoſa ea quidem gens: veluti tùm maximè ardeat, ſpumetque poeticus furor, cùm crateras exhauriunt, ac ſpumantia ingerant affatim vina. Dixeris non Apollini, ſed deuota Baccho pectora: atque adeò nihil ijs iucundius, quàm

bA Par-

Digitized by Google

Parnaſſum cum Campanis collibus commutaſſe; Muſarum cantus cum Veſuuij lachrymis, cum Pauſilypi vinetis laureta Heliconis. Quid? inquiunt; pretioſiorem putas poeſeos venam ab Hippocrenes vndis argenteam, quàm à Cretenſi mero auream? Quid illà vini purpura ſpecioſius? eo ſi madeant carmina, quid pulchrius, quid magnificentius? O natam exhilarandis animis, fouendæ, alendæque mortalitati, acuendę menti, erigendis ingenijs, exornando carmini vindemiam. O diſertos, facundosque vini calices, quorum labra admota poetarũ labris, nimium quantum ora, ac pectus fæcundent. Hæc illi: at te, mi Ioſeph, nihil hæ bibulorum hominum morantur nugæ: tu Muſis amicior, pellucidos earum fontes, ac ſaluberrimos aquæ hauſtus, mutuato ab tuo Apolline arcu, ac pharetra, & quàm pugnaciſſimè, & quàm amœniſſimè tueris. Scis ab hiſce Lenæi lenocinijs abhorrere Iouis Filias, quibus virgineus candor, ac pudor maximè ad cor: iuuat nempè Caſtalius humor caſtas: Scis, lauro Vatum citharas, ac cæsariem coronari, non pampino: ſcis ignotos Parnaſſo Falernos agros, & Gaurum, & quicquid Chia deſudant præla. Ille hic in pretio liquor, quẽ euolantis ad aſtra Pegaſi elicuit vngula; non quem pes ille rusticus per ſummam iniuriam calcando exprimit. Apage exundantes cyathos, qui merguntingenia, non irrigant, non fæcundant, non vegetant. Quicquid floridi, amœnique Muſarum horti habent, à currentibus huc illuc riuis, vndiſque ad numerum ſalientibus habent; quas, vt vernent, vt floreant, combibant hyacinthi, roſæ, violæ, neceſſe eſt. Igitur quos latices Ode tua laudat, ijdem ipſi Odem tuam tergunt, vt niteat: nitet verò inter paucas, ac flore quodam amœnatur, quẽ non alius, quã Permeſſi humor aluerit. Porrò cum Ode epigramma etiã miſiſti de Equo Troiano; pulcherrimum ſanè corollarium. Non tot Equus ille ſinu ſuo clauſit Græciæ Duces, quot Gratias tuum carmen. Latinè iam ſcribas, aut Etruſcè, æquas magnos. Si pergas hæc pangere, pergam plaudere. Vale. Neapoli XI. kal. Octobr. MDCXXXVI.

Ad

Ad Albitricium Vetranæ Principem.

EPISTOLA XXII.

BEaſti, Princeps, Academiam hanc noſtram Inflammatorum ingenio, ſtylo, iudicio incomparabili. Inter mulierum,ſiue corporis, ſiue animi laudes, quæ potiſſimùm excellat, diſceptandum de more cum eſset; abſens tu licet, nec Principes in hac *palæſtra*, quod olim monuit Alexander, haberes antagoniſtas; certare nihilominùs, ac theatrũ iſthuc exhilarare, miſsa elegantiſſima, grauiſſimaque ſcriptione tua placuit. Viſum profectò nescio quid hinc lucis addi flammis noſtris: exiſtimationi ſiquidem, honorique non ſanè mediocri fuit: ſuam hic propugnare ſententiam prænobile ingenium. An verò excepta pronis auribus lucubratiuncula ea fuerit; quantum in te ſtudij excitaueris; quid de facundia, atque eruditione tua Academicorum, quiſque ſenſerit, iuſsus ego, breui vt epiſtola tibi ſignificarem, nescio, an reſpondere communi voto, atque argumenti diguitati queam. Et verò quòd ſcirent, qua vi mentis, quo pondere, quo dictionis cultu vti in Academijs ſolitus ſis, complurium ſententia ea fuit, vt ne publico conuentui id tuæ diſsertationis propinaretur. Quid? inquiebant, quantùm lux illa ingenij noſtra inumbrabit? Cùm à pulcherrima illa dicendi idea, & forma quàm longiſſimè abeſse, intelligemus, quantus hinc pudor? quæ non exarserit in Inflammatorum vultibus purpura verecundiæ? Vicit tamen aliorùm opportùnius planè conſilium; quòd dicerent, è tot peregrinæ orationis ornamentis, exundante elegantiarum copia, aliquid certè in noſtra ingenia deriuandum; ac documento, gloriæque noſtræ fore excellentem,ſummamque eloquentiam. Itaque cum inſigni Academiæ approbatione recitata reſponſio eſt. Teſtabantur quidem oculi, ad confertiſſimam concionem eam perlegi; cùm interim, quòd altum vbique ab admiratioue ſilentium, neminem adeſse, putarent

Digitized by Google

aures. Inſequuta deindè admurmuratio, ac plauſus, qui quidem eruditus in verba, viſus, id diſertè pronuntiare. Te ſcilicet, vt indole, ita & ſtylo Principem; ac non tam egregio pectori, quàm ornatiſſimæ ſcriptioni ſingularem ineſſe magnificentiam. Tueris quàm elegantiſſimè, & quàm acerrimè, nihil inter fœminarum dotes laudabilius eſſe, ac pulchrius honeſtate, quæ nuptis, innuptis ęquè commendatiſſima, ſeuerè comis, cultu modica, pretio ampliſſima, domi, foriſque in animo, & vultu floret. Certè neque à maturitate iudicij grauior eligi ſententia, neque excogitari ab ingenio ſolidiora rationum momenta poterant. Helenæ, Cleopatræ, Phrinæ pompa quidem, ac faſtu victoriam efflagitabant: tu Lucretiæ, à lanificio penè ſordidę, ſed à flore honeſtatis longè cultiſſimæ, palmam petis, ac impetras. Eapropter forma ipſa, quæ à genarum purpura, à capillorum auro, ab oris gratia triumphare in omnium oculis, ac plauſu ſolenni in hoc certamine putabat, ſua confeſtim ſpe decidit, atque ipſamet perorante, ac ſe iudice, litem honeſtati adiudicauit. Illud porrò admirationi deſeruijt non vulgari; tanto videlicet eloquentiæ apparatu ſimplicem, frugalemque honeſtatem commendari: pudicitiæ modeſtiam exceſſu quodam elegantiarum efferri: venuſtari tanta dictionis ſuauitate auſteritatem, rigoremque honeſti oris: contemptum denique formæ quæſitis adeò dicendi ornamentis cumulari. Diſparia hæc prorsùs, quæ tu non ſine admirabili eloquentiæ laude fœdere quodam illigas, ac miſces. Sed non is ſũ, vt tua dilaudari abundè poſſe, mihi perſuadeam. Illud ſcieris, Princeps eruditiſſime, poſtulari certatim reſponſionē tuam, exſcribi, ac teri iam penè omnium manibus. Viſa nanque explorata ad noſtrum ignem purum putum aurum. Perge eiuſmodi ingenij delicijs demerere Academiam hanc noſtram, quam nullo vnquam ſplendidiore auctoramento tibi deuinxeris. Vale. Bitunti Kal. April. MDCXXXVIII.

Sigiſ-

Sigiſmundo Thadæo Epiſcopo Bitectenſi S. D.

EPISTOLA XXIII.

CVm id maximè propoſitum habeã, Sigiſmunde, Antiſtes Illuſtriſſime, vt in tui cultu nuſquam, nulli officio deſim, vti hac temporum fauſtitate, Natalibus videlicet *Chriſti Domini, debui, vt me tibi ſiſterem*, ac fauſta de more apprecarer. Superuacaneum id planè: neque enim is es, vt huiuſmodi obſequij genus ab exteris exigas; quando tu tibi nunquam non bene omineris, ac felicitatem ipſe tuã circumferas morum laude, præclara virtutis indole, communique mortalium exiſtimatione: adeò vt quod ſemel adportat vſus, tecum habeas continenter. Sed neque hæc ipſa ſtudij in te mei ſignificatio perſoluenda anxiùs mihi erat. Siquidem vacare à tui obſeruantia cum neſciam; in te ornãdo, colendoque, abruptis nunquam officijs, ac votis, aſſiduus verſor; perindè quaſi aſſiduò hæ mihi Natalitiæ feriæ recurrant, quas enimuerò, vt pro tua dignitate, felicitateque vota nuncupem, ita non expecto, vt totum ipſum annũ videar mihi Virginei partus feſtum agere. Quamquam non mihi mens, vt te vulgi more conſalutem. Apage à præclaro Antiſtite, ac religioſo homine hæc temporis diſpendia. Fructuoſiùs nimirum, ac ſanctiùs alenda, qua me dignaris, beneuolentia tua eſt. Vides, ſapientiſſime Sigiſmunde, annũ conſenuiſse, ac penè iam ad Infantis Dei cunas contumulari? Vides, quã ſe ſe fuga proripuit? quàm citò, quàm rapidè? hora, punctum, aut quidam momentorum cumulus, momento breuior, non annus fuit. Fluxerint, an fulſerint fulguris in morem dies, neſcias. Vides deinde, quantum mortalium incitatiſſimo ſuo curſu protriuit? quantum humani faſtus falce demeſsuit? ſummos, medios, infimos, chlamydes, ligones, Infulas, centones æquè miſcuit. A iaculis, Parthorum ritu fugiens, minimè abſtinuit. Id quippe ſolenne illi, per fune-

funera, ac buſta populorum currus agere. Quid verò momentis ſuis, ac præcipiti hac fuga tempus moneat, nemo non videt. Nempè vt quando volubilis adeò, atque vmbratilis eſt humana res omnis; per fata, per cinerem in æternitatem genus hominum collimet. Annis præteruolantibus, virtus eſt, quæ perennat, ac Cælo beat. Cum laude ſi viuimus, perniciſsimus ipſe temporum curſus in fortunatiſſimis computandus. Quid enim? de noſtra felicitate conquerimur? Quò breuior vita, eò breuior ad Superos via. Imus per itinerũ cõpendia, quò nos æternitas, fauſtitas, Cælũ vocat. An moleſtũ vectoribus, ventis ſtrenuè propellentibus, portũ breui tenuiſse? Quòd ſi diutiùs ſuperſtites hic eſse peroptamus, ingenio ſanè poſsumus, atque eruditionis laude. Nihil eſt, quod æuum extendat longiùs, & pulchriùs, quàm vigiliæ, ac deſudata volumina. Suppetunt hæc tibi adiumenta, Vir doctiſſime. Viues in literatorum ſermonibus, ac animis, ſi ſcriptiones tuas, ac ſtylum publices. Monumenta illa aurea continuere diù ſcrinia. Ageſis, euulga ad ſtudiorum incrementa, ad incitamenta ingeniorum. Siſtes annorum vices: perennabis fama nominis. Habent porrò hæ literæ neſcio quid ſcriptiunculæ, & carminis de natura Maſtiches à meo calamo: ſi aſpectu, & cenſura tua dignaberis, nimiùm, quantũ ſuperbient. Vale, & me humanitate tua, qua ſoles, vt complectare, etiam, atque etiam rogo. Bitunti Nonis Maij MDCXXXIX.

Explicatur maſtiches vis, ac virtus

NOn Arabum truncus, non Pontica depluit arbor
Maſtichem, at aſtrorum munere ſola Chios.
Nec medicum hunc ſtillat Lentiſcus deflua rorem,
Mole ſed affinis ſtirps, ſimiliſque coma.
Sole ſub ardenti facili ferroque, manuque
Scinditur haud vno vulnere planta ferax.

Vulne-

Vulnere ab hoc manat pellucida gutta, geluque
Vertitur in ſolidum, mox vbi tangit humum.
Sunt geminæ ſpecies: quæ fœmina, mollis: at alba;
Dura, nitens inſtar maſcula margaridum.
Grandior, & melior, quam vulnera prima laceſſunt;
Cum ſenuit, minor eſt vis, aliusque color.
At prodeſt, grauibuſque leuat mortalia morbis
Corpora, quæ Chio è cortice ſtilla fluit.
Dimanat ſi nare cruor, venamque perennem
Si cohibere artis vis operoſa nequit:
Hanc adhibe: ſed thura, pilum leporiſque peruſtum
Adde, & quæ nomen gutta draconis habet.
Dum cruciant dentes, hanc cera mande recenti
Mixtam; exſiccato hinc reumate, morbus abit.
Dilue & hanc reſinam: ſimul adſint mella, cuminum;
Et lauri bacchæ, ſaluia, pulegium;
Protinus hinc triſtis pituita faceſſit, & humor
Frigidus, affectis qui nocet articulis.
Et ſtomacho prodeſt, ſi non te veſpere terna
Sæpiùs à cœna ſumere grana piget.
Aſt oleum ſtringit, ſimul emollitque, fouetque,
Vndantem & ſiſtit ventrem, vterumque iuuat.
Tùm ſi quæ vultum labes fœdauit, & ora,
Eluit, & gratus cernitur inde color.
Hæ Chiæ lachrimæ, hi mores: guttam Inſula ab vna
Hanc ſparſam toto latiùs orbe vides.

Sigiſmundo Thadæo Epiſcopo Bitectenſi S.D.

EPISTOLA XXIV.

NOn ita pridem, cùm huc te, & Carafæ Antiſtitis inuitamentum, & neſcio quid ſolennioris in noſtra Academia facundiæ pertraxerit, frui me conſuetudine, excellentique

tique ingenio tuo potuiſſe, in iucundiſſimis duxi. Videbar mihi profectò cum Sigonijs eſſe, cum Lipſijs, cum Scaligeris, cum Muretis, ita me tua omni eruditionis genere reſperſa, ac plena antiquitatis oratio ſuſpendit. Teſtatus id coram, ſed parcè, ne quam cernerê in tua chlamyde libentiùs purpuram, ſuffundi vultu contingeret: id enim tibi ſolenne, quas mereris laudes, arcere modeſtia; cuius interim color illas venuſtiùs cohoneſtat, adaugetque. Porrò, in tanta bonarum artium luce, in qua verſaris, viſus, id intimè doluiſſe, Græcæ linguæ, cuius rudimenta puer vix libaueras, elegãtiam, copiam, fructum ſerò agnouiſſe; curiſque deindè alijs ex alijs implicito, tantùm otij minimè ſuperfuiſſe, vt appelleres ad illam addiſcendam animum. Vellicari te propterea peracri quodam ſermonis huiuſce deſiderio, ſignificaſti; ac fore, vt, ſi quæ ſe ſe nunc daret occaſio idonei præceptoris, illam cupidè arriperes. Voce tùm quidem, poſtea literis præclarum hunc mihi impetum, atque Inſtitutorem te potiſſimùm cupere, ſignificaſti. Quid plura? viſum flagrantiſſimis votis tuis Cælum aſpiraſſe. Accidit nanque commodùm, vt hoſpes ad nos heri diuerterit, cuius liberalis quidem facies, compoſitus ad omnem humanitatem ſermo, atque ipſe corporis habitus monebat, aliquid in eo latere, dignum laude. Dum interrogo, cuias, quis eſſet, & quò pergeret? audio, Græcum natione, è Chio Inſula, in Romano D. Athanaſij Collegio educatum, ibique nauaſſe ſtudijs operam: è viri principis domo, cuius filios cùm Græcis literis, tum reliqua literarum humanitate informauerat, redire poſtliminiò Romam. Gratulatus ego in ſinu: an, inquam, tantiſper adhuc in noſtra hac Prouincia ſubſiſteret, vt ornatiſſimum Antiſtitem Græca lingua inſtitueret? Viſus principiò, neſcio quid Romæ officij excuſare: ſed egregiam tuam indolem edoctus, annuit. Neque mora: qui hanc tibi epiſtolam perfert, hic ille eſt. Vtinam fronti ingenuæ, atque eruditioni cætera conſentiant, nec ſapiant Græciam mores. Igitur ducem nactus, reliquum eſt, vt iter fauſtè aggrediare: certè alacritate iſta incredibili, ac vi tuæ intelligentiæ id

à te

à te polliceris, vt quicquid eſt eius idiomatis, ſtatim vores. Scimus, Picum illum, qui Phœnix audijt, Hæbream linguã, quæ ſanè difficillima, vnum intra menſem ita exhauſiſſe, vt non modò quicquid legeret, probè intelligeret; ſed expeditè etiam loqueretur, ac ſcriberet. Monſtri hoc ſimile; vt neſciam, an reuerà perinde volucris, vt fertur, Phœnix ille fuerit: ac vereor maximè, ne fabulæ propior velocitas illa ſit; ſicuti fabuloſum phœnicem ipſum plerique putant. At enim fore, vt incitatiſſimum ingenium tuum rem breui conficiat, nullus dubito: & dum Catonem illum magnum, qui maturiore item æuo erudiri Græcè voluit, imitaris, quãtùm inde doctrinarum, quantùm Græcæ facundiæ in tua ſtudia deriuabis? Athenas illas florentiſſimas adibis: ſua in Academia Platonem audies, ſuſpendentem diuina propemodum dictione aures, ac animos: ſua te dialecto, ſuo in Liceo docebit Ariſtoteles: Demoſtheni diſertiſſimè peroranti, non aliena, ſed Demoſthenis lingua plaudes. Atticas dicendi Veneres, quæ in Latium olim adnauigarunt, patrio ipſo in ſolo, longè nempè formoſiores, cernes. Natiuus candor, natiua in Græcis Muſis purpura quàm te mirificè oblectabit? Quid Chriſtianam, ſanctioremquè facundiam memorem? Agnoſces profectò è Chryſoſtomi ore aurum longè vberius, ac pretioſius fluere. Quæ Nazianzeno vis, acumen, granditas, loquentem Græcè ſi audias? Quantum elegantiæ, ac ſplendoris Baſilio? quantùm Athanaſio ponderis addit ſuus ſermo? Scilicet, quandam ſui vmbram, emunctamque orationis ſpeciem, non ſuccum, ſanguinem, neruos, ignem attulere in Latium ſummi illi eloquentiæ Antiſtites; quos ſi in Græciam deindè conuenias, hunc pulchrius effloreſcere, ardere illum, huic tonare ora; arietare, expugnare pectora illum dices. Tanti nimirum eſt, ſuo quemque nitere cultu, expolitis ſuam ad incudem verbis vti, ſuo terrere fulmine. Iam verò, quiſquis in hanc Græcarum literarum laudem incumbit, illud etiam operæ pretium facit, non ſanè mediocre, quòd prænobilis linguæ, cuius è fonte quicquid eſt Latinæ eruditionis, cultus, copiæ manauit; ſu-

ſtentare; utrique nomen, ac decus videtur. Floruit hæc olim; & connitentibus preſertim Medicèis tuis, eorum opera, ac opibus amplificari mirè potuit: planè vt in media ipſa Italia cerneres penè Græciam, atque immigraſse huc Athenæ viderentur: ita in omnium ore, ac ſtylo reſonabat peregrina ea dictio. Elanguit nunc priſcus ardor, ac vernante licet ab ingenijs ſeculo, conſenuit pulcherrimus ille impetus. Rarus, qui Corinthum velificet, colatque hanc Spartam. Pauculi ſuperſunt ſenes, qui, vt inquit ille, veluti familiæ extremi, Græcæ linguæ inſignia, ac reliquias in tumulum trahent. Age, Sigiſmunde eruditiſſime, adde & hanc tuæ Palladi coronidem, & hos ingenijs ſtimulos. Cum ſciuerint, tantum virum in Græciam iter capeſſiuiſse, quem non accenderit præclari exēpli vis? Quod ad me attinet, qui balbutire, neſcio quid, Attica olim in ſchola didici, ſpero, fore, vt breui vnà ſimul declamantem Iſocratem, narrantem ſcitè Tucydidem, carpentem homines, Deoſque Lucianum audiamus. Interim humillimo clienti tuo faue; & vt ſtudiū in te meum, non ſanè exiguum, eximia humanitate tua complectare, prolixiùs precor. Vale. Bitunti VII. Kal. Iun. MDCXXXIX.

Petro Cantelmo S. D.

EPISTOLA XXV.

MItto, Vir nobilis, horologium, quod pridem vt faciendum Romæ curarem, iuſſiſti. Opus enimuerò à Belgica manu politiſſimum. Auctor, cui ingenuus quidam, ac patrius candor, citra fucum affirmauit, ſe quidem in ea arte penè conſenuiſse; nihil verò eiuſmodi opificij molitum vnquam, aut pulchrius, aut accuratius. Elaborata perelleganter, ac diligentiſſimè exterior facies oculos cum primis capit. Internus autem labor longè mirabilior. In tenui nanque verſata delicatior artificis manus, exiguam molem ingen-

gentem fecit ſuo ſtudio: planè vt digna æternitate videatur horarum menſura, & monitrix. Attemperatus mirè chalybs materiam axi, ac rotis ſufficit, quæ dum ſe ſe inuicem admordent denticulis, perindè minutiſſimis, ac fortiſſimis, continenter voluuntur, legemque penè ſtatuunt Cęlo, & tēpori. Reſpondent adamuſſim cætera inſtrumenta motus ſubtilitate, concinnitateque incredibili; vt neges, eò peruenire limam, ac pertinax ingenium potuiſse. Sed quorſum hæc operis elegantia, niſi eò tendat, vt conſtet ſubinde temporis ratio, ſitque *inuariabilis omninò curſus*, ac certa horarum œconomia? Id quod in tuo iſto horologio penè ad miraculum accidit. Conſtans illi, qualis cæleſtibus ineſt corporibus, motus: non reſtitans, non exerrans: nihil horarum pulſu certius: non muta, non mutila, non mendax vnquam lingua. Sed hæc tu melius vſu diſces; ideòque commemorata ego volui, vt ſcias, licet magno res conſtet, non emiſse te carius. Eiuſmodi ſiquidem horarias moles, ſi interiungant, ſi lentæ, ſi celeres, ſi non tam metiri tempora, quàm mentiri contingat; quamuis auro gemmiſque diſtinctas, ſemiſse profectò non emerem: ſingulis quippe horis aſſiduam ijs concinnandis, corrigendis, conformandis dare operam neceſse eſt: quo neſcio, an aliquid moleſtius, ac laborioſius: cùm interim nihil præpoſterum magis, ac perturbatum, quàm ipſam exerrare temporum legem, horaſque fallere, docendis mortalibus deſtinatas. Contra verò quibus certa eſt horologijs fides, ijs nullum, herclè, aurum, ac pretium par: id nempè efficiunt, vt vitam per momenta cōponas; vt dies, ac noctes penè ad nutum, votumque fluant, totumque ſit tuo imperio obnoxium tempus: quod quidem longè pluris, quam horologium ipſum velim eſtimes πολυτελὲς ἀνάλωμα χρόνος. Tritum hoc in ore omniū. At nemo vnus eſt, qui ita agat, vt quadam parſimonia eſse pretioſum tempus, indicet. Prodigimus, otio terimus; in ſuperuacaneis, in nugis inſumimus: an effluat, an excidat, an quis ſurripiat, nihil penſi habemus. Vides, vt non modò horis, ſed trientibus, quadrantibus, ac momentis etiam

Digitized by Google

tempus diuidimus? cur ita? nempè vt quisque intelligat, rerum inſtar precioſiſſimarum æſtimari particulas, ac ramenta ipsa temporis debere: vt nullo in eius puncto perindè animus quieſcat, quin honeſta, ac præclara moliatur. Ad hæc, quando horologiũ ſinu geſtas, ac frequenter inſpicere contingit, cogita, mi Cantelme, obuerſari animo ſpeculum, quod vltima repræſentet. Vides hic abire mortalium vitam, currente rota: vides horas horis trudi: vides, affulſiſse vix diem, ac ſubitò ad occaſum rapi, antequam adoleſcat: accẽſisque aſtrorum funalibus magno planetarum Principi parentari, cuius modò plauſeras cunis: vides hic in lubrico omnia: vides præceps rerum fatum: vides, haud longè abeſſe, quæ tam celeri gradu properat Parca. Igitur, ad hoc ſpeculum compone, ſi qui exerrent, animi mores, ac motus: contemplare hic vitæ fugam, & æternitati proludas virtutis vsu. Diſce, in quàm exiguum æui naſcimur: quando quòd diuturnum, quod longiſſimum fingimus tempus, in anguſtũ adeò, breuemque orbem compellitur. Sed monet me horologium hoc tuum, iam aduesperascere, ac par eſt, vt ſuo detur ſtylo quies. Vale. Romæ Id. Sextilis MDCXL.

Hippolyto ab Aquila S. D.

EPISTOLA XXVI.

MOnet me poſtrema epiſtola tua, humaniſſime Hippolyte, te prope diem in Hiſpaniam conceſſurum; atque eſſe iam in anchoris triremes Neapolitanas, quæ vbi primũ idonea mari traijciendo tempeſtas affulſerit, pandent vela ventis. Nescio, an hæ te literæ Neapoli reperient: opto quidem, vt antequam ſoluas, meo te nomine conſalutent; & quæ ſunt officij mei partes, fauſta ominentur nauigationi ſydera. Si te iam venti abripuerint, ſequentur illæ nihilominus: idenim magnopere amicos rogo, vt mittant. Par eſt nanque, vt quando abſcedentem complecti, ac proſequi peramanter

 mi-

minimè potuere ; appulſum deinde ad Aulam , ſtatim con-
ueniant, emenſumque feliciter pelagus, atque aduentum tibi
ex animo gratulentur . In Hiſpaniam & ſi pleraque te com-
moda propellunt ; fieri tamen minimè poteſt ; quin auelli
ab ſinu Italiæ , grauatè ſentias . Vis ea eſt natalis ſoli.vt vel
Ithacenſis ſcopulus placeat . Quid Italia ? cuius ſi Cæli ge-
nium, ſi gentem, ſi mores, ſi ſplendorem ſpectes,nihil enim-
uerò præſtantius. A religione rectè illam appellaueris mun-
di ſacrarium, ac templum; à literis gentium omnium Athe-
neum ; ab armorum laude, rerumque geſtarum gloria ſaga-
tæ virtutis theatrum , an Capitolium ? à conſilio prudentiæ
ſedem; à rerum copia Orbis emporium ; à littorum , à fon-
tium, ab hortorum amœnitate, deliciarum ſcatebram. Quid
ſi in vna Romanorum Pontificum Infula , ſimul terrarum,
ſimul Cæli faſces iactet Italia ? Quamquam non ea eſt planè
Hiſpania amplitudine , opibus , artium , morumque cultu ,
quàm illibenter adire quis debeat. Feliciſſimum hunc eſse
Orbis tractum , argumento fuerint tot gentium nationes ,
quæ per ſumma rerum diſcrimina ſedem in ea fixerint. Quã-
tum ſanguinis hauſtum , datumque olim Romanis , vt pul-
cherrimam hanc ſibi regionem , veluti ſuam Helenam vin-
dicarent ? Ipsæ nunc, non tam vrbes , quàm vrbium ruinæ ,
cladium reliquiæ , ac monumenta bellorum neſcio quid al-
tum ſpirant. Perſpectæ deinde præclaræ illæ , atque inſitæ
Genti partes : religionis videlicet ſtudium ; attemperata
magnis rerum momentis indoles ; coniunctum cum volucri
quadam vi mentis iudicij pondus ; in tractandis regnorum,
ac populorum habenis ſolertia ; factum ad vtramque fortu-
nam pectus ; pacis, belliqne artes, morum grauitas,modera-
tio, ſapientia, conſtantia. Magna hæc quidem, ac ſupra cõ-
munem eloquentiam ; quæ tamen ſtudiorum ſplendor , ac
traducta per manus literarum omnium poſseſſio nimiùm ,
quantum adaugeant , cumulentque . Hiſpaniam , vt maie-
ſtatis , ita & omnigenæ ſapientiæ, atque eruditionis ſedem
iure dixeris , apud quam florere literas, parum eſt, niſi etiã
regnent , ac dominentur. Fuit , qui Europam humano cor-

Digitized by Google

pori perſimilem fecerit : ita vt cum aliæ alia pulcherrimi huiuſce corporis membra fuſæ longè latèque Prouinciæ ſuo ſitu efforment, Hiſpania tantæ molis caput graphicè repræſentet. Quid ad eius ſapientiæ commendationem accommodatius? perindè ac ſi alibi quidem robur, vigor, neruı; in Hiſpania, veluti in principe hominis parte, ingenium, mens, ratio vigeat, degatque hic Pallas, veluti in Iouis capite. Salue, auguſtum inclytæ Europæ caput, non tam Regum maximorum auro, ac diademate redimitum, quàm doctrinarū ſerto, ac virorum longè doctiſſimorum corona magnificè laureatum. Salue, ſtudiorum mater, & altrix, publicum Orbis Lyceum, magiſtra gentium, Hiſpania. Quid? adminiſtrant ſacrorum iura Antiſtites? nihil eruditius. Senatus cogit? nihil ſapientius. Academias conſtituit? nihil admirabilius. Typos implet? nihil doctius. Denique nihil vſquā ſcitur, quod non Hiſpani doceant : vt alibi quidem peregrinari ſcientias, hic domicilium, aut ſolium fixiſse, dicas. Ne putes, Hippolyte, lenocinari me Hiſpanorum auribus, aut aliquid origini meæ, quam ab Hiſpania repeto, tribuere voluiſse : fuerit hoc alijs ſeruile ingenium; ingenuus mihi, vt indoles, ita & ſtylus. Tu ipſe vſu diſces, præclaras me laudes detriuiſſe; tantùm abeſt, vt vltra modum amplificauerim. Porrò ex noſtris Matriti reperies Placidum Mirtum, ſummo virum ingenio, ſummaque potiſſimùm eloquentia. Hoc mirum, Italum hominem dominari facundia in diſertiſſima Hiſpania; ac veluti Gallicum illum Herculem ſuſpēdere aurea quadam dicendi copia Hiſpanas aures. At quando Rex ipse peroranti effuſè plaudit, quidni reliquū theatrum miſceat, atque in ſui admirationem pertrahat Mirtus? Romæ ſunt, qui tibi ſalutem dicunt amiciſſimam, præcipuè Aldimarius, & Vannius, tui cupidiſſimi; ſed qui me obſeruantia, ac ſtudio nunquam vicerint. Vale. Romæ Nonis Februarij.

Paulo

Digitized by Google

Paulo Ferrario S. D.

EPISTOLA XXVII.

HOc te magnoperè angit, mi Ferrari, quòd quem pridē publicæ luci de Marianis laudibus Panegyricum dediſti, fuerit, qui non adeò probauerit, ac detriuerit etiam facili dente, ac lingua? Quin ego ſenſum hunc tuum miror vehementer. Conquereris, perinde quaſi prodierit vnquam, aut prodeat aliquis in literatorum conſpectū eruditus labor, quem communi quadam ingeniorum conſpiratione ad vnū omnes merita exceperint, aut excipiant laude. Monſtri profectò ſimilis res hæc, & quam nulli vnquam mortalium contigiſse, & noſtra hæc tempora, & exacta teſtantur ſecula. Extiterint è Iouis cerebro monumenta literarum: Expoliuerit cenſura ipſa Muſarum, ac ſtylus luculentum opus: niteant Cleanthis oleo, ac opera deſudata volumina: accedat ad omnem elegantiam Tulliana ea lima: tornent, ornent lucubrationes ſuas Athenarum illi dicendi artifices: adradat quicquid aſperi, quicquid eſt impoliti accurata pumex induſtriæ: vibrent vbique verborum lumina, ſententiarum faculæ: ſint plena dignitatis, ac venuſtatis omnia: nulli deſint numeri: adde vmbilicum operi: quid? nullus laudatiſſimas eiuſmodi vigilias adunco ſuſpenderit naſo? nullus proxima miraculo ſtudia carpſerit? theatrum omne certatim plaudet? O ſupra omnem inuidiæ aleam, ac beatiſſimū planè ingenium, cui id contigerit. At fingi hæc animo, mi Paule, facilè poterunt: euenire autem poſse, nullus vnquam ſibi perſuaſerit ſapiens. Acceſſiſti ad mellis aliquando officinas, ac aluearia? Inuolant confeſtim acerrima illa apum agmina: à fronte, à tergo, à latere hoſtilem prorsùs in modum circumueniunt: tela expediunt, vibrant, confodiunt, commurmurant: planè vt non inde abſceſseris ſine vulnere. Puta, ad iſtiuſmodi te apum cellas adijſse, cùm aliquid typis euulgaris; exertis dirè aculeis, ac cenſoria ſtatim virgula

gula circumſiſtunt ingenia: nihil i;s ardentius, ac acrius: perlegunt, vellicant, admurmurant: rara apis, quæ licet aliquid inſpergat mellis, ac laudis; ſuum non exacuat ad vulnus ſpiculum. Cur id accidat, cauſa in promptu eſt. Diuerſa quidem hominum indoles, atque in re potiſſimùm literaria multiplex omninò eſt genius. Quantum priſca hic laudat, tantundem faſtidit noſtra: contra ille; æui ſui cultum probat; triſtem, ac ſtrigoſam vetuſtatem odit: hunc lenis ac fuſa oblectat oratio; illum abrupta, ac ceu contracta in nodum ſtrictior: Vni amœnitas, alteri grauitas dictionis placet: Sunt quos lumina, atque argutum dicendi genus mirè capit; ſunt, qui à ſtricturis hiſce ingenij, ac fulgurationibus abhorrent: hi ſolidè res, hi verba ſplendidè ſectantur: quidam niſi quod fulminat, ac theatrum quatit, non admittunt; quidam facundia nonniſi molli, ac mellea, & quadam quaſi modulatione auribus lenocinantur. Vides quàm diſpar ingenium, quàm varia in eloquentiæ præſertim ſtudijs, ac ſpatijs indoles? Ergo ſi cultus, ſi floridus in ſcribendo fueris; rigidus ille, ac ſtyli negligens qui probauerit? ſi copia vtaris; an mutilus, & cui curta linguæ ſuppellex commendare tua poterit? ſi virilis, ſi grauis; amœniſſimus quiſque contemnet: argutias ſi inſuper habeas; vir acutiſſimus exſibilabit: ſi ſententiolæ vibrauerint; inſurgent, quibus plana, ac ſimplex oratio. Scilicet, ſuos ſemper habebit antagoniſtas, quiſquis aliquid literarum procuderit: vt enim ſe ſe quiſque circumſpicit, miraturque ſua, ac laudat; ita facilè deinde proſcindit, quicquid diſcrepare videt à ſuo genio. Quid inſuper ingenitus ille mortalibus mos, vt æquo nunquam animo feratur in aliena? quid illa inter ſimiles æmulatio? quid iniquus rerum æſtimator, ac pronior obtrectationibus liuor? quid, quòd quiſque tantùm accedere exiſtimationi ſuæ putat; quantùm aliorum laudibus detractum iuerit? Poſtremò, quid liquidiſſima illa ſolis luce ſplendidius, ac purius? ea nihilominùs in Aſtronomis acerrima vis oculorum fuit, vt clariſſimo mundi Oculo maculas neſcio quas inuſſerint. Nimirum ad vberrimum, ac perennem, non aqua-

aqua-

Digitized by Google

aquarum, ſed lucis fontem eluere maculas; ac vultus ſuos fruſtra contendit ſyderum formoſiſſimus: nunquam ſiquidem deerit, qui labes in pulcherrimo corpore deprehendet. Effugerit igitur quiſpiam ſeuera hominum iudicia, quando nec Cælo, nec ſoli parcitur? Vapulauit à quodam nebulone Maro: obiecta Liuio Patauinitas: in Tacitum paſſim conuicia: fuit, qui diſertiſſimam Ciceronis linguam admordere non dubitauit: mitto Criſpum, ac Senecam, alioſque Antiſtites eloquentiæ. Scilicet, commune hoc malum, atque infortunium eſt, *Vir eruditiſſime*; idque cum primis curandum, vt ſi iniuria carſperint, contemnas: ſi meritò, emendes: nam quis vnquam ſcripſerit ſine venia? Optandum enimuerò, vt noſtra nos errata minimè lateant: exemplo Apelles fuerit; qui tabulas luci publicę cùm exponeret, aderat ipſe intra velum, vt vulgi iudicia exploraret: nec parcebat ſpongiæ, ſi quid exerraſſet. Te verò ne paucorum moreantur nugæ: ſcio, doctos viros de Panegyrico tuo mira deprædicaſſe: iſque eorum ſenſus, nec præſtantiorem tantæ Virgini Panegyricum, nec nobiliorem tanto Panegyrico cõtingere materiam potuiſſe. Macte tàm inſigni facundia, & me tui admiratorem, tua, vt facis, beneuolentia complectare. Vale. Romæ Pridie Id. Iulij MDCXL.

Laurentio Comiti S. D.

EPISTOLA XXVIII.

A Tua beneuolentia auſpicari annum renaſcentem, ſatis profectò felix, fauſtumque. Quòd verò & calamo teſtatum voluiſti adfectum tuum, quid vnquam acciderit mihi ſplendidius, ac magnificentius? Quippè vt ſtylo es aureus, ac totus gemmeus, ita & pretium ſanè non exiguum annis facis, cùm illos tui amiciſſimo bene precaris; iamque fluxu diuite occœpere mihi decurrere dies pretioſiores, ac ferrea alioqui tempora euaſere in aurea à tuis literis. Porrò

quod

quòd nulla temporis diuturnitate voluntas in me tua elanguit, maximopere mihi gratulor; ac nimiùm inde amori tuo debere me ſentio: &, ſi indolem, ingenium, famam tuam ſpectem, in incrementum quoque exiſtimationis meæ cõputo. Compertum autem tibi velim, pari te beneuolentia compenſari; & quem mihi pulcherrimæ ſcriptionis elegantia incipientis anni diem, annumque ipſum fortunaſti; eumdem tibi viciſſim diſpari quidem dictione, ſed affectu non impari, auſpicatiſſimum opto, & voueo. Me officij mei partes Romæ tenent; illuſtre ſanè domicilium, ſed tui ſimilium, qui inter iſthæc theatra, & Capitolia quàm magnificè ingenio triumphares! Iam, priſcam illam Romam, quæ terrarum, ſuique Orbis triumphos ſuperbè dedignata, ſeptimgemino monte Gygantum more certabat Cælo: Romam, inquam, illam Romæ nuſquam inuenies: ſed diſſipatis per omnes Vrbis angulos vetuſtatis ruderibus, videre eſt oſſa magnæ Matris, atque inter exeſa marmora vmbram nominis. Maximum tamen ad virtutis incitamentum hæc priſcæ magnitudinis, atque excellentium hominum, vel inter ruinas virens, ac ſuperſtes recordatio. Nullum hic ſaxum ſine nomine: nullum ſine documento marmor: loquuntur, erudiunt, dum vetuſtate laborant ſua. Exulcerauit me poſtremò acerrimi doloris ſenſus, cùm legi, intra iuuentam peracerbo elatum funere ornatiſſimum Henricum noſtrum. Inerat illi quidem præter oris venuſtatem, ac florem, egregia indoles, ingenium ad omnia factum, animus præſertim literarum elegantijs ad inuidiam excultus. Quid? adeò inepti, ſtupidique ingenij mortem eſſe arbitramur, vt deteriora deligat ſemper, aut diligat? Fallimur, mi Laurenti, in optimum quemque ſæpiſſimè collimat, ac inſilit: ingentes ſpes, floremque ingeniorum demetit; vultus decolorat venuſtiores. Funus hoc comploratione mea, ac ſtylo vt celebrẽ, petis. Scis me iã diù ab Helicone lõgiùs peregrinari: curabo nihilominùs, vt breui epigrammate fluat eliquatus in lachrymas mœror, ſi minus elegãter, funeri tribuẽdũ, quòd incõpta prodeat Muſa. Vale. Romæ VI. kal. Martij MDCXL.

Mar-

Marco Antonio de Rubeis S.D.

EPISTOLA XXIX.

POſt autumnales ferias, in quibus anni temperies, ac læta vbique vindemia laxamentum, atque otia quædam animi ſuadent; iuſtaurata ſignificas Academiæ veſtræ ſtudia, atque erudita certamina; ac rediſſe è villis Bituntinas Muſas longe alacriores, ac neſcio qua venuſtiore oris gratia. Et verò à poeſi, cùm tua, tùm Franciſci Mele, quam miſiſti, agnoſco ita ruſticata veſtra ingenia, vt omnis illa camporum amœnitas tranſiſse ad veſtra carmina videatur. Iam, quæ ſtatim inter vos agitata quæſtio eſt, illam, ais, vſq; adeò inter Politicos tritam; quæ cùm toties in controuerſiam venerit, ſtudia, facundiam, ſtylum, palæſtras adhuc exercet: orata, videlicet, ſæpiùs cauſa, nunquam perorata, ancipiti ſemper vrna, ac iudicum ſententia. Nam quæ vnquam ſubſellia nō id vulgaris argumenti ſeriò expendere viſa sūt? Quæ, ſcilicet, regiminis forma potior, Monarchia, an Optimates. Occalluere iam penè aures ad has eruditè quidem, ac mordicùs rixantum voces: adeò vt quæ gratia à nouitate exiſtit, repetita frequentiùs, ac nunquam non declamatalis decoxerit. Sed vobis exercitium eloquentiæ propoſitum; proindeque haud multum intereſt, vetus, an noua dicendi ſeges ingenijs detur. Præterquàm quod ij profectò eſtis, vt noua in vetere materia excogitando; quod eſt ab alijs tritū, nouum à vobis videri poſſit: idemque cùm ſit argumentum, aliam nihilominùs agi cauſā ob eximiam veſtram eloquentiam, ac peregrinum dicendi genus plerique omnes putent. Igitur, bonum factum, de Monarchia, atque Ariſtocratia egregiè, ac non iniucundè quidem diſputaſtis. Quod verò hac ſuper re ſententiam meam rogas, quid niſi ramenta, aut veſtræ menſæ analecta afferam? Dicam paucis, & curſim, relicta in medio controuerſia: nam quis ego, vt quàm non tot diremere ſecula quæſtionem, edito ceu Senatus-conſulto, decernam? Quid igitur? Monarchiam probas, qua regi

vetuſtiſſimi mortalium cœpere? at quis vnquam affirmauerit, tantum ineſse vni capiti facultatis, vt non vni populo procurando, regendoq́ue ſufficiat? Quis tot curarum genera, tot momenta regnorum, tot terrarum ſpatia vna mente, vno pectore complectatur? Certè cùm multiplex communi rei temperandæ requiratur virtus, in pluribus facilè omnes reperies: in vno aut rarò, aut nunquam. Quod ſi excubandum publicę felicitati eſt, quantò id melius præſtant plures in multiplici capite oculi,& conſilia plurium? Fuerit deindè ineptus Rex muneri; quæ populorum, quæ morum clades! Soli dominantur Reges, ac non ſoli peccant: commune exitium eſt vnius improbitas: cumque ſeruando imperio impar ſit vnus Princeps; perdendo, atque exſcindendo ſatis, ſuperque vnus eſt. Fuerit verò ſapiens; potentia, illecebræ, adulantium malæ artes quàm ſæpè corrumpunt? quæ tam egregia indoles, quam non ſumma fortuna aliquando elidat, aut afflet? quod autem tùm frænum, ſi exorbitet? quis reges regat? quis moneat? Id quod in pluribus rarò accidit: mutua ſe ſe ope iuuant: iuuat inſita illa mortalibus æmulatio, quæ in officio mirè continet: nam dum ſibi à ſeipſis mutuò cauent æmuli, ne alter alterum carpat, quàm diligentiſſimè in rem communem incumbunt. Mitto affinē regno tyrannidem: mitto quàm facilè ruat, quod vnius ſupercilio nititur: mitto penes adminiſtros rerum ſummam, ac raram in ijs fidem: mitto ab vno veluti filo tot pendere populorum ſalutem. At enimuerò dum Ariſtocratiam, florenteſque omni æuo gentium Reſpublicas laudas, ecce tibi è tot capitum numero veluti hydra quædam ſuccreſcentium difficultatum. Vides in re communi non adeò contendi neruos, & curas: ita ſcilicet natura comparauimus, vt quod multi curant, omnes negligant. Diſtracta ſiquidem in plures publicæ rei procuratione, langueat, neceſse eſt ea virtus, quæ in vno fortior; atque id efficit, vt quisquis ſolus imperat, quod regit imperium, ſuum putet; atque adeò ita in Spartam illam incumbat, vt accuratiſſimè populos adminiſtret, ceu ſuos. Vides deinde in pluribus ſtudia partium,

Digitized by Google

ac ſciſſa ingenia: quo nihil perniciosius. Erumpunt aperta in odia, ſe ſeque per latus Reip. confodiunt. Hinc tranſuerſa iudicia, diſtractæque huc illuc conſultationes, & corruptæ in communem fraudem ſententiæ: hinc anulo obſignari, non quod ſapientes, ſed quod audaciſſimi, ac turbulentiſſimi quique viri decernunt: hinc præcipites perſæpè dilabi occaſiones, dum plures, non tam deliberant, quàm rixantur. Ad hæc, pro vno Rege multos habere dominos, quantum eſt? Vnius genio facilè ſe ſe quis attemperauerit: in tanta ingeniorum, ac indolis varietate quis ille Protheus, qui in omnium mores, ac vultus iuerit? Adde, quòd æqualē quempiam cenſeri, aut etiam ſubijci inæqualibus, nunquam quis æquo animo tulerit. Lux generis, opes, ingenium non omnibus paria; vt quiſque excedit, neſcio quid altiùs ſpirat, ac præferri cæteris poſtulat: quàm diues hinc inuidiæ, ac diſſidiorum materia! Quid? nonne certa etiam diſcordiarum ſemina Magiſtratus, quò tot ſimul collineant? Vnde Syllana, ac Mariana Romæ monſtra? vnde ſobolescens in plura capita triumphalis illa Aquila? vnde pila pilis minantia? Vides impendentem Romanæ Reip. ceruici negatam vni ſecurim? vides cruentis Soceri, ac Generi manibus dilaniari in Pharſalicis pulcherrimũ æternæ Vrbis corpus? Quid, quòd ignauos interdum euehunt eblandita, aut empta ſuffragia? quid mutuum illud placendi ſtudium, quod Reſpublicas non raró euertit? Quid propior Optimatibus Oligarchia? quid illa in multitudine confuſio? quid reliquæ inter pares, atque in optimatum Senatu peſtes? Habes, Marce Antoni, quæ me in re tam graui ſollicitum habent. Subito quodam impetu, atque ardore calami hæc fudi, tibi nempè, non alijs: caue proinde, ne cuiquam propines. Vides indicio, cultu, lima deſtitui ſcriptiunculam: ſicuti & carmina, quibus extemporaneus item ſtylus, ac præceps Muſa idem argumentũ raptim delibauit, atque ad coronidē ſubijcimus, Vale. Romæ III. Kal. Octobr. MDCXL.

De Principatu, & Optimatibus.

AN meliùs Plures, an commoda temperet Vnus
Regnorum meliùs; lis agitata diù eſt.
Sciinditur in partes ſapientum vulgus; & vni
Rectori hic plaudit, pluribus ille fauet.
Pluribus ille fauet, quòd virtus fortior illis:
Alter ab alterius nempè iuuatur ope.
Cos eſt ingenij ingenium; mens mente politur:
Eſt ſua vis oculo; maior at eſt oculis.
Si certant, creſcit vigor à certamine: neruos
Contendit virtus æmula nanque ſuos.
Adde, quod haud facile eſt falli, aut fallere, plures
Si vigilent: videt hic cautus, & ille videt.
Quàm bene: ſed facili Suada pars altera ſurgit,
Et ſibi in ancipiti Marte trophæa petit.
Mundi ſceptra vides nutu pendentia ab vno:
Vnus nanque regit ſummaque, & ima Deus.
Sol vnus populos aſtrorum temperat: vna
Auriga eſt homini mens, animuſque vigil.
Cætera congemines membra: at ſi corpore in vno
Non vnum Caput eſt nobile, monſtra vides.
Hinc ſtudijs actæ mentes: hinc dira cupido
Diſtrahit: hic odio ducitur, ille metu.
Ac veluti gelidis certent Aquilonibus Euri,
Publica res extra naufragat, heu, pelagus.
Gordius hic nodus calamis: qui iudice ferro
Scindat Alexander, credite, nullus erit.

Augu-

Digitized by Google

Auguſtino Riccardo S. D.

EPISTOLA XXX.

ACademiam veſtram ad quaſdam etiã Grãmaticæ quæſtiones deſcendiſse, neſcio, an erectis adeò ingeniis, ac viris, quos intimè afflauit grauior, ac generoſior Pallas, decorum videri poſſit. Præpoſterum ſanè, adultam, ac grandæuam *iam eruditionem redire ad cunas*: ac vereor maximè, ne inuſtam olim Græcis notam, vobis iure, & meritò inurant: neminem quippè illud latet: Græci ſemper pueri. Ampliſſima vobis propoſita eſt eloquentiæ palęſtra; cur in eas tandem anguſtias cõpingitis ingenia, vt in vna hæreant dictione, pro qua, veluti de ſumma rerum acerrimè decertẽt? At, inquis, in eloquentia ſpectandus in primis nitor, atque incorrupta ſermonis puritas, quam, niſi cui vocabulorum notio, verborumque proprietas conſtet, nullus profectò aſsequetur. Hinc addubitatum de pleriſque dictionum ſignificationibus inter nos eſt: præſertim an latinè quis loqui, atque emendatè dici poſſit, qui anxium illud aliena ſciendi ſtudium appellauerit, vti nos Italicè, curioſitatem. Videntur quippè Veteres niſi pro nimia quadam in rebus agendis diligentia hoc vocabulum minimè vſurpaſse: ſicuti curioſum, non qui in aliena anquirat, ac ſcire perquàm auidè cupiat, ſed quod eſt graphicè elaboratum, atque ad vnguem factum dixere. Quid igitur? non iſthæc inquirenda ad elegantiam, cultumque ſermonis? Iuquirenda quidem, aio, ſed inter præclara ingenia non ita curioſè, ac pugnaciſſimè. Illud opportunius, ac fructuoſius, nempè de re ipsa diſserere, non de nomine: ſicuti de hac ipſa, qua de agitur, curioſitate in quodam literatorum hominum conuentu, inſtituta percelebri palæſtra, audiui ipſemet eloquentiſſimè diſceptari. Diſſimulato nomine, reuocata ad examen indoles; bona neſset, an ſecus? atque hinc quidem omni conuiciorum genere exagitata, dirè vapulauit curioſitas: hinc idoneum

nac-

Digitized by Google

nactam patrocinium, dilaudari mirum in modum contigit. Hæsere animo quædam huiuſce commendationis capita ab erudito planè viro: & quòd ſcio eiuſmodi te rerum percupidum; ſtrictim, ac raptim referam. Quid? inquit ille: malè inter nos audiet curioſitas, quæ ſi, propiùs rem inſpicias, pulcherrimus quidam eſt naturæ genius, qui mortalibus innaſcitur? Materno illam è ſinu ducimus, gemellam vitę, iiſdemque in cunis collactaneam. Tritum illud Philoſophorũ Principis: hominem natura ſcire cupere. Quid hoc, niſi inſita cuique mortalium curioſitatis ſemina, quæ in frugem, ſubindè effloreſcunt? Hinc præter cæterorum viuentium morem ſimul edimur in lucem, ſimul oculos ad lucis vſurã aperimus: perindè ac ſi curioſitate quadam præcoce inſpicere, atque explorare ſtatim quiſque velit, quo ſub Cælo natus, quæ pars terrarum exceperit? Quid illud, quod Plinius adnotauit: Capite inuerſo hominem naſci? Oculos nẽpè quiſque noſtrum, veluti exploratores quoſdam, antequam naſcatur, præmittit; vt quid rerum in hoc orbe agatur, qui ſint mores gentium, præmaturè agnoſcat. Occidit deindè vitæ lux; vides, vt aperti, atque inoccidui perſtent mirè oculi? ſcilicet, intermortua vitali facultate prorsùs omni, viuit ſolũmodò poſt fata ſuperſtes curioſitas: atq; adeò peræq; curioſi naſcimur, ac curioſi morimur. Ad hæc, oculos, aures, curioſitatis videlicet inſtrumẽta, natura cõgeminat; nẽpè vt multũ, quà videndo, quà audiendo, ingeneratam homini curioſitatem explere quis poſset. Denique vt in prænobili illo Palladis ſimulacro ita ſuos ipſe vultus artifex efformauit, vt eradi, niſi labefactato penitùs pulcherrimo opere, nequirent; ita ſanè, niſi corrupta humanitate ipsa, auferri ab homine curioſitas nequit. Pergimus. Quid in mortalium animis pulchrius, ac diuinius prudentia? Prudentiæ verò quæ partes? ſcilicet, quæ ſint, quæ fuerint, ac remotiſſima quæque obtutu ſuo peruadere: hoc autem obire qui poterit, niſi oculos illi ſuos mutuet curioſitas? Rexerit ne cum laude Reſp. regna, populos prudentia, niſi ad exterorum Principum regias, veluti ſolertiſſimam, ſagaciſſimamque adminiſtram,

ipſam

ipſam legauerit curioſitatem? Adit hæc ſecreta Regum conclauia : adeſt ſanctioribus in conſilijs : aſſidet gentium comitiis : aure, oculis ebibit accuratè omnia : odoratur, veſtigat, perſcribit, monet. In Ptolomæi, Iugurthæ, Mitridatis conſultationibus aderat vtique Romanus : in Romanorum Senatu aderat explorator Ægyptius, Afer, Perſa, Græcus. Mutua hi quidem curioſitate ſuas inuicem artes, conſilia, vires, arma perueſtigantes, curioſitate potiùs, quàm prudentia tueri res quiſque ſuas videbantur. Iam, naturalem Philoſophiam non eſt profectò, cur memorem, cùm mera curioſitas ea ſit. Specioſum hoc Philoſophorum nomen excogitarunt Sapientes viri : cæterùm Curioſorum ijs nomenclatio ſederet aptiùs : quippe qui in intimos ipſos naturæ ſinus, vt arcana rerum exordia, cauſas, effectus, vim ſcirent, se se quàm curioſiſſimè immiſere : patuere hinc ijs operoſæ ventorum, pluuiarum, niuium, grandinum, fulminum officinæ : planè vt ne obſcuri ipſi nubium receſsus, ac tenebræ ea ſubducere à perſpicaciſſimis, curioſiſque adeò oculis potuerint. Sed quid hæc? altiùs nempè ſpirat curioſitas. Ea nanque auſpice, viſa in Cælum eniti Aſtronomia, atque ampliſſimam eam regionem, aſtrorum motus, conuerſiones, ſatellitia, commercia; tùm regnorum ab ijs, ac Regum fata, euenta bellorum, pacis fœdera, ac cætera momenta rerum explorare. Age, Aſtronomiæ, an curioſitatis inuenta ſunt aſtrolabia, quadrantes, aliaque ſyderibus inſpiciendis inſtrumenta? Quid Telescopium? nullus, puto, dubitat, à curioſitate excogitatum: abundè indicant cryſtallini in eo oculi duo ſemper vigiles. Vides ipſum extendi, ac penè extra ſe ferri, vt longè, latèque, hoc eſt, curioſiùs circumſpectet? Quot ab eo, quæ latebant ſydera, deprehenſa? Vides, neque ſtellas illas, quas Aſtronomi nubiloſas vocant, ita ſua ſe tueri caligine potuiſse, vt eius obtutum, curioſitatemque effugerent. Alia præterea confirmãdæ ſuæ cauſæ, curioſitatiq; commendandæ argumenta volubili quadam linguæ copia vir egregius adnumerauit. Nam tempus, quod ſemper aliquid adportat noui, perniciſſimum curioſitatis tabellariũ,

di-

Digitized by Google

dixit. Hiſtoriarum monumenta, quæ alia ex alijs narrant, mortalium potiſſimùm curioſitati ancillari, conſtanter aſſeruit. Peregrinationes, quæ vrbes, ac Orbem luſtrant, curioſitatis impetu, inſtinctuque ſuſcipi. Naturæ mirabilia, portenta, monſtra, prodigia alendæ curioſitati in ſcenam hanc orbis, inuehi. Solem, mundi oculum in ſupera, media infera ita ferri, vt nihil curioſius. Cælum innumeris penè oculis excubare, ne quid curioſitatem ipſius lateat. Hanc in in aula, hanc in foro, hanc in Lycèis, hanc vbique terrarũ, ac gentium dominari. Proſequutus ille eſt eloquentiùs profectò, quàm veriùs orationem ſuam: noſtra autem epiſtola hic ſiſtit, ne abire in declamationem videatur; & ne plus æquo noſtræ te morentur nugæ. Luſimus: quam interdum veniam petimuſque, damuſque viciſſim. Gratulor, reſtitutum Patriæ Ambroſium noſtrum: iucundiora planè illi ſua ſydera poſt exilium. Saluta meo nomine. Vale. Romæ XIV. Kal; April. MDCXXXX.

Marco Antonio de Rubeis S.D.

EPISTOLA XXXI.

VT te, tuumque pulcherrimum ad artes bonas impetum amo, Marce Antoni eruditiſſime; ita & tuas incredibili quadam voluptate, ſenſuque animi literas accipio. Significant, quæ mihi poſtremò allatę, & tibi, & tuis Muſis bene eſse: quod, herclè, vtrumque mihi periucundum, qui ſummoperè gratulor, te in ſtudiorum amœnitates vſque adeò animatum, ac premere ingenio excellentium ingeniorum orbitam, molirique in dies magna. Perge hac indole, & eruditorum ſemper laudes in triumphi tui pompa adnumerabis. Antiſtitem noſtrum Carafam lethi memorem, exegiſse, ais monumentum, ac ſibimet vrnam, tumulumque adornaſse, qui horis omnibus fatum repræſentet, ac velut ſuperſtitem conſepeliat. Anteuertere ſuum paſſim funus ſapientes viri ſolent, ſuæque immortalitati ſepulcrali lapide proludunt; quin & ſpiranti molliùs ære, ac marmore vrnam per-

perſæpe exornant, vt mortem, ceu quid ſibi optatiſſimum, videantur ſplendidè excipere: tantùm abeſt, vt illam reformident, quæ ſuprema malorum linea eſt; quæ virtutem conſecrat; quæ viam, pontemque aureum ad æternitatem munit; cui famam nominis, mortalium elogia, Cælum, aſtra, gloriæque nectar iure debemus. Igitur conſultò Antiſtes optimus pio Cineri conſuluit præcoci ſepulcro: neque eſse ex ijs voluit, quos nulla tumuli, nulla ſui cineris tangit, & coquit cura. Proſpiciendum animo, inquiunt, cæterùm exuuias curare, ac puluerem, *haud tanti eſse*. Mecœnatis ea vox, neſcio, an ab homine:

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Ita ne vero? Viuentibus, quos tamen commune mox fatum inuoluet, domos exædificamus ampliſſimas; pijs verò Manibus, qui diù iacent, nō ſuum tectū maturè extruimus? Quid hac laudabilius cura? ſic nempe occurrimus generoſiùs morti, illique aſsuescimus. Porrò monumentum hoc noſtri Præſulis dum tu laudas elegantiſſimo carmine, videtur iam à tua Muſa Mauſolèis, ac priſcis Ægypti molibus, an miraculis? par. Id nanque egregijs ingenijs, ac tuo præſertim inſitum, vt quod deeſt ſplendoris, & curæ operi, appingant ipſi, ſi laudent. Aloyſij, amiciſſimi capitis valetudo ſollicitū me penè ad animi deliquium, ac suspēsum habet. Sperabam, fore, vt morbi diuturnitas morbum ipsum exhauriret, aut frangeret. Aiunt quippe, robuſtiſſima quæque mala, quæ impetu valeſcunt, decoqui deinde, ac ſuam ipsamet depaſci malignitatem mora temporis. Diù iam ille luctatur: vtinam eluctetur. Id ſi contingat, non dubito, quin accuratior in tuenda valetudine longè erit. Audio ſiquidem, plus nimio credidiſse iuuentæ, ac ingenio: venationi præſertim laxaſse perditè frænos: qua quidem, vt nihil æquè delectabilius, atq; ad corporum exercitationem, ac vegetandis viribus opportunius, ſi tempeſtiuè quidem vtaris, ac intra modum; ita ſi aſſiduò, ſi alieno anni tempore; ſi nulla hyberni ſyderis ratio; ſi aut æſtu peruri, aut gelu oporteat; ſi immorandum diutiùs ſiluis; nihil enimuerò pernicioſius. Hoc quippe eſt

K ſeip-

Digitized by Google

ſeipſum ire perditum, non feras: configere quis apros, dum putat, ſe conficit planè vt nullibi iaculetur certiùs fatum, quàm per illas nemorum vmbras. Tu illum vt à meo nomine consalutes, iacentemque à mœrore animũ erigas, rogo: atque interim voluntate in te mea, ac ſtudio, quod sanè eximium, vtare. Vale. Romæ Non. Mart. MDCXL.

Annibali Malateſtæ S. D.

EPISTOLA XXXII.

ETſi tui præsentiam, ingenium, morumque ſuauitatem Vrbi iſti tuæ effusè gratulor; de meo tamen infortunio ne dicam, an fato? vix poſsum mecum ipse non acerbè irasci. Putabam adhuc te Romæ agere, eòque ſperabam, fore, vt aliquot interdum horas tecum inter vmbracula, Xiſtoſque poetarum deambulatiunculis, ac ſermonibus tereſẽ periucundis. Quid, amabo, dulcius, quid item fructuoſius, quàm amicorum par erudita inter ſe ſe miscere colloquia; ire per illuſtrium ſcriptorum monumenta; ac nunc suas, nũc aliorum premere lucubratiunculas, excurrere, expendere, censoria notare virgula, ac figere, ſi quid peccent ingenia; mirari, dilaudare, ſi quid cuderint miranda, ac dilaudanda? At enim ſtatim atque Romam appuli, resciui, hinc te paucis ante diebus disceſſiſse; conceptamque animo voluptatem, ac spes meas omnes in Patriam vnà tecum auexiſse. Quo id ſensu exceperim, vix explicem. Lætitiam omnem exhauſit obortus mœtor, conſternauitque perindè animum, vt Vrbs hæc Vrbium, inter paucas ampliſſima, æquè ac florẽtiſſima longè nunc alia mihi videatur: perinde quaſi, absẽte te, nec ſuis ſit tẽplis, ac tectis ſplendor, nec maieſtas aulę, nec vrbanitas genti, nec amœnitas villis. Vide, quæ tua eſt indoles, qui mores: pulcherrimæ nempè Vrbi multùm addis magnificentiæ & cultus, ſi adſis; non minimum fanſtitatis, ac felicitatis detrahis, ſi abſis. Verùm, quòd humaniſſimis

tuis literis, & carminis elegantia iacturam hanc mihi abundè compenſes, habeo gratias immortales. Viſus profectò tu mihi rediјſse. Siquidem tam bellè,argutèque accuratis in tuis te paginis delineas, vt ſpires, ac totus viuas. Quod quiſque eſt, ſua ſtatim ſcriptio commonſtrat. Imago ea eſt non externæ frontis, ac vultus, ſed intimæ mentis, ac animi, quam nullus vnquam Apelles, aut Phidias marmore, aut tabula expreſſerit. Solus nanque æternam hanc mentis formam, hos animi vultus citra fucum, ac minium ſtylus ducit. Quo quidem nomine, quæ miſiſti epigrammata, an valdè æſtimē, vel hinc colligas, quòd non tam tua, quàm te ipſum, ac meliorem tui partem mihi videar contemplari; neque enim quòminùs te videam, audiam, alloquar, tot prohibent locorum interualla, montes, flumina. Abes nanque corpore; ades ingenio, ac moribus, quos tua hæc carmina mirificè repræsentant. In ijs egregiæ dictionis lumina, ac ſententiarum aculei æquè vibrant; vt mirer acrem ſimul, ſuauiſſimamque facundiam. In Helena, quam deſcribis, nihil non pulchrū, ac dignum Helena. In illo clarorum capitum triumuiratu, quem laudas, nihil niſi ter optimum. Vale diù, mi Annibal, & tibi, & Muſis tuis addictiſſimo faue affectu, ac beneuolentia. Romæ IV. Id. Nouemb. MDCXXXXI.

Cyrillo Turriano Cler. Reg. S. D.

EPISTOLA XXXIII.

MAturiùs profectò, quàm ipse animo conceperam, fidē liberaſti tuam, Cyrille ornatiſſime. Vix enim Venetias appulsus, perinde quaſi nulla tibi cura antiquior; quæ mihi pollicitus Romæ es, miſiſti; nempè Dianæ noſtri Compendium, & Teleſcopium. Agnoſco beneuolentiam, agnoſco in ornandis amicis animi tui impetus. Planè, cum nullus non aliquando beneficium præſtet, non omnes conferre beneficium ſciunt; corrumpunt nempè mora; gratiæque, qua-

nihil inter mortales ſuauius, id detrahunt, quod eſt illi pręcipuum, nempè à facilitate, celeritateque pretium, ac quandam etiam venuſtatem. Liberalitati quidem tribuimus dona; ſed quæ ea ornet, pronior eſt, ac volucris quædam indoles: vt id demum ſit feſtiuum munus, quod feſtina manus dederit. Tibi igitur, & largitionem, & additum largitioni pretium debeo, habeoque gratias immortales. Iam, non vnum miſiſse te mihi Teleſcopium ſcias, ſed duo. Siquidem Dianam, cuius vigilijs, ac ſtudio pleræque hoc ſeculo, quæ latebant opiniones, accepere ſuam lucem, dices meritò moralis ſapientiæ ſpecularē tubum, quē, ſi quis videre clariùs longè poſita, ſi inspicere non ita obuia, non ita omnibus comperta doctrinarum ſcita, atque inſignium ingeniorum conſulta cupiat; admoueat ſuis oculis, perlegat, euoluat, neceſse eſt. Feraciſſimum æuum hoc noſtrum ſummorum hominum, in hac præſertim Chriſtiani officij facultate videri poteſt: ſed neſcio, an vlli magis, quàm Dianæ, quà priuatim, quà publicè mortalium conſensus, fama, Academiæ plaudant. Fuerit alijs par ſcholaſtico pulueri acumen, vis ingenij, ordo, concinnitas; Dianę, cùm hæ illum partes minimè deſtituant; tùm eximia potiſſimùm ineſt iudicij maturitas, qua ſcriptorū monumenta ita versat, ac premit, vt quicquid in ijs eſt melioris ſucci, exprimat. Viſus quidem Auctores voraſse, ſi multiplicem illorum ſyllabum, ac cenſum in eo ſpectes; cùm tamen ad lancem illos quàm accuratiſſimè reuocauerit, ac ſua mora: in delectu ſententiarum perindè catus, & cautus, vt benigniorem in partem propenderit nunquā; niſi expenſa re ſeueriùs: idque illi in primis curæ, vt conſcientijs conſuleret, per ſummum laborem, ſummamque ſtudij contentionem emollire aſpera, & cautes. Quid illa ſcribendi perſpicuitas? quid breuitas? Non te per rerum ſiluam, longaſque periodos ducit: rem acu tangit, ac paucis: habeſque in ipſa parſimonia auctorum lautitiam, qui famem expleant, adire, audire illos ſi libeat, ac vacet. Adhæc, inutilibus in diſceptationibus neque tempus, neque ſtylum terit. Plerique ad quandam inge-

ge-

genij pompam non raro diſputant, ac ſuperuacanea obtrudunt: nihil ad frugem: Diana ea tibi duntaxat proponit, propinat, quæ quotidiano vſui ſunt; quæ doceant, quæ inſtruant;eſtque nulli non hominum gradui opportuniſſimus: vt omnigenis dubijs ſtatim adſit, certiſſima cortina iuris, ſiue ſacram, ſiue profanam tangat Curiam: quæ ſummis accidant, quæ infimis; quæ in aula, quæ domi, quæ foris, quæ pace, quæ bello; ad rem ſemper, ac nunquam extra chorum. Porrò, cum tantum librorum, quantùm ille edidit, priuatim apud ſe habere, non ita facile religioſo viro ſit; Compendium hoc sanè perutile. Nam, & ſi non hic habes Dianæ omnia; habes nihilominus totum,ceu paruo in ſpeculo, Dianam, qui loquutus alibi fuſiùs, interroganti reſpondet hic quàm pauciſſimis; nunquam enimuerò vel in exigua mole exiguus. Venio nunc ad Teleſcopium, quod ſummopere mitti, optabam; ac video,te in eo deligendo oculorum inſtrumento fuiſse oculatiſſimum. Quiſquis ille fuerit, qui tubum hunc ductilem adinuenit; næ illum perquàm optimè de natura meritum, nemo negauerit: nam quæ illa edidit admiranda, ac magna, ceu bono in lumine collocat, vt magis exſplendeſcant. Democritum ferunt, vt rerum contēplationi attentiùs vacaret, oculos ſibi eruiſse: quantò is ſapientior, qui illos veluti congeminauit, exacuitque, vt quæ ſunt in naturæ vniuerſitate pulcherrima, quæ in eius ſinu latent, quæ item remotiſſima, obtutu perſuaderet peracuto? Cælum aspice: non tot olim numerabant sydera veteres: millena ſubindè indicauit,atque addidit Telescopium.Quid mirabilius, quàm adauxiſse, ac veluti noua condidiſse aſtra tubum? quid ſplendidius, quàm maieſtatem addidiſse, ac pompam Cęlo; nouas accendiſse prænobili in proscenio faces;ſydereas expoliuiſse gemmas attemperatum oculis cryſtallum? Plus, herclè,Teleſcopio, quàm ſoli ipſi, planetarū principi, Cælum debet: nam ſydera ille quidem diſſipat, profligatque; hoc auget. Certè duo propè Saturnum aſtra, nulli antea mortalium comperta,Teleſcopio debemus:quatuor verò propè Iouem. Nempè Ioui, qui Deorum, hominum-

numque Rex, ſuum aſseruit famulitium: Saturnum, cui quædam à ſenio triſtitia, exhilarari ſocietate, ac conſuetudine oportuit. Ipſa verò ſydera de vultu agnoſcere: aſſidere Soli, ac Lunæ propiùs, eorumque deliquijs adeſse, ac maculas penè eluere, quantum eſt? Quid illa inſuper commoda? bella geris? hoſtium phalanges fermè enumerat Teleſcopium, ac ſub ipſis tentorijs quid Duces tentent, explorat. Nauigas? hac ope ignota maris littora, Inſulas, promontoria dignoſcis: hac item quicquid barbarorum velificat, maturè caues. Formam deinde, figuramque ipsam, oculato Ægyptiorum Regum ſceptro non abſimilem, ſi ſpectes, dices profectò, inter inſignia ingenij, artisque opificia deberi principatum, ac ſceptrum Teleſcopio: quo quidem oculis admoto, ex vna quidem parte, quæ diſtant, accedere cominùs videntur: forte admiratione tanti operis abrepta, gradum promouent, vt peregrinæ artis prodigium propiùs inſpiciant: ex altera verò parte, quæ propiora videbantur, recedunt; veluti quadã huiusce inſtrumenti maieſtate, granditateque percul ſa, vt auctorem eminùs venerentur, abſcedunt. Rurſùs, defixis ſtupore oculis, hinc magna decreſcunt, nempè nihil eius comparatione magnum; hinc parua grandeſcunt; ac ſi dignatæ res ea luce, aſpectuque Teleſcopij, maiores ſeipſis fiant. Vides, Cyrille optime, quo me munere affeceris, ac quantum eximiæ voluntati in me tuæ debeam. Et ſi munus vitreum; ſcias beneficij memoriam haud fore vitream: & quod rem miſeris gemino velut oculo illuſtrem, monitum te velim, tuam mihi beneuolentiam fore ſemper dextro, ſiniſtroque oculo cariorem. Vale Romæ XI. Kal. Decemb. MDCXLI.

Mar-

Marco Antonio de Rubeis S.D.

EPISTOLA XXXIV.

DE ludo ſcribis, Marce Antoni, fore in proximo Academiæ conuentu diſceptandum: & qui regnum iſthuc ingeniorum adminiſtras tuo nutu, illam te, inquis, poſuiſse in medio quæſtionem: Quis honeſtior ſimul, & iucundior ludus? *Planè, cùm non modò non vetitum ludere;* ſed neceſsarium ſubinde ſit, fatiſcentem à curarum mole, ac ſtudijs, alijſque, quà corporum, quà animorum occupationibus naturam reficere: cumque publici, priuatique vbique ludi; atque ad quandam etiam virtutis ſpeciem illos reuocent viri docti; non ineptè profectò quæritis, quis viribus inſtaurandis, atque ad animi ſpiramentum opportunior ludus? Nihil enimuerò adeò ſerium, quàm de ludo ſic agere: non luditis, herclè, operam: iucundiſſimum ludi genus erit, de ludo certare: quod quamuis ſuus erit ingenijs labor ab hoc certamine; in promptu laxamentum eſt à ludo, de quo certatur. Illud intempeſtiuum, ac moleſtum magnoperè mihi, inuitari à vobis, vt abſens, atque à veſtro iam cœtu diuulſus, quid ſentiam, breui mea epiſtola, ceu præsens, exponam. Scitis, maius opus mouere me, traductum nempè à reliquo ſtudiorum genere ad noſtram hiſtoriam, quæ ita me totum abſorbuit, vt nihil ſit temporis reliquũ, quod meo dem genio. Et verò demandatam mihi à Maioribus ſcriptionem abrumpere, piaculum ducerem; niſi quàm pauciſſimis agenda mihi res eſset; cauendumque præſertim, ne dum ſartum, ac tectum Annalium noſtrorum curſum volo, meo officio, veſtræ humanitati deſim. At non is ſum, vt ea hic ludorum genera vſurpem, quæ proſcripſere toties decreta legum. Apage peſtes illas mortalium. Proh, quot adroſere patrimonia pauci officuli: quot opes teſſerarius ille canis vorauit: quot exhauſtæ, diſiectæque domus tali iactu: aleas verò an ita appellarunt, quòd alios faciat, ex opu-

opulentis nempè inopes? Honeſtiùs profectò pila luditur: niſi quòd deſultoria, ac leuis pila cùm ſit; neſcio, an graues viros deceat. Non adeò violenta res trudiculi: læta à quodam ingenio, ac dexteritate victoria: ſed vereor, ne quid inde aulicismi arripiant, qui ludunt: dum aſsueſcunt, nonniſi per aliorum ruinam, & caſum adire, Regem. Follibus nonniſi robuſtiſſimi quique ludunt, trocho pueri: quis igitur palmam præripiat ludus? an latrunculi? Nihil ijs planè honeſtius, ac grauius nihil iucundius. Diuturnis, lentiſque Troianæ obſidionis incommodis leniendis, illos ferunt excogitaſse Palamedem: quid eo ludo delectabilius, qui ipsã potuit malorum Iliadem obruere? Alij Penelopæis id procis tribuunt: appoſitè quidem grauiſſimis, quæ ſunt in amore, ac mora moleſtijs, ſe ſe furabantur latrunculis. Iam, meditamenta, aut imitamenta bellorum hic vides. Patet latè campus, ac Martis area: ſtant ſuis diſtincta teſseris agmina, inſtructæque hinc albæ, hinc nigræ acies quadrata fronte; vt non aptiùs Xenophontis ille Cyrus phalanges ſuas inſtruxerit. Sua quique in ſtatione pedes, eques, dux, ſignifer poſcere videntur pugnam. Tueri Regem, hæc antiquior ijs cura: nunquam, ſcilicet, conclamatum bellum, aut iacturã, cladem que grauem putant, Rege incolumi. Non hic claſſica, non timpani, non militaris ille fremitus: miro quodam ſilentio res agitur: ſi tacitum, ſi audax pugnandi genus ſpectes; ſimul ligneas, ſimul igneas legiones dices. Igitur, facto gradu, pedites, ceu rorarij milites certamen libant. Gregaria hæc quidem cohors: attamen ſi cautè, ſi tempori prouehas, non raró momentum belli eſt. Excitato per has faces truci Marte, in medium ſe ſe proripiunt pugnaciſſima hinc, atque hinc belli capita, ac fulmina. Sua cuique campo Pentheſilea, ardetque medijs in millibus: Irrumpit hæc quoquò verſum, caſtrorum nempe Regina, curritque bellatrix inoffenſo huc illuc pede. It ſignificer transuerso in hoſtes tramite, proſternitque obuios. Nihil equite infeſtius: acies obliquo gradu, ac ſaltu circumuenit, proculcatque. Eſt & turritus elephas; rectà hic incurrit, ac nimiũ,

quan-

Digitized by Google

quantùm terret ſua turri. Quid plura? Ardet collatis ſtrenuè ſignis, pugna. Excurrente vltrò, citroque diſcolore calculo, confundi iam ordines vides, immixtumque albo nigrum agmen. Pedes peditem; eques equitem vrget: fugant, fugantur: cedunt, cadunt: diripit, diripitur latrunculus: ad inſaniam vtrimque furunt. Militat hic aſtus, non haſta: nil propiùs, quàm ex inopinato intercipi: accuratè excubandum: cauenda præda eſt; cauenda Danaum dona: nuſquam tuta fides. Nullę non hic ſummorum Ducum artes: *adeſt ab inſidijs Pænus* Annibal: eſt, qui cunctando reſtituit rem, Fabius: eſt, qui nihil differendo vincit, Alexander: ſunt qui fugam ſimulant, vt certiùs feriant Parthorum ritu. Tandem cum Regum alter, aut Ducum manu, aut vili à Spartaco, ac pedite, aut media in acie, aut ſua in ſede; ſiue fuſo ad internecionem milite, ſiue integris legionibus; aut casu, aut conſilio capitur; tunc profligatur bellum, diripiuntur caſtra, plauditur, triumphatur. Iam verò, quid hoc honeſtius, aut præſtantius ludo, qui tam conſultò, tàm ſeriò, tàm ſapienter ludit? vbi animus ſedendo, & quieſcendo fit prudentior; vbi mens agitat molem belli, ac bellè exacuitur? vbi conſilium per luſũ elimatur, atq; egregiè expolitur ingeniũ? Dices, in aula ſapiẽter ſi luditur, hunc exerceri certè ludũ; grauiſſimũ nẽpe; atq; adeò nihil illi, vt in cæteris, cũ Dea leui. Dignitatẽ præterea vel hinc agnoſces, quòd nulli mortaliũ ordini non accõmodatum ludi genus. Summi, infimi; profanus facer, calculis hisce horas terunt: Clauſtra ipsa iſthæc admisere caſtra, quæ non ſtata ſilentia, non diſciplinam, receſsumque abrumpunt. Ad hæc, qui non fortunæ, ſed ingenij ludus eſt; nihil hinc domeſticis fortunis detrimenti, & cladis: non hi patrimonia dilapidant calculi. In hoc certamine palma eſt, vicifse: ipsa victoria fructus, atque authoramentum victoriæ eſt. Quid? voluptas fortaſse ludo deerit? quid pulcherrimo hòc pugnæ ſimulacro iucundius? In vmbra concurritur, incurritur extra omnem ictum, ac aleam; incruentæ hic cædes, atque innocua vtrinque clades quàm intimè exhilarant? Quam bellè

 cernis

cernis impunè latrunculos furari, ac furere? quid inſidias, aut ſuas ſtruere; aut alienas fallere? quid artem luſiſse arte? Quantum eſt, iudicio plaudi, non caſui? ingenium coronari, non caput? ſed videor, luſiſse nimiùm ſtylo: neque mirum, ſua me ludum dignitate, modeſtia, grauitate prolixiùs detinuiſse, cui inſita mora eſt, à qua longior etiã oblectatio. Nunc quæſo te ſeriò, vt tantundem tuæ me impertias beneuolentiæ, quantum meum eſt in te, ac ſingularẽ virtutem tuam ſtudium, quod ſcieris non exiguum. Vale. Romæ prid. kal. Quint. MDCXXXXI.

Marco Antonio de Rubeis S. D.

EPISTOLA XXXIV.

FAcis, Marce Antoni, vt quamuis à veſtra Academia longè abſim, præſens videar; voſque facundè de more diſſerentes, velut vnus è theatro audiam, ac veſtris plaudam ingeniis, diſceptationibus, eruditioni, Muſis. Nam, quæ tua eſt beneuolentia, quicquid erudita iſta in arena diſputari; quicquid pulcherrimæ orationis haberi publicè contingit; ſignificare tu mihi examuſſim ſoles; atque ipſa interdum ſubmittis plena argutiarum, plena elegantiarum carmina. Poſtremum certè conuentum ita mihi accuratè deſcribis, & quid quiſque argumentorum in ſuæ cauſæ firmamentum attulerit, exponis, vt vocem ipſam perorantium, ardoremque dicendi, ac penè geſtus non deſiderem. De Magiſtratu, perpetuus, an temporarius tuendæ, amplificandæque Reip. expediat magis, ais, ſtrenuè diſceptatum: ſtadium verò cum plerique cum laude ingenij decurrerint, tuliſse punctum, ac palmam Regnam noſtrum; quòd præter grauiſſima ſapientum ſcita, rationesque è ſcholis, ipſoque philoſophiæ ſinu petitas, atque ab omni æuo documenta; orationem florido quodam dicendi genere amœnauerit. Planè, quiſquis eloqui in Academiis hiſce noſtris atque aliqui

præ-

præclari argumenti verſari, aut propugnare, in animum induxit ſuum, dictionem ita adornet, neceſse est, vt non in ſcholastico puluere, aut vetere in Academia morari ſe putet; ſed ſplendidiore quodam in theatro, vbi non tam erudiri, quã exhilarari poscunt ingenia; expolita videlicet, non ad doctrinarum vſum, ac ſpecimen; ſed ad ſermonis elegantiam, ac copiam eloquentiæ. Eapropter ieiunæ illæ, ac ſtrigoſæ philoſophorum argutationes, intorta ſtrictiore quadam verborum parſimonia, aut inopia rationum tela; triſtis, impexa antiquitas, nuda Porticus, ſeuerior Zeno, proſcribenda procul dubio ſunt ab hac ingeniorum luce. Vides, accerſiri huc Muſas, honeſtaque in ſede collocari; quibus, vt delicatius ingenium, ita aures ſuperbiſſimæ, vt nihil non mediocre faſtidiant; nihil probent, quod non mordeat frænos, atque efferat ſe ſe. Itaque non contrahenda dialecticè in pugnum manus; ſed ad omnem eloquentiæ ſplendorem aperienda rhethoricè; vt quicquid in ea eſt peregrinæ dictionis, ac verborum copiæ; quicquid floris, venuſtatis, mũditiæ, effundat, orationemque amplificet, exornet, pingat. Vſu nouimus, quo plauſu impolita iſthæc ingenia, & quibus curta adeò verborum ſuppellex, ac mutila à ſcholis lingua, in eiuſmodi cœtibus excipiantur: dormitant, muſsant: quid? inquiunt: ſi ſtrictim argutari, ſi breuiore ſica ingulum petere libeat; patent publica gymnaſia, ac ſtudiorum palæſtræ, in quibus præcipua ea laus eſt, vt, collato cominùs pede, paucis rem agant. Quid inter florentes areolas hæc ſpineta dicendi? an ignorant, ita armari Palladem, vt cum Venere de forma contendat? Contra verò vbi amœnior quædam lingua ita agitare theſim aliquam cœperit, vt nulli parcat cultui, laxetque argutijs, ſalibus, ac lętæ cuidam orationi habenas; hic enimuerò arrectæ omnium aures; fauent hic animis; ad eloquentiæ flumen admurmurant; plaudunt. Iam, vt probè intelligis, Iuuenis ornatiſſime, ita hæc generatim dixi, vt tuum præſertim dicendi inſtitutum, ac morẽ deſcripſerim. Hoc tibi ſolenne, ac tuum; quæſtiones, & quàm acutiſſimè, & quàm ornatiſſimè explicare. Si quid

 af-

affers à Lycèo eruditi, ac ſolidi, elegantijs perinde miſces; vt doctrina nihil amœnius, amœnitate nihil doctius videri profectò queat. Prolixiùs ſcriberem: ſunt nanque adhuc, quæ tecum communicem: ſed, quòd neſcio quid publicæ concionis mihi commentandum, abſtineo, ac differo. Saluta amicos. Vale. Romæ VII.Id.Decemb.MDCXLI.

Philippo Ferrario S.D.

EPISTOLA XXXVI.

Dies omninò ſeptem tenuit me, Philippe Ferrari, lenta quædam febris, quæ vel eo nomine mihi grauior, quòd alloqui te literis minùs potui: neque adhuc firma adeò manus, vt prolixiùs, ſicuti res poſceret, ſcribam. Pluſcula nanque ſunt, de quibus tu mihi conſulendus, quæ differam, quoad ſuum redeat viribus robur. Amicus ille ſuam tandem habuit expectatam diù funebrem orationem. Vis, ingenuè ſententiam meam feram? Viſa profectò mihi digna funere, ac rogo. Nihil ab rhetorum officina: nihil dicendi legibus adſtrictũ: à præferuido quodã genio multa: pauca ab ingenio: à vi iudicij ferè nulla. Non vnus dicere Orator viſus eſt; adeò diſſimilis ipſe ſibi, vt modò præpoſterè, ac neſcio qua pompa intumeſceret; modò à verborum faſtu ad ſuam deſcenderet infantiam: nunc elumbis, nunc ieiunus, plerumque frigidus. In re tenui cothurno vti, & copia; cum interim delibaret vix magna. Quid illa verborum monſtra, à priſcis, ac ſemigothis Italis petita? quid laboratæ ad nouam quãdã incudem enormes prorsùs metaphoræ? quid vibrantes intempeſtiuè ſententiolæ? quæ viſæ hinc inde decerptæ; vt ſtatim agnoſceres peregrinas auium pennas, pateretque facundus, ac fur Cyllenius. Caput præſertim orationis inſana quadam magnitudine laborauit: neque in eo, vti aſsolet in capite, præcipui viguere ſenſus, ac ratio. Nulla maieſtas fronti, non genis floruit purpura; non gratia, ac lux oculis micuit:

par

Digitized by Google

par cæteris membris à verborum delectu, ac elegantia cultus, dignitas, neruus. Plauſere nihilominùs de more imperitorum vulgus: ſed quibus pectus ſapit, mirum, quo deinde iambo dictionem exceperint: vt vnanimi ſtatim ſenſu pronuntiauerint, nihil fore opportunius, quàm vt crebrò lepidum hunc oratorem audirent eloquentię Candidati. Scilicet, Athenienſibus id in more poſitum, vt ebrios in conſpectum Iuuentutis ſuæ darent; nempè vt ab amota hominũ mente, ac labantibus fœdè veſtigijs condiſcerent, quid intemperantia, ac merum peccet. Sed quid? inquies: qui in dilaudandis ingenijs vti mero melle ſolitus es, peracri nunc aceto ſtylum imbuis? Parce, mi Phillippe; plauſus ille, ac vulgi aura bilem euentilauit, accenditque. Conniuere, & cõmendare interdum multa, par eſt: at tam corruptam eloquentiam tanto cum ſtudio, aſsenſuque multitudinis quis vnquam tulerit? Poſtera luce in hoc Diui Andreæ templo Placidum noſtrum Carafam audiuimus de Thienæi laudibus perorantem. Abſterſit is enimuerò, quicquid iniucundi, ac aſperi ab infaceta illa hominis dictione inhæſerat animo. Hic omnigenus eloquutionis ſplendor, hic munditiæ, hic Veneres. Sed non hic diſertiſſimi planè viri dilaudandi locus: neque is tibi commendandus, quem elegantiſſimè dicentem toties commendaſti. Sed parcere ſtylo cogit chori pſalmodia, quæ vocat. Vale. Kal. Septemb. MDCXXXXII.

Fran-

Franciſco Mariæ del Monaco S.D.

EPISTOLA XXXVII.

NOcte appetente, ſucceſſerat ſolutæ iam cœnæ periucunda, vt moris eſt, inter commenſales confabulatio; cũ allatæ mihi tuæ literæ, Franciſce Maria ornatiſſime, interceptam ſermocinationem perfudere ſuo nectare. Legerim ipse, an vorauerim amicus ſcriptorum tuorum heluo, incertum. Illud ſatis compertum mihi, libatam curſim ſcriptionis dulcedinem, illicò reguſtaſse. O literarum ſupra Lipſium elegantiam, nitorem, cultum. Videbatur planè, cum nec auro Principum magnificentia, nec induſtriæ celebrioris famæ ingenia pepercisſet, Tuſculanis hiſce delicijs nihil addi poſſe venuſtatis, nihil demi. Tu picturatæ ſcriptionis tuæ verè tantùm addis elegantiarum, vt iam congeminata amœnitas pulchrior ſuperbiat à tuo calamo. Obijciebat se mihi iſthæc loci facies, veluti Romanæ magnitudinis appendix: videbantur hęc hortorum, fontiũque miracula excelſiſſimi illius operis parerga: tuo ſtylo debent, quod hę laudum appellationes infra laudem ſint. En mutuo amplexu nemorum contexta pulcherrimè laquearia vt ſolem opacant: at quantùm illa vmbrarum infuſcatio ab ingenij tui commendatione adauget deliciarum maieſtatem? Sectę per ſummum laborem rupes, actique in planitiem clini in quantò ſe ſe laxiora explicant theatra, ſi laudas? Mitto lauros, cupreſsusque ad regulam exactas, tonsoque, veluti ad voluptatis ſeruitium, capillamento. Mitto ad gratiarum deambulatiunculas comantes bellè Xiſtos. Mitto in areolis florentes laruas, ſcena ſua dignas. Mitto ſiluarum aperta auiaria. Illa me aquarum beata perennitas afficit mirificè, quæ nusquã, nunquam quieſcentes pœnam ſuam in ſpectantium voluptatem vertunt. Vides, vt carceribus ſuis expeditæ, libertatem admurmurent, prædicentque lætabundæ ad clepſydram? Vides ſtylitem vndam Herculeas ponere voluptati metas?

Vi-

Digitized by Google

Vides clymatericam ſe ſe præcipitem dare per gradus? puto, vt ſuimet, ludentis infernè, miracula ſpectet quàm celerrimè. Vides ex Atlanticis humeris Atlanticum mare glomerantem? Vides non vno concentu inflantem Centauro cornua, Cyclopi calamos, Muſis lituos, auibus guttura? Admiranda hæc, herclè: ſed teſtor fidem, neſcio quonam pacto excepta tuo ſtylo hæc ipsa illimis vnda, ad ſuimet inuidiam manat pellucidior, cadit fractior, perſtrepit ſonantior, ludit, lædit innocentior. Porrò Tuſculana hæc ſolatia non inuides ab vnius meæ cellulæ amœnitate; & te in ære meo cenſes ob hoſpitij communionem. Agnoſco humanitatem, qua in ornandis amicis totus es: agnoſco modeſtiā ſingularem: cellæ adſcribis proſpectui, quod tibi ſine fuco adſcriberes veriùs: Ingenij quippè tui, ac longè gratiſſima ſtudiorum amœnitas haſce tibi concinnat delicias. Commentaris? Adonidis hortos cogitas. Scribis? exaras pulchrè florum areolas. Pangis ad numerum carmina? fontes fodis vngula. Denique quacumque ſtylum ducas; nihil profectò eſt, quod ad laſciuientis naturæ luſus, veriſque iam adulti venuſtatem deſideres: narciſsos, roſas, amaranthos ſcribis. Epiſtolam tuam, cum à me legeretur, excepit pronis auribus ſupremus rei noſtræ Moderator Stephanus Medices; verborumque cultum extulit Cælo tenus. Excepere Patres Butrigarius, & Sottanus, quibus id votum, ne tandiù in publica pecces commoda, & vt quæ elucubraſti iam elegantiſſimè, publicæ tandem vſuræ, ac luci dentur. Romam prope diem reuertemur. Ipse, Tuſculanis delicijs vale dicto, repetam tuas. Vale. Tuſculi

V. kal. Nouemb.

MDCXLII.

Mar-

Marco Antonio de Rubeis S. D.

EPISTOLA XXXVIII.

Altiùs, Marce Antoni ornatiſſime, veſtra Inflammatorũ Academia aſsurgit, ſuisque induta veluti cothurnis, it regum more ſublimi gradu. Contineri intra Phocidem, ac Muſarum regna decora veſtra ingenia nequiuere. Athenarũ Porticum iniiſtis, ac pleraque de moribus cum Zenone, cum Epicteto diſceptaſtis. Quæ præclara, ac digna Ioue lingua Plato docuit; veſtris etiam ſermonibus vſurpaſtis, ac peracri iudicio expendere non ſemel placuit. Sed tamen adhuc intra priuatæ virtutis documenta, totique in cultu, aut ingeniorum, aut morum fuiſtis. Seueriore nunc Pallade tentatis magna; & quod ſanè præclarum, non citra amœnitatem. Secreta Principum adyta, ac pectora peruaditis: Regum Inſulas, momenta regnorum, regiminum formas, populorum commoda, iura legum agitatis: quid grandius? Neſcio, an aſsuetæ fontium, hortorumque delicijs Muſæ, intereſse grauiſsimis hiſce diſsertationibus, morarique in Regum aula, atque inter tam ſeria curarum meditamenta vellent. Eò vos illas rapitis, atque exhilarare ſuis elegantijs argumenti maieſtatem cogitis: planè vt nihil pulchrius, quàm cernere, earum mundicijs expoliri politicem. Scribis, de Monarchia egregiè inter Academicos diſputatum: illa ne, an multorum capitum principatus potior? Tùm, vtra mortalium ingenijs publicæ rei tẽperatio accommodatior, Optimatum, an popularis? quæ regnandi artes? quæ præcipua dominationis inſtrumenta? quis Prouincijs adminiſtrandis opportunior, perpetuus ne, an precarius rector? Reuocata hæc, aliaque eruditè quidem, ac diſertè ad examen, ſignificas. Quòd verò non ita pridem attulit nuntius, elato iam Auſtriaco Cæſari, hoc eſt, Romani Orbis Atlanti, ſuffeciſse magnam illam Septem-Virorum vrnam Auguſtũ Herculem, mones me, in communi gratulatione, tantis

vide-

videlicet Comitijs celebrandis deſtinaſse vos ſolēnem theatri veſtri plauſum : idque præter elegantiſſima Muſarum præſagia, diſceptandum de more propoſuiſse : Regnorum felicitati naſci Principes debere, an eligi? Agitata hæc ſæpè, ac pugnaciſſimè in eruditorum ſubſellijs; at nunquam perorata cauſa eſt. Scio, pro electione Lycèum, & aſseclas ſtare. Scio, ſapientes item viros probare iura natalium. Quid? inquiunt illi: Aberrauerit vnquam ab ſcopo multiplex prudentiorum hominum acies in Principe deligendo? nonne ipsa Comitiorum ratio, ac fœderata plurium ſuffragia id poſtulant, vt in optimum quemque collineent? Nempè in communi re priuata etiam ; ac ſua inuolui, nemo non videt : atque adeò ignauum publicò muneri admonere Moderatorem, hoc demum eſse in suum moliri caput ruinam, & cladem. Hinc paſſim à Comitijs pares faſcibus Principes, qui ad ſupremum ſibi magiſtratum muniuere magiſtratibus viam : quos erudijt elimata vſu prudentia : quibus nō cruda quædam vis ingenij, ſed æuo decocta maturitas ineſt: quos ipsa etiam oris ſpecies, ac feſtinata, non tam annis, quàm curis canicies exornat. Quæ quidem, nunquam adeò conſtans, ac prona Principibus natura, vt ijs ſemper impertiat, qui in purpura naſcuntur. Excepere perſæpè Regum cunæ, quos impetu quodam fudiſse præceps fatum, eorum deinde indoles, ac mores præpoſteri indicarunt. Regnent hi, dominentur : ſtabunt diutiùs ſceptra? ſtabit regnorum tranquillitas, fauſtitas, quies? Fauent nihilominus huic forti naſcendi non pœnitenda ſanè ingenia; vt dixerit ille argutæ vir facundiæ, ac ſciens aulæ : Tutiùs naſci Principes, quàm aſseri. Scilicet, non ea eſt ſuffragiorum ſanctitas, quæ non odium aliquando, aut liuor, aut ſtudia partium corrūpant: iſque interdum eſt Comitiorum æſtus, vt nihil faciliùs ſit, quàm ſcindi, & confundi iudicia, ac tranſuerſas agi partes. Præterea, vt nullus ſuo ſe modulo metitur, in eo Candidatorum certamine nunquam ita optimis plauditur, quin virorum deterrimi libidine quadam regnandi ijs ſe ſe immiſceāt: & quia plerūq; ardētior illis, atq; audētior

 in-

indoles; monſtra non raro vrna peperit, exijtque currente rota vrceus: neque insolens, in eiusmodi delectu miſcere factioſos omnia; eoſque tandem cum plauſu inaugurari, quos ambitio propellit, non virtus. Quid autem ab ijs æqui, ac recti ſperes, quos tam cœca ſuffragatio per calcata bonorum merita ad rerum ſummam euexit? Igitur, cur non tutius, naſci Principes, quorum ingenerata à parentibus quædam indolis maieſtas, ac magnæ virtutis ſemina ſpem nunquam fallunt? Inuritur nepotum animis, ac medullis auita ſpirituum altitudo, generoſitas, & quædam flamma gloriæ; vt quisque intelligat, Reges creari Regibus. Ea quippe eſt magnorum vis natalium, vt non tam ſanguis, quàm purpura ipsa transfundi in filiorum venas, ac florere videatur; naſcunturque hi quidem paludati, ac pene cùm ſceptro: vt iam tum breui ſupercilio, ac nutu ſuo populos regant: veluti ad tractanda regna domus ipsa regia erudiat, faſciæ, cunæ, crepundia, quæ neſcio quid auguſti, ac magni afflant infantibus. Adde Maiorum imagines, domeſtica annalium monumenta, & quæ oculos aſſiduò diuerberat, gentilis gloriæ, famæque lux. Quid illa in parentum ſinu educatio, eorumque exempla, ac monita? Quid in pręclara morum inſtitutione, atque in omnium bonarum artium genere non vnus eximia virtute, ac doctrinarum laude præceptor? Excubant hi, inſtruunt, expoliunt creſcentem indolem: linguã, ingenium, mentem, pectus ad omnem elegantiam, eruditionem, ſolertiam, pietatem informant. An hiſce adiumentis ſpes publicas, populorum vota, regnorum gubernacula deceperit Princeps, quem, ſignatis veluti tabulis, natura hæredem, ac Regem dixit? Annon meritò ijs præferendus quos Comitiorum fauor, interdum impetus Principes fecit? Sed hem, inquis, noſtram in ſegetem falcem immittis? noſtrum theatrum anteuertis? Planè non ea mihi mens fuit, vt ſpatiũ hoc decurrerem, prolixius profectò, quàm vt ipse exhauriam. Argumentum tu mihi obieciſti, ac delibandum duxi, ne ieiunam ad te mitterem epiſtolam. Scio nanque, id cum primis optare te, vt quæ à nobis vltrò, citròque excurrunt

literæ, aliquis honeſtet à ſtudio, ac ſtylo fructus. Quòd verò feliciore tu quidem otio frueris, fore ſpero, vt mihi doctè de more, ac longiuſculè, non ſine poeſeos tuæ delicijs ſcribas. Interim tibi, & Apollini tuo vale, ac perlege breue hoc Epigramma, quod, cùm de Dearum in Idę vallibus certamine neſcio quid in Romana Academia recitari audiuerim, excidit calamo. Romæ VIII. Kal. Quinti. MDCXLII.

Iudicium Paridis.

NOn Veneri Iuno cedit, non innuba Pallas
 Iunoni; Cypris certat vtrique Venus.
Lis ardet: forma pugnant, flauoque capillo:
 Illa ſibi palmam præripit, illa ſibi.
Nec mora: rixantum dirimat qui bella Dearum,
 Idæus Paſtor debuit eſse Paris.
Sciuerit hic ſiquidem, cui lac candentius ore,
 Vellera cui fuerint nobiliora comis.

Auguſtino Martiano S. D.

EPISTOLA XXXIX.

MOnes me poſtrema epiſtola tua, humaniſſime Martiane, te propè diem in Hiſpaniam conceſſurum, atque eſse iam in anchoris triremes Neapolitanas, quæ vbi primū idonea mari traijciendo tempeſtas affulſerit, pandent vela ventis. Neſcio, an hæ te literæ Neapoli reperient: opto equidem, vt antequam ſoluas, meo te nomine conſalutent; &, quæ ſunt officij mei partes, fauſta ominentur nauigationi ſydera. Si te iam venti abripuerint, ſequentur illæ nihilominùs: id enim magnopere amicos rogo, vt mittant. Par eſt nanque, vt quando abſcedentem complecti, ac proſequi peramanter minimè potuere; appulſum deinde ad Aulam,

ſtatim conueniant, emenſumque feliciter pelagus, atque aduentum tibi ex animo gratulentur. In Hiſpaniam & ſi pleraque te commoda propellunt; fieri tamen minimè poteſt quin auelli ab ſinu Italiæ, grauatè ſentias: Vis ea eſt natalis ſoli, vt vel Ithacenſis ſcopulus placeat: quid Italia? cuius ſi Cæli genium, ſi gentem, ſi mores, ſi ſplendorem ſpectes, nihil enimuerò præſtantius. A religione rectè illam appellaueris mundi ſacrarium, ac templum; à literis gentium omnium Athenæum; ab armorum laude ſagatæ virtutis theatrum, an Capitolium? à conſilio prudentiæ ſedē; à rerum copia Orbis emporium; à littorum, ab hortorum, à fontium amœnitate, deliciarum ſcatebram. Quid, ſi in vna Romanorum Pontificum Infula ſimul terrarum, ſimul Cæli faſces iactet Italia? Quamquam non ea eſt planè Hiſpania amplitudine, opibus, artium, morumque cultu, quam illibenter adire quis debeat. Feliciſſimum hunc eſſe Orbis tractum, argumento fuerint tot gentium nationes, quæ per ſumma rerum diſcrimina ſedem in ea fixerint. Quantum ſanguinis hauſtum, datumque olim Romanis, vt pulcherrimam hanc ſibi regionem, veluti ſuam Helenam, vindicarēt? Ipſæ nunc, non tam vrbes, quàm vrbium ruinæ, cladium reliquiæ, ac monumenta bellorum neſcio quid altum ſpirant. Perſpectæ deinde præclaræ illæ, atque inſitæ genti partes: religionis videlicet ſtudium; attemperata magnis rerum momentis indoles; coniunctum cum voluceri quadam vi mētis iudicij pondus; in tractandis regnorum, ac populorum habenis ſolertia; factum ad vtramque fortunam pectus; pacis, bellique artes; morum grauitas, moderatio, patientia, conſtantia. Magna hæc quidem, ac ſupra communem eloquentiam; quæ tamen, ſtudiorum ſplendor, ac traducta per manus literarum omnium poſſeſſio nimium, quantum adaugeant, cumulentque. Hiſpaniam, vt maieſtatis, ita & omnigenæ ſapientiæ, atque eruditionis ſedem iure dixeris, in qua florere literas parum eſt; niſi etiam regnent, ac dominentur. Fuit, qui Europam humano corpori perſimilem fecerit: ita vt cum aliæ alia pulcherrimi huiuſce corpo-

Digitized by Google

ris membra, fuſæ longè, lateque Prouinciæ ſuo ſitu efformēt; Hiſpania tantæ molis caput graphicè repreſentet. Quid ad eius ſapientiæ commendationem accommodatius? perinde ac ſi alibi quidem robur, vigor, nerui; in Hiſpania veluti in principe hominis parte ingenium, mens, ratio vigeant, degatque hic Pallas, veluti in Iouis capite. Salue, auguſtum inclytæ Europæ Caput, non tam Regum maximorum auro, ac diademate redimitum, quàm doctrinarum ſerto, ac virorum longè doctiſſimorū corona magnificè laureatum. Salue, ſtudiorum mater, & altrix, publicum Orbis Lycèum, magiſtra gentium Hiſpania. Quid? adminiſtrant ſacrorum iura Antiſtes? nihil ſapientius. Senatus cogis? nihil grauius. Academias inſtituis? nihil eruditius. Typos imples? nihil doctius. Denique nihil vſpiam ſcitur, quod non Hiſpani doceant: vt alibi quidem peregrinari ſcientias, hic domicilium, ac ſolium fixiſse, dicas. Ne putes, Auguſtine; lenocinari me Hiſpanorū auribus; aut aliquid origini meæ, quam ab Hiſpania repeto, tribuere voluiſse. Fuerit hoc alijs ſeruile ingenium; ingenua mihi indoles æquè ac ſtylus. Tu ipse vsu disces, præclaras me laudes detriniſse; tantū abeſt, vt vltra modum amplificauerim. Porrò ex noſtris Matriti reperies Placidum Mirtum, ſummo virum ingenio, ſummaque potiſſimùm eloquentia. Hoc mirum, Italum hominem dominari facundia in diſertiſſima Hiſpania; ac veluti Gallicum illum Herculem ſuſpendere aurea quadam dicēdi copia Hiſpanas aures. At quando Rex ipse peroranti effusè plaudit; quid ni reliquum theatrum miſceat, atque in ſui admirationem pertrahat Mirtus? Inuidendus tu planè, futurus peregrinæ huiusce eloquentiæ auditor, ac plauſor. Romæ ſunt, qui tibi ſalutem dicunt amiciſſimam, præcipuè Calimerus, & Vannius, tui cupidiſſimi: ſed qui me obſeruantia, ac ſtudio nunquam vicerint. Vale. Romæ VI. Idib. Iun.

Fran-

Franciſco Mariæ del Monaco Cl.Reg. S.D.

EPISTOLA XXXX.

DAbis affectui meo, Franciſce Maria eruditiſſime, vt ſingulis te menſibus conſalutem; conceptumque, ac preſſum diù tecum de more cõfabulandi impetum, breui epiſtola effundam. Nec putes, in laudatiſſimas occupationes tuas fore, vt peccem, aut moleſtus Mineruæ ſim tuæ, doctiſſimè lucubranti: quippè momentò, quæ ſcribam, excurres; eruntque ad eam Lipſij normam breues adeò literæ, vt vix manum impleant. Quod mihi in præſentia negotium, nec ſanè niminum, faceſſit; ea eſt, vti noſti, noſtrarum hiſtoriarum demandata mihi prouincia, quæ vt ſtylo, ita & valetudine longè maior: ſed qui poſsum virium imbecillitati ſtudium attemperare; ingenij tenuitatem nulla profectò animi cõtentione peruincã. Aquilis, Ardeis, auiũ nẽpè generoſiſſimis, eo vti alarũ remigio contigit, vt auras quã incitatiſſimè conſcendant, nubeſque ipſas traijciant: quas verò, aut ſua moles, aut ſua grauat plumarum iuba; & ſi conentur, altiùs aſsurgere nunquam videris; ac lentè ſe ſe moliri, neceſse eſt. Pro facultate nihilominùs, ac viribus opus aggredior, non ſine quadam animi fiducia; quòd nesciam, an hiſtorijs, ac domeſticis præsertim rebus cõscribendis, opportunior quædam ſit ingenij mediocritas. Porrò in noſtro huiusce domus tabulario nihil ſanè eſt, quòd accurata ſcriptoris induſtria deſideret. Congeſta hic, ſuisque excepta loculamentis rerum noſtrarum monumenta, aduerſaria, farragines, literarum autographa, quę Antonius noſter Caracciolus, egregius antiquitatis quæſtor, in codices omninò decem ingenti quidem ſtudio aſsuit. In peruolutandis hiſce Commentarijs totus ſum: percurro, adnoto ſingula perdiligenter: nempè adornanda priùs nauis, ſuaque annona, atque armamentis inſtruenda, vt per Annalium pelagus ſubindè velificet inge-

ge-

Digitized by Google

genium. Italica, ac vulgari olim prætexta expoſitæ res noſtræ: latina, atque honeſtiore nunc toga in theatrum Orbis producendæ. Proh quantum ſuperbiret hiſtoria, ſi tuo ipſe auro, tua purpura conueſtires! qui verborum nitor, quæ grauitas, quæ gratia dictionem commendaret! Nonnullæ à Thienæo noſtro datæ literæ, quas ſcio penes te eſse, inter iſthæc, quæ tero, M.S. minimè cenſentur: illas percurrere, ac delibare, duco pernecesſarium: ſi imperties humaniter; ſcias, in ſinum tuum quàm certiſſimè, ac ſumma fide redituras. Ad hęc, dum Roma ſoluerem, Puluerinus noſter neſcio quæ itidem eiuſdem Thienæi epiſtolarum exemplaria pollicitus mihi eſt: puto, memoria minimè excidiſse: non abs re tamen fuerit, ſtimulos addere, vt citò mittat. Poſtremò, amicos, qui domi, qui foris, iube à me valere, ac me interim tuis precibus iuua. Vale. Idib. Aprilis MDCXXXXII.

Camillo Guerrerio S.D.

EPISTOLA XXXXI.

HAud facile dictu eſt, quàm anxiè tuas expectem literas, acceptaſque deindè, quàm cupidè exoſculer, mi Guerreri. Ab eximiæ voluntatis in me tuæ ſignificatione nihil illis humanius; ab eloquentiæ cultu nihil elegantius. Quam verò haurire ab ijs ſoleo liquidiſſimam voluptatem, videtis profectò poſtrema hac epiſtola corrupiſse. Triſtia obtrudis, communique cum vulgi ſenſu ſeculum ita carpis, vt non tã epiſtolam, quam publicam adornaſse querimoniam, diſertè quidem, ſed quàm funeſtiſſimè volueris. Miſeram, conclamatam ais Italiam: exhauſtam bellis, ac lue: deeſse iam vulneribus loca. Quàm fœdum illud, cudi in ſummum Patrem fœdus, atque expoliri iam arma? quid calamitoſius, quid fato propius, quàm petere partem principem morbũ? Non famam, acerrimam Principum vindicem, non Cæli armamentarium timent? Redieram ab hortis Caetanis, cùm hæc

hæc legi; hærebatque adhuc animo, ac oculis multiplex illa florum venuſtas; ac nulla quidem explicanda dictionis flore amœnitas: atque adeò exulcerare altiùs mentem triſtis tua facundia minùs potuit: præſertim quòd ab iucundiſſimo eo aſpectu intimè conceperam, ætatem hanc noſtram, in florũ cultu nimiam, non modò non asperam, ſed longè eſse florentiſſimam, ac fuiſse aureum olim ſeculum, nunc floridũ. Iam, vt ab hisce te cogitationibus, quæ pectus vellicant, tãtisper abripias, erigasque proſpectu quodam animum; pulcherrimam illam hortorum faciem tibi obijciam, expreſsã quidem leuiter: nam quæ pigmenta facundiæ; quis Tullianus color florentem eam ſcænam, atque enata è bulbis aulæa illa Belgica exactè delineauerit? Franciscus Caetanus, Sermonetæ Dux, multarum Princeps partium, pietate in primis, ac vi iudicij præſignis, ad honeſtam animi remiſſionem hortos ſibi non longè à Vaticano concinnauit. Opportunum hybernis ſolibus ſolum; vt foueri, atque apricari flores, ſuãque, ceu bono in lumine collati, explicare pompam poſſẽt. Diſpoſitæ ad omnem artis elegantiam areolæ; vt labyrinthos, ac geometricas figuras neſcio quas imitentur; præter fictilia penè innumera, quaſdam veluti orcheſtras, è quibus humanæ vitæ fabulam breuis æui flores, actoreſque venuſtuli repręsentent. Apage florum vulgus: è patricio hic ordine, equeſtrique omnes, ac primæ notæ. Quidam aduenæ, originem, nobilitatemque ſuam ab vltimo repetunt Belgio; è Thracia etiam, terriſque transmarinis: quidam indigínæ, Romanoque è ſanguine prænobiles. Abeunt hinc etiã in terras alias, fundantque florentiſſimas ceu colonias in hortis non modò Italiæ, ſed & Germaniæ, & Galliæ; creſcitque perbellè ſub ſole alio, alioque è rore florum populus. Sed age, pone tibi ob oculos Caetana hæc deliciarum prætoria, hos Elyſios, hanc Corcyram, has Veneres, gratiaſque amœniſſimè perſonatas. Planè, cum primùm meis ſe ſe oculis aperuit theatrum hoc Floræ, visa mihi in eo certare millena florum paria; neque citra ſanguinem pugna: diceres quippè, plerosque, accepto veluti vulnere, purpurascere. Quæ

ijs

ijs ſpecies , Deus bone , quæ forma, quæ raritas ; qui nume-
rus, quæ varietas ! ſingulis areolis ſuus erat hortenſis pauo,
auro, gemmis, oſtro diſtinctus . Nulla vnquam Iris tàm
bellè colores , opeſque ſuas miscuit . Muſiuum videbatur
ſurgere ſuis è puluillis opus, floribus vermiculatum . Con-
templari ſingula dum cupio, nescit ſtare loco oculus ; rapi-
tur, diſtrahitur: ſimul hæret, defigitque obtutum, ſimul huc
illuc diſſilit ; ac nullibi non ludentem in multiplici idea flo-
rum naturam videt. Hunc ingenioſa illa artifex raris folijs,
hunc ſpiſſioribus pinxit : hic patulus , repandus ille : hi ca-
pillati, hi tonſi: hi criſpuli, hi leues : hic hiat, labra hic com-
primit: virgatos, ſtriatos , teſſellatos vides. Sunt qui Tyrio
murice ſuperbiunt ; ſunt qui Gallica candent niue : hos in-
ficit pulchrè ſanguis , hi lacte madent : hic argento conco-
lor, hic auro : ille à quadam ardet flamma , hic pallet. Co-
lor huic luteus, huic lacteus : his dilutus, his ſatur : hic ſub-
fuſcus , hic lætior : video ex albo flauum, è flauo croceum :
video immixtum ſurdo vegetum , lento viuidum , conchy-
liato cinereum . Inter tot verò picturatas florum familias ,
ac nobiliſſimas hortorum nationes , vna Tuliparum tribus ,
quas non oculis propinat illecebras ! quàm diuerſi in ijs
vultus ? quàm varia , quam rara chlamys , quo minio ,
quibus interſtinctum guttis , pictumque aurum ! quot ex-
cogitanda nomina fuere ne confundi, miſcerique earum ge-
nus, ſtirpem , formam contingeret ! Quid Anemonas , cya-
neas, purpureas, crinitas, elatoque ad pompam capillamen-
to ! Quid Narciſsos , Hyacinthos ? qui niſi prægrandes, fo-
lioſi, atque inſigni quadã teſsera à reliqua florum plebe di-
ſtincti , in hunc patriciorum censum , atque inter hæc ſum-
ma capita minimè adnumerantur . Sed amens ſim, ſi proſe-
qui ſingula ſtylo velim: delibaſse apum ritu ; ſat fuerit . Ad
hos hortos à curis ſuis diuertit ſæpe Sermonetæ Dux: patẽt-
que Romanis etiam Inſulis, ac Purpuris . Cubant tantiſper
in floribus , exhauſtumque negotijs ſpiritum, hac ope reſti-
tuunt magnæ mentes: per oculos quippè ad animum traiec-
tæ pulcherrimæ rerum imagines, florenteſque deliciæ , illum

Digitized by Google

mirificè inſtaurant, ac recreant. Hoc ipſum tibi ſi accidat ab extemporaneâ, breuique mea narratione, ac conceptam à ſeculi malis ęgritudinem temperes; pręclarum ſanè fructum à floribus demetes, ſuũque erit leuiſſimis naturæ ludẽtis opificijs momentum. Interim ne te publicæ gentium calamitates ita afficiant, vt priuatam animi tranquillitatem decoquas. Fatis aurigantibus, hoc eſt, diuinæ ipsius prouidentiæ conſilio, nutuque eueniunt hæc; qui legem supremo Dictatori dictauerit? noſtrarum sanè partium eſt, quæ à Deo immittuntur aspera, patientia vorare: ſic nunquam non ſerena nobis mens, vel nubilo Cælo. Vale. IV. Id. Mart. MDCXLII.

Franciſco Lando S. D.

EPISTOLA XXXXII.

ESt, Lande, cur te literis viſam meis,
Muſaque funeſta alloquar, & plectro graui.
Heu, luctuosum, triſte, dignum lugubri
Funus cothurno, vbere agitamus lachryma.
Vrbanus ille auguſtus, & ter Maximus,
Proxima ſupremo Numini ceruix, poli
Vittatus auriga, aurea ſagaci manu
Qui fræna mundi rexit, afflatus Deo,
Grandæuus ille Atlas, sacrorum pondere,
Mole & fatiſcens ſyderum, eheu, occidit.
Latialis Aula mœret, & leſsum facit:
Immortua ſuis Roma amoribus, ſuo
Viuit dolori; languet & paſſis comis,
Et ſyrma longum induta, fletibus vacat.
Tarpeius olim lætus exuuijs Ducum,
Ad Infulati ſpolia Principis, graui
Mœrore victus ſqualet, angitur, gemit.
En vt remiſtus publico fletu Tybris,

Ripis plus æquo turbidus dilabitur ;
Fluctuquè triſti murmurat luctus ſuos.
In clade tanta nullus eſt Vrbi nitor :
Horrent theatra, nullus in foris honor ;
Fluxit Latinis collibus priſcum decus.
Quin tangit Orbem luctus Vrbis : latiùs
Per omne mundi clima, per cunctas plagas
Terrarum it ingens funeris tanti dolor.
Quà fronte ſurgit aurea, quà Sol cadit,
Et deflet Vrbanum Indus, & deflet Tagus.
Erepta virtus inclyta , erepta indoles
Præclara mentis, grandis & mundi capax.
Seu flos iuuentæ condecoret ; niueum caput
Seu canus ornet crinis, & ſenij decus,
Heroa ſemper nobilem,& magnum vides .
Hunc Roma prima pube florentem tenet:
Miratur artes Palladis ; mille & Veneres
Miratur oris, diuitemque copiam.
Venaque facili Phœbum , & egregia Lyram
Ceruice penſilem, parem Aſcræis modis.
Hinc ominantur magna : perque Vrbis gradus
It Barberinus libero fauſtus pede.
Proh, quale trans Alpes ſydus micuit ! dedit
Quæ iura forti Galliç , Latiæ ſagax
Interpres Aulæ, Lingua ſupremi & Patris !
Ab ore pendent , eloqui Numen putant,
Mandata dum Romulea facundus refert.
Grata fuere Lilijs Latinæ Apes ;
Grata & Latinis Apibus iſthæc Lilia.
Oſtro ſed ardet caput , & intextus comas
Murex coronat , Tyrio qui manat cado.
Ornatur ipſe purpura; ornat purpuram
Sed ipſe pulchriùs, pretium & illi facit.
At expolitus vſu, & æuo grandior,
Micat inter omnes : iam pares aſtris manus
Diuina tractant ; ſceptra terrarum & regunt.

Stat fronte gemma : allambit auguſtos pedes
Effusa gens mortalium : nutu ſacro
Dat iura populis; arduo & gradu ſedet,
Proſpectet omnes vt ſoli, & Cæli plagas.
Virtute, non ſceptro iubet : fama præeſt :
Beat ingenia, fauet artibus, Muſas colit :
Horreaque laxat cinibus, paci ſtudet.
Amore blandus : ſunt ſuæ at vultu minæ,
Si cauſa iuſtas poſtulet vultu minas.
Hinc æra cudit Martia : hinc arces locat.
Et bella agitat, & fulgurat ferro graui;
Tortumque fulmen ſtringit inuicta manu.
Et Fœderatos admonet, Latium Iouem
Tonare Romæ, & tela iaculari ſua.
Sed mite redit pectus, & ſumit Patris
Ingenium, & hoſtes ſupplices dulci ſinu
Fouet, triſulco fulmine abiecto procul.
Quid ſacra dicam, & Numinis cultum pium,
Et celsa templa, quæ Phrygius ornat lapis?
Quid ære fuſum, & aſperum ſignis tholum,
Fultum columna tortili, Cineri ſacro
Pulchrè incubantem, & luce fulgentem ſua?
At, heu vices, heu fabulam vitæ breuem:
Nunc ille ſenio victus, & die ſuo
Perfunctus, vrna clauditur paucus cinis.
Nil vitta, faſces, infula, & mundi chlamys,
Nil iuuit ingenium, indolis, & mentis vigor.
Monumenta ſibi ſplendida ſuperſtes condidit:
Viuitque docta marmor animatum manu.
In ære Princeps molliùs ſpirat: loqui
Mors vetuit, hærent verba facundis labris.
Det Roma magnis Manibus plena manu
Florum maniplos, lilia, violas, roſas:
Et thura fument, diues & Arabum ſeges.
Nos ritè, Lande, fundimus preces pias,

Puram-

Puramquē mactamus Deo magno hoſtiam, &
Laudes ter amplo ſoluimus Myſtæ. Vale.
Romę VIII.kal.Sept.MDCXLIV.

Honorato Herculano S.D.

EPISTOLA XXXXIII.

COmmendatum tibi vnicè, atque eruditum ſanè hominem, de quo mihi pridem ſcripſeras, poſtridiè quàm Neapolim appulit, conueni incredibili planè cum animi voluptate: illud quippe mortalibus iucundiſſimum, de facie agnoſcere præſtantes viros: quid alloqui? quid intimè cum ijs agere? quid amicitiam conteſſerare? At, quantùm in eo doctrinarum, Deus bone! quantùm elegantiarum, ac venuſtatis! Vir eſt moribus æquè elegantiſſimis, ac feſtiuiſſimis. Nihil triſtioris indolis frontem aſperat: nihil in tanta eruditione ſupercilij, ac faſtus: ſingularis vultu, geſtu, oculis gratia, lepor, hilaritas. Ingenium illi factum ad ſeria, & ad omnes Muſarum amœnitates. E ſinu memoriæ capaciſſimo res promit felicitate, facilitateque incredibili, & quā diſertiſſimè. Vix horam morari cum eo licuit: ſed in tam exiguo tempore audire mihi viſus ſum, ſi ita loqui fas eſt, ſecula eruditionis, quæ ab eius ore, vt Homerica illa nix, conferti ſſima. Viri caput ſpirantem quandam bibliothecam dices; pectus inſtructiſſimum muſeum. Nam quæ tam ampla librorum ſuppellex, quam in illo non videas, ſuos veluti per pluteos, ac loculamenta diſpoſitam? idque hercules, in viua hac bibliotheca percommodum, quòd nullus in perquirendis, voluitandis, legendis voluminibus labor: quicquid ſcire cupimus, is ipse vltrò expromit; facilis nempè, apertuſque omnibus liber, ac obuius; mutaturque ad cuiusque guſtum, ac genium: vt affirmare facilè poſſis, variari volumen, quoties materiam, aut argumentum aliud ex alio illi mutes: eſtque idem, & alter doctrinarum Protheus.

Mon-

Monſtra hæc ſanè eruditionis; ac rara adeò, vt ſuũ vix cuiq; ſeculo contingat. Illud autem vel maximè dolendum, quòd nunquam ferè vitalia. Vis illa ingenij ignea, quicquid eſt ſucci, ac vitæ, ſtatim abſumit: nẽpè, qui lucet vberiùs lychnus, ſuamet alimenta continuò exhaurit; nihilque ingenti flammæ propiùs, quàm ſuus cinis. Sed age, tu quid eliges, mi Honorate, longæuum eſſe cum infantia quadam literarum, ac nullo ingenij cultu; an breuiore fungi vita inſigniter doctum? Qui ſuam pecudum more felicitatem in vſura hac lucis ponunt; quin ſatis viuere, quàm ſatis ſapere malint, nullus dubito. Inſitus, inquiunt, naturæ vitæ amor; huic tuendæ ſua quodque animal arma expedit, dentes, vngues, cornua. Quid deindè mortalibus eà carius? non auro tantùm, non diluta in pharmacum gemma; ſed ipſis vitæ incommodis, arctiore cultu, fame, mutilatis horridè membris, diſſectiſque venis illam redimimus. Quid eius ſtamine pretioſius, quod aurea ipſa ſydera, nobiliores nempè Parcæ, ſua veluti manu nent, intorquentque rotatu ſuo Cæli volumina? luce paſcitur vita, oblectatur luce: quid ſplendidius? Aſſurgat deindè altiùs ingenium: ſciuerit arcanum naturę pectus, ac ſinum: nihil humani, diuinique lateat: ſit quædam ſapientiæ Porticus, ac doctrinarum Athenæum: vnico penè hauſtu vniuerſam ſorbuerit, ac circumferat encyclopediam: ſi breui morimur, quorſum ephimera hæc ſcientiarum præſidia? Ab eruditionis ſplendore audias ingeniorum phœnix; erunt profectò aliquid literæ, ſi phœnicem æquaueris æuo, ac annis: alioquin quid ille, artium bonarum ſplendor, ſi citò occidat? Semimortuæ eæ ſunt; propiores tumulo, ac cineri, quid vnquam habuerint viuidi, ac ſplendidi? Præſtat igitur, inquiunt, ſcire minus, & magis viuere. At enimuerò, qui ſuis res pretijs æſtimant: & ſi ſplendidum Dei munus vitam putant; pluris nihilominùs faciunt, quod eſt ex ſe præſtãtius, ac quid penè diuinũ. Hinc exiguam vitæ particulam, ſed cui ſcientiarum opes, atque ornamenta momentum addant; hinc inertem longæuitatem æqua ſi lance appendas, quantum illa propenderit?

Vi-

Viuimus nanque cum animantibus; cum Deo ſapimus: illis ſimiles, ſi cupimus ſenium; ſi ingenium, Deo. Præterquàm quod quantò mortalibus viuaciores ceruus, coruus, elephas? Ergo id malumus, quo nobis brutæ animantes præſtant? id reſpuimus, quo propiùs accedimus Deo? Quid ſi hoc viuere eſt, contemplari, ſcire, rerum intima peruadere, mente peregrinari? Nam quibus pinguis, atque illiterata mens, ac nulla ingenij, cæleſtiſque eius auræ particula, in humanis quidem agunt, ac reciprocare viuentium ritu animam videtur; ceterùm ſua in inſcitia conſepulti, planè non viuunt: cùm interim eruditi, doctique viri ita inter homines degunt, vt vſura veræ lucis fruantur: quòd ſi mors citò auferat, breuis æui diſpendia compenſant amplitudine ſtudiorum: cumque diem obire ſuum videantur, non occidunt: viuunt in fama nominis, in literarum exiſtimatione, in ſeculorum memoria, in complexu immortalitatis, in ſinu lucis. An pad illud ſapientiſſimorum hominum; quorum alter in erumpentis Veſuuij flamma rogum inuenit; alterum ebullientis pelagi æſtus abſorbuit; ab igne, ab vnda æquè celebres; ſua feſtinaſſent fata, niſi ſcire, quàm viuere maluiſſent? fati ſuis in ingenijs, atque in poſteritatis laude fore ſuperſtites. Itaque hoc pulchrum, ornatiſſime Honorate, operari Muſis: hoc viuere, literatis cum mortuis verſari: hoc vitā extendere, libris impalleſcere, ac prolixiùs commentari. Quod æuum decerpunt ſtudia, reponit æternitas, ac prona ingenijs communis recordatio. Porrò, non ea mihi mēs fuit, vt huc excurreret ſtylus: at non piget. Tu verò, qui probè ſcis, obnoxias fato literas, precariæ huic vitæ æternis monumentis tuis conſule. Si lucem aſpicient, diù vixiſti, & diù viue. Vale. Neapoli Non. Iunij, MDCXXXXIV.

Tho-

Thomæ de Aquino Cler. Reg. poſtea Epiſc. Motul. S.D.

EPISTOLA XXXXIIII.

MIraris, quod ſcribenti tibi Italicè, Latinè reſcripſerim. Non inconſultò id factum. Nam cum ſciam, à Latini ſermonis venuſtate, grauitateque te minimè abhorrere, atque hac ipſa lingua cum laude ſcribere; fieri vix poſſe exiſtimaui, quin guſtui tuo ſaperet, quicquid ſcriptionis condiuerit Latium? Quid, ſi id mihi percommodum? In rerum ſiquidem noſtrarum hiſtorias propè diē ingreſſurus, fore puto, vt hac qualicumque ſcribendi exercitatione diù conſopitum excitetur ingenium; vtque ejuſmodi veluti calami velitatione, cum in apertum deinde hiſtoriarum campum, atque in ipſam aciem venerim, promptiore quidem dictione, manuque ſtylum vibrem. Iam, quod ad hæc noſtri Ordinis Commentaria attinet, prouincia ea eſt ingenio, ac valetudine mea longè maior. Attamen parui, neque illubenter; quando neſcio quid addi virium, ac facultatis ab alacritate obſequij probè nouerim. Quippe & Maiores ipſi, qui iubēt, & ſi librare æqua lance, atque expēdere humeros, ſi ferre onus poſſint, minimè interdū videantur; nihilo tamē minùs, qui diuini Numinis vices adminiſtrant, ac potentiā repræſentant, non admouent modò ſtimulos, ſed vim etiam quandam, ardoremque animis inſpirant, vt propoſitum ſibi currendi ſpatium vorent. Hoc ego animari ſpiritu iam penè ſentio; aſſurgitque ab imperio, qui iacere videbatur, ſcribendi genius. Itaque cum Neapolim vix appulerim, videor impetu quodam ferri. Nihil mihi antiquius fuit, quàm in Paulinum hoc tabularium inuolare: circumſpexi, luſtraui ſingula. Mirum, quantum Antonius Caracciolus, vir ille antiquitatis ſcientiſſimus, & Valerius Paganus de rebus noſtri Ordinis cùm à noſtris hominibus, tū ab exteris corrogauerint. Hic farraginum codices omninò decem: hic ad-

aduerſaria, collectanea, breuiaria, autographa, diplomata pene omnia. In immensa hac rerum ſilua nihil hactenus licuit mihi, niſi raptim excurrere: velut hoſpes in aliena regione, fixis nullibi veſtigijs, obambulo, exploro, interrogo; vt locorum deinde, temporum, ac rerum gnarus, diſperſa huc illuc fragmenta narrationum digeram in Commentarios; ſuumque in corpus abeant membra. Illud in hoc ſtudiorum veſtibulo pernioleſtum ſanè accidit. Nam dum feruet opus, totusque in hanc curam incumbo; ecce tibi panegyrica mihi de ſanctiſſimo Thienæo noſtro demandatur oratio. Obnitor, excuſo occupationem; initia præſertim, quæ vt nunquam non difficillima, ita intendi neruos oportet, ac curare omni ope, ne quid interpellet, ac moretur curſum: certè, aiebam, & ſi cœptum inſtitutum breue hoc dicendi munus non omninò abrumperet, langueſceret nihilominùs illa ingenij contentio, & vigor: nihil autem magnis conatibus infeſtius, quàm primos animi impetus frangi, quos fouere, atque inflammare vehementiùs, admota face, oporteret. Sed dum eiusmodi argumentis vtor, atq; infimis etiam precibus rogo, fruſtra omnia: & quòd non dubitauerim, fore, vt hæ Beatiſſimi Parentis laudes eius mihi opem, ac patrocinium in grauiſſimo opere, quà incipiendo, quà proſequendo concilient, dedi manus. Igitur perorandum mihi, qui cùm non raro dixerim, abhorrui ſemper à dicendo. Video in hoc freto nobiles non vno naufragio ſcopulos: video oratores non ſanè paucos ab ea orcheſtrę ſublimitate præcipites. Adblanditur, placetque publica illa concio, quæ theatrum adornat oratori. At quoties eodem ipſo in theatro, exſibilata dicentis infantia, plauſus abijt in conuicium? nempè quòd malè dixit, malè audijt; & lingua linguam mulctat. Aurum fundat diuite ab ore neceſse eſt, Gallus Hercules, quiſquis emere, aut emereri iudicia auditorum velit. Ego, vt noſti, neque is ſum; neque is videri vnquam adfectauerim: atque in præſentia niſi argumenti dignitas dictionem cohoneſtet, acta res eſt. Sed bene, an ſecus alea ceciderit, hoc perfunctus munere,

O re-

redeam ad lineam hiſtoriarum. Audio, Monachum noſtrum moliri typos, atque è tot multarum noctium vigilijs decreuiſse, aliquid tandem in lucem edere. Vrge, mi Thoma; fieri, ſiquidem nequit, quin omnium teratur manibus, quod eius induſtria deſudauit. Amœniſſimum illi ingenium: ſcribendo ver facit, deciduntque è calamo narciſſi, roſæ. Interea nulla noui Pontificis inauguratio. Plura circumferuntur è vulgi fama: ſed commenta, & fabulæ ſcenam implent. Aderit tandem Vaticano è vertice Vittatus Sol. Vale, atq; à ſydere, quod nunc, vt cum maximè, acriter mordet, caue. Neapoli V. kal. Sept. MDCXLIV.

Eraſmo Caſtellio S D.

EPISTOLA XXXXV.

QVam egò de re noſtra Theatina primam deſcripſi Cōmentariorum Partem, religioſi nempè obſequij, non ingenij, aut eruditionis opus, aſpiciet quidem prope diem publicam lucem; ſed neſcio, an ſuſtinere publicæ lucis, ſiue dignitatem, ſiue periculum valeat. Abſoluta ſuis numeris, ac ſplendida nonniſi ab accuratis, præclariſq; ingenijs, & quæ pronior quædam Minerua afflauit, ſuaque expolijt manu, cuduntur. Eapropter vereor maxime, Caſtelli eruditiſſime, ne quæ modo humanitas tua probat, improbet deinde iudicium. Accidit ſæpiùs, vt quædam literarum monumenta digna quidem aſpectu, ac theatro literatorum fuerint, niſi hoc ipſum literatorum theatrum, aſpectumque ſubijſsent; vti de Romano illo Cæſare olim dictum, quem dignum Imperio reputarunt, niſi imperaſset. Quod ipſum de poeſi etiam mea affirmauerim. Effuſa pleraque præcipiti quodam genio, quibus à delectu, à lima, à venuſtate nullus planè flos, aut ardor poetice dictionis: adeòque nil propiùs, puto, erit, quàm vt delicatior quæuis Muſa, ac auris contemptu acriùs mulceat. Obſequendum amicis fuit,

quo-

quorum sanè penè ad conuicium adhortamenta euicere, vt euulgarem. Præterea, nugæ ſunt: nec vnquam profectò adeò mihi placui; vt adfectarem à nugis ambitioſiùs laudem. Quod ſi neque à cothurnatis ipſis, ac grandioris notæ, famæque vatibus ſuus hodieque contingit locus, ac plauſus; quid is speret, cuius ſumma vix proluit labra exigua ex Helicone ſitula? Porrò à temporis diuturnitate, ac literarum ſilentio nihil de tuo in me ſtudio detractum, vehementer gratulor, habeoque gratias, quòd elegantiſſimè perindè, atque humaniſſimè ſcripſeris. Epiſtolæ addis geminum epigramma, quæ dum cultu, atque acumine inter ſe certant, peramicè in ingenij tui laudem conſpirant. Parce, ſi nihil ipse poeseos viciſſim mittam; luſimus olim: nunc quos pergo Annales noſtros, non ſinunt, me, reſumpta in manus lyra, ad Parnaſſi vmbram vlteriùs feriari. Vale. Neapoli Pridie kal. Oct. MDCXLVII.

Aurelio Cataneo S. D.

EPISTOLA XXXXVI.

VT literas ad te citiùs darem, impetrare à recentis doloris impetu minimè potui. Luctandum mihi ingenti cum luctu fuit in peracerbo Marci Antonij de Rubeis funere, huiusce noſtræ Inflammatorum Academiæ Principis, à laude ingenij, atque à cultu præſertim, vſuque poeſeos politiſſimi Iuuenis, quem paucis ante diebus intra annum ſextum, & vigeſimum, hoc eſt, in ipso æui flore mors abſtulit. Peculiaris mihi doloris cauſa: nam præter ſanguinis iura, coniunxerat nos genius, & quædam ſtudiorum ſimilitudo: vt non vna planè è vena fluant lachrymæ. Adde commune Academiæ vulnus, quæ nunc ſe demum conſenuiſſe viſa eſt, cùm abruptos florentes Principis ſui annos vidit. Planè, ſi præclara eius ſtudia; ſi maturum, ac par quantæcumque eruditioni ingenium æſtimes; did quidem viuiſſe

 illum

illum dices: ſatis verò parum, ſi ætatis, famæque rudimentum, ſi publicum Academiæ, Patriæque deſiderium ſpectes. Atque hæc potiſſimùm vberior doloris, ac fletus ſcatebra. Nam obire quempiam diem ſuum, cùm, emeritis iam vitæ, ac ſtudiorum ſtipendijs, à ſenio incanuit, à gloria inclaruit; cùm hauſtus Cælo animus, vt ad cognata redeat ſydera, miſſionem à defecta iam viribus natura efflagitat: cùm quicquid ſenectus intulerit morbi, mors ſanat: quis hic mœrori locus? quem fati ſui pigeat? quis tot vitæ ſolibus incoctus, mortis eandem vmbram non adamauerit? ſcilicet, naturæ appendix mors eſt: haud æuiterni naſcimur: in hoc vitæ curſu velimus, nolimus, tradenda alijs lampas; ac nullum enimuerò inſtructum adeò, quà remigio, quà velis nauigiũ, quod frangi ad tumulum, ceu ſcopulum quendam non contingat. Illud oppidò deplorandum, adulta non dum luce occidere; florem ipſum decuti; creſcentes difflari ſpes; metam non longè à carceribus adfuiſſe; atque emenſo nondum pelago, ſorberi nauim. Hæc Marco Antonio commiſeranda ſors contigit. Ab ornatiſſimo quidem ingenio, à contentione animi, à ſtudiorum ſplendore Prætoria quædam nauis videri poterat: idque illi propoſitum, non Herculis, ſed gloriæ metas præteruolare. Aſſidere ad gubernacula Pallas, Phœbus videbantur: remiges hinc Muſæ, hinc virtutum phalanx; nauticæ pyxidi præclara præerat mentis ſolertia: eruditorum plauſus, ac aura implebant vela: Arctos, ad quam oculos intenderet, religio erat, ac fama nominis: quid peregrinę, atque opulentiſſimæ bonarum artium in eo merces? quid reliqua armamenta, atque ornamenta ingenij? contẽnere procellas, Euripos, ſyrtes videbatur. Quid plura? dum ſoluit, vela dum explicat, curſumque pollicetur auſpicatiſſimum; furente à ventis pelago, momentò naufragat. Quid hoc infortunio intempeſtiuius? quid luctuoſius, quàm ſub ipſam velificationem intercipi? O noſtræ Academiæ flammas planè infauſtas. Lucem ab iis communi exiſtimationi dum expectamus, en noſtri pars potior, ac nobilior in cinerem lapſa. Ad hæc buſta videre mihi videor paſſis elo-

quen-

Digitized by Google

quentiã capillis acerbiſſimè lamentari, ceu flos ipſe pulcherrimæ facultatis, ac præcipuæ dicendi deliciæ defluxerint. Video poeſim nobiliſſimam planè artem, diffracta cithara, abiectoque plectro, non alienum ſed ſuum proſequi flebilibus modis funus. Impalluit præſertim plus ſolito conſternata, atque effusa in lachrymas tragædia. Diſcissa chlamyde obſoleuiſse cothurni maieſtatem ac decus; ſiluiſse theatra ſua; obmutuiſse ſcenas, indoluit, quo tempore illuſtrandas Cõradini Regis syrmate; ac non tam cruenta eius purpura, quàm prænobilis *Poetæ* dictione fore condecorandas, putabat. Hinc & vberrimæ Conradino ipſi lachrymæ, qui dum Caroli Andegauenſis ſecurim, atque incomparabilem iniuriam compenſare æterno Marci Antonij carmine perſuaſum habet; en hic, interciſo pulcherrimo opere, ſpiritum, ac ſtylum ponit. Incuſat Rex ille inclytus æquè ſibi viuenti, ac mortuo aduerſam, hoſtilemque fortunam ſuam. Viuenti ſiquidem ſceptrum, vitæque lucem abſtulit; mortuo gloriam, ab eo nempè dramate luculentam. Nobis hoc maximè dolendum, quòd in Conradini ſcena primas, easque luctuoſiores egerit partes ipſe Tragicus, qui dum alienum repræſentare cum laude funus parat, offendit ſuum, augusto Regi immortuus. Porro Principi noſtro, inſtituto ſolenni Conuentu, pro modo parentauimus. Atrati Academiæ parietes, viſi & ipſi communem agnoscere iacturam, ac vulnus. Habita de more elegãtiſſima oratio: nec defuere lugubri officio perculſæ licet Muſæ, quæ inscriptis splendidè nænijs, ac recitatis certatim carminibus, viſæ manibus dare lilia plenis. Scripſi, quod tibi, qui dicẽti fauiſti nõ ſemel auribus ac plauſu, fore gratũ putaui. Quòd ſi lõgius fortaſse in triſti argumento prouecta eſt epiſtola, egerẽdus dolor fuit, ac solatiũ à luctuosa ipsa cõmemoratione eliciendũ. Non mitto quæ pro foribus loquutæ sunt literæ à meo calamo: incõptæ illæ ſiquidem; neque in tanta conſternatione quid cultæ ſcriptionis commentari mens poterat. Saluere à me iube Auguſtinum fratrem. Vale & ipſe diu. Bitunti tertio decimo Kal. Octob.

Tho-

Digitized by Google

Thomæ Caracciolo Archiepiſc. Tarent. S.D.

EPISTOLA XXXXVII.

ID à me literis tuis petis, Illuſtriſſime Antiſtes, vt quos mihi libros demandaſti, & cupidè expectas; mittam quàm citiſſimè; tùm Niſium noſtrum moneam, vt quicquid ſacræ ſuppellectilis Tarentinæ iſti Eccleſiæ exornandę faciẽdum iuſſiſti, vrgeat; appetentibus videlicet ferijs Natalitijs, quas, adaucta ab aulæis, argentoque, ac florum venuſtate Baſilicæ magnificentia, celebrari perquàm ſplendidè cuperes. Iam, quod ad libros attinet, in promptu ij ſunt, breuique accipies; ſi quod propè diem ſoluet nauigium, commoda vtetur tempeſtate. Niſius operi accuratè incumbit; totusque in eo eſt, vt cuncta artifices maturè peragant; antequàm hybernum ſydus mare euertat; ac longum ex ſe iter, multò longius africi, notique faciant. Video, & magnopere gratulor, intentiſſimum te in Eccleſiæ tuæ ornatum; quo neſcio, an quid Epiſcopo laudabilius. Sunt qui lautiſſima Eccleſiarum patrimonia, earumque opulentiam in ſplẽdorem ſuum ita vertunt, vt quid templa, quid ſacra poſtulent, nihil penſi habeant. Renidet aureum in domo lacunar: parietes picturatis ſtragulis Belgium animat: excellentium artificum tabulæ, magno coemuntur ad oculorum illecebrã; atque vtinam ſuo interdum minio non erubeſceret nuda effigies; vile in ſcriniolis ebur, certatque in ijs politiſſimo cũ opere materia; in ſtratis, in ſellis, in velis ludit peregrina acus; quantum in argentea ſuppellectili ſplendoris, ac luxus? in epulis, atque vni gulæ quantum induſtriæ deſudat? nunquã non fauſtè, ac bonis cœnatur auibus: iſque eſt ferculorum numerus, vt penè non ſuſtineant onus menſæ laborantes; ſuus eſt famulitio faſtus, ſua equis, ſua curribus pompa. Quæ quidem pompa ſi priuata è domo tranſiret in templa, quantò pulchriùs, ac ſanctiùs exſplendeſcerent dicatæ Deo opes?

Digitized by Google

opes ? quantum lucis, ac pretij auro additur, ſi templa illu-
minet ? quantum Attalicis indumentis magnificentiæ, ſi aras
veſtiant ? Creſcit ebori nitor, fulgor gemmis, margaritis can-
dor, à ſplendore religionis. Quæ Lesbos, quæ Paros, quæ Nu-
midæ mittunt marmora, ornando Numini ſi expolias, neſciò
quæ pretioſior varietas eorum cruſtis additur : ipſæque tùm
maculæ ad inuidiam nitent. Suadent hęc, nihil eſse anti-
quius debere Antiſtiti, quàm ſtudere templorum cultui, ſa-
crorumque mundities. Poſtulat hoc muneris ratio, ac decus:
dignitatique, ac Infulę accedere videtur, quicquid in Eccle-
ſiam ſplendoris, maieſtatis, externique cultus confert. Nobi-
lis virgo ſi nupſit, totus in quærendis, curandiſque eius ele-
gantijs ſponſus eſt. Quot veſtium nomina, quot gemmarum
globuli, quæ margaritarum lineæ, qui auribus ; qui pectori
elenchi ! Quid igitur? ſponſam ſuam quiſque mortalium pro
modo exornauerit ; Eccleſiam, cui, pronuba diuini ſpiritus
gratia, ac flamma, nexuque adamantino, ac data dexteram,
Episcopus nupſit, is ipse non exornabit? Quid monſtri tam
ſimile, quàm nitere domos, ſqualere templa ? lucere vel in
fumariolis marmora, fumo ſordeſcere Dei Sedem? conueſti-
ri splendidè conclauia ; nudum ; aut penè sub pellibus Nu-
men degere ? porphyriacis ſuſtentari columnis atria, ſacram
ædem hic nutare, hic ruere ? Præclarum magnificè iſtiuſmo-
di religionis exemplar fuit Maximus ille ; atque Optimus
Pontifex Paulus Quartus, noſtri Ordinis Conditor. Domus
illi, cum eſset adhuc in purpura, intra omnem modeſtiam :
domeſtico inſtrumento nihil frugalius: in aulicis nihil faſtus:
ſtrigoſi in curru equi : planè vt nihil reſpondere nitori pur-
puræ videretur : Sacellum deindè ſi cerneres ; ſi ſacram in
eo ſuppellectilem, ſi opes, ſi artis elegantiam ; nullus profe-
ctò in ampliſſimo Purpuratorum Senatu erat, quem
illi comparaueris. Dixiſses, non vnum, ſed duos eſse inter
Auguſtos Patres, ac Romæ Carafas: alterum domi inopem;
alterum in Sacello opulentiſſimum. Creuit ſubindè rerum
potito hic splendor. Cum de religione, ſacriſque age-
retur, nulli parcendum ſumptui inclytus Pontifex ducebat :

 adeò

Digitized by Google

adeò vt petita ab omni antiquitate aurea Romanorum Cæſarum numiſmata, quę illi in pretioſiſſimis, fundi aliquando; ac diffingi ſpirantes eorum vultus ad Euchariſtici Numinis ornatum, iuſſerit. Mos idem Paulo noſtro Aretio Cardinali, ac Neapolitano Archiepiſcopo fuit, cuius ab Infula virtus clarior; Infula à virtute ſanctior. Viſus is Theatinam paupertatem in Pontificias ædes inuexiſſe: nudus omninò paries: nihil in lecto ſerici: vix in foribus velum. Quis deindè in Dei cultu? procurata ad magnificentiæ normam omnia: exſplendeſcere à ſyrmatis, auroque aras volebat: cùm ſolenni ritu faceret, certabat cum pompa pietas. Hæc tu veſtigia imples egregiè, Thoma Caracciole; probè nanque intelligis, cum & pſalmodiæ concentu, & præſentia Numinis Empyreum repræſentet Eccleſia, par eſſe, vt ornatu etiam, ac pompa illud imiteretur; ſitque ſuum templis aurum, ſua lux, ne quid detrahat diuinitati locus. Quod ad aram, quam ſacræ Euchariſtiæ pridem dedicaſti, apponi inſcriptiunculam ad poſteritatis documentum decreueris, probo: quod illam concinnari à meo calamo iuſſeris, haud multùm ſanè probauerim: cum, vti nunc monui, nihil vulgare templa poſtulent. Miſi nihilominùs, ne refragari tuo nutui viderer. Perge interim Sponſam tuam, vt facis, demereri, atque ornare munifica manu, ac moribus. Vale. Neapoli IV. Id. Januar. MDCXLVI.

Franciſco Barilio Cl. Reg. S.D.

EPISTOLA XXXXVIII.

NEſcio quid ſibi à meo calamo Maiores noſtri perſuaſerint, Franciſce Barili. Me ne communes à Congregatione condita hiſtorias, & Commentarios moliri? Ad hoc imperium, fateor, cohorrui. Expendi vires, ingenium, dictionem, & quam præcipuè iſtiuſmodi ſcriptiones poſtulant, prudentiam. Vidi ſtatim in longa velificatione ſcopulos; vi-

vidi in curſu moras. Scribam, quæ non æquis plerique auribus audient? taceam, quæ narraſse, è re noſtri Ordinis fuerit? Acuam interdum ſtylum, vt Scriptorum, aut errata, aut confidentiam figam? At is, herclè, ſum, vt neque ſcripſerim vnquam diſſimulanda; neque ſcribenda diſſimulauerim. Arenam verò ita odi, vt nulla me aliquando controuerſia eò adducet, vt rixer. Quid in hiſce Euripis agerem? Itaque & quàm modeſtè, & quàm ſtrenuè deprecari id muneris contendi: ſed fruſtra; atque adeò parendum omninò cùm eſset, abundè hoc mihi, patuiſse: dimidium facti habeo. A ſtudio, à vigilijs, à quadam etiam animi contentione officio non deero: ſi minus eloquentia, ac iudicium reſponderint, non me quiſquam facilè carpſerit, quem non impetus, ac ſuus ardor; ſed Maiorum, non tam nutus, quàm ſupercilium huc impulit. Marianum verò, Diuorumque præſidium, quorum me fidei committo, in grauiſſimo negotio nunquam deſperauerim. Hac mente in deſignatam mihi Paulinam hanc domum eueſtigiò me contuli. Sunt hic ad ſcribendum à bibliotheca longè inſtructiſſima, atque à tabulario, ac M.S. adiumenta. Iam, in Neapolitano hoc Cœnobio nihil non mihi ad cor. In templo quidem, quod à ſitu, à mole, à cultu, à ſacro inſtrumento, à Diuorum Lipſanis, atque à ſacris præſertim Sanctiſſimi Parentis noſtri Caietani, & B. Andreæ exuuijs, quæ ſumma hic religione celebrantur, nulli è Neapolitanis Baſilicis ſecundum dixeris; id recentis ſplendoris reperi, ſuſpenſum nempè, ornatumque auro, ac picturis fornicem, quo nihil, aut magnificentius, aut pulchrius. Coniuraſse in mutuam elegantiam videntur plaſtice, bractearia, pictura. Luſit curioſiùs, ac politiſſimo ſanè opere in parergis ſuis, ac pancarpijs plaſtes: hæc verò bractea illuminat, ac veluti attactu Midæ in aurum mutat: ars vtraque picturæ famulatur, additque neſcio quid coloribus lenocinij: Quamquam non eæ ſunt hæ tabulæ, vt alienum poſtulent ornatum, ac fucum, quo niteant. Eques Maximus fecit, in hac pingendi arte planè maximus. Quiſquis illas, modò non ſtipes, ac lippis oculis, intuetur, ita-

ſtatim capitur, vt niſi intercipiat verba ingẽs admiratio, pronuntiare confeſtim cogatur, efformare tantũ elegantiſſimorum operum, niſi pictorem Maximum, minimè potuiſse. Habes in vno fornice pendentem hic integram pinacothecam. Varietas obruit: ab vna ad aliam prouocamur, ac trahimur vi quadam tabulam: palmam modò huic, modò illi damus. Germanæ eæ quidem ab vno patre, ac manu: diſſident nihilominùs, certantque de venuſtate, & gratia: vt ſimul contẽdere ſecum ipse, ſimul triumphare de Maximo Maximus videatur. Rarus in hac arte nexus ille, vis, & ſuauitas. Sunt qui ingenio valent planè actuoſo. Rerum formas ſpecies, geſtus ita imitantur, vt plura etiam, quàm color exprimat, indicent. Dant figuris ſuis animam, motuſque animæ: diceres, viuere, ſi loquerentur; loqui, ſi viuerent. Spirare, parum eſset, niſi è tabula etiam proſilirent; perindè quaſi hauſto è Cælo igne, corpora animaſset pictor, an Prometheus? Hi deindè, ceu generoſioris ſpiritus viri, quicquid eſt quæſiti leporis, elegantias, finitiones, ſuas in lineamentis Veneres, ſuas munditias, veluti quid fœmineum, ac molle, omninò, aut negligunt, aut neſciunt. Maximus tulisse videtur punctum. Sunt nerui, ſunt gratiæ: nihil delicatius, nihil item robuſtius: ſuauitate trahit, vi delectat: in vehementi ipsa animorum, ac motuum expreſſione penicillum vides elegantiſſimum: vt nõ tam pingere, quàm ſuspensa miniare manu, ac punctim dicas. Teſtis hæc Paulini templi pictura, in qua ita floret in picta hiſtoria venuſtas, vt à quadam actuoſitate ipſa penè loquatur, ac diſertè narret hiſtoria: planè, vt nihil excellenti operi deſit, præter priſca ea tempora, quæ Apelles, Parrhaſios, Timantes tulit. Quamquam eò noſtrum hoc æuum in hac pingendi arte euaſit, vt vetuſtatem exæquaſse, laude inferius ſit. Certè, ſi Italiam excurras, nuſquam non Parrhaſios, ac Protogenes offendes; veluti tot iam ſeculis euolutis, redierint poſtliminiò artifices illi inclyti; ac vetus ea Græcia vnà cum ſuis ingenijs, ceu rediuiua, floreat iam denuò inter Italicos. Neque eſt, cur longè, latèque euagemur: Romæ ſiſte, in Vrbe videlicet, quæ congeminaſse ab

iſtiuſ-

iſtiuſmodi artificum manu gentem ſuam videtur. Spirantes quippe tabulas, figuraſque in templis, in ædibus, in aulis, in atrijs, ac penè in triuijs cernis. Non id loci eſt, picturatum hunc capitum cenſum, atque alterum hunc Romanum Populum deſcribere: vnum me abripit Capitolium, atque augusta ea aula, quam Eques Arpinas, Ioſeppinus Cæsar, pictorum nempè Cæſar, animauit. Quid hic dicam, mi Barili: vbi primum tantum picturæ opus, an miraculum? inſpexi, penè ſpiritum abſorbuit admiratio. Inuidi profectò Argo fabulam, exhauriendo videlicet centenis oculis Operi. Quid grandius, Deus bone, quid acutius, quid pulchrius ab ipsa æmulatione naturæ, ab artis ſtudio, ac vſu, ab acri vi iudicij, ab ingenij, manusque argutijs, ab incredibili rerum complexione, à lucis, vmbræque elegantijs, atque ab horrore quodam quàm iucundiſſimo? Prælia hic vides Cæſarū, atque innumeras penè exigua in area legiones. Collatis ſignis, concurrunt citra motum, non ſine metu phalanges. Fulgurare oculi, tonare ora, fulminare dexteræ: audis, vides penè hæc; horreſq; prope te interneciones eſse, teq; penè immixtum pugnæ. Ardet duraturus in oculis furor: vides in vultibus minas: expreſſi hic ſupremi ipſi anhelitus, fata, neces. Dux Ducem premit; ſuſpenditque ictum, dum vulnerat; nec cœdit, nec parcit picturæ ingenio. Equos, equites ita mutua inuoluit ſtrages, vt oblectent mirificè pulcherrima illa ſtragis lineamenta. Ita viuit à penicillo bellator, vt ficto à vulnere cogatur mori. In Labaris ita fluctuant Romanæ Aquilæ, vt incumbere in cœſorum corpora videantur. In tanto armorum conflictu vnus triumphat in Capitolio Cæſar Arpinas, qui tantum operis tanta cum induſtria, ac penicilli felicitate elaborauit, quanta summa illa pictorum capita, quæ priſca ſuſpexit ætas, nunquam profectò elaborauerint. Non illum Apellem, aut Zeuxim dixerim, ſed pictorum Roſcium; cui tanta in repræſentando, imitandoque, veluti in ſcena, dexteritas, facilitas, argutique geſtus varietas. Sed video, me prouectum altiùs: ita redeo, vt epiſtolam finiam, quam ſine eximiæ volũtatis in te meæ ſignificatione

nunquam obſignauerim. Si me tuis ad Deum, ac Deiparam precibus iuueris, facies, quod ipſe maximè optauerim. Vale V.Kal.Nouemb.MDCXLVI.

Aloyſio Riccardo S. D.

EPISTOLA XXXXIX.

DVm in Hiſpaniam nauigas, tuis me literis quàm elegantiſſimis compellas, ac viuere me teſtaris in memori tuo pectore. Video, Aloyſi, vnà tecum ſimul diſertiſſimas Muſas tuas; ſimul earum veliſicare matrem, nempè memoriam. Planè, cum vehementer mihi gratuler, quòd noſtræ perhumaniter amicitiæ memineris; tùm valdè miror, quòd ſcripſeris; cùm & fluctuans pelagus duci, ac regi ſtylum vetet; & à claſſiarijs, viliſſimaque gentium colluuie voces, rixæ, turbæ commentari ingenium non ſinant. Vicit enimuerò tua beneuolentia incommoda prorsùs omnia: ita vt tot inter auocamenta non modò appellere ad ſcribendum animum, ſed tot etiam amœnitatibus, munditijs, argutijs inſpergere epiſtolam potueris. An ab ea pelagi agitatione incaluit ingenium? an ſalſi fluctus lepidiſſimos eos tibi ſales commodarunt? an iterum non vnam, ſed plures tibi dicendi Veneres peperit mare? an aliqua ſcribenti adfuit marina Siren, ſuasque tuis literis afflauit illecebras? Videris, herclè, non Tyrrhenum nauigare æquor, aut Liguſtica adhuc littora adradere; quando Erythræas opes, atque Indici maris elenchos, ac purpuram diuite, ac longè ſplendidiſſima dictione tua oſtentes. Illud verò mirabilius, in tanto rerum, ac pelagi motu dictare, ac pangere te carmina; idque, vt ſcribis, ea alacritate ingenij, veluti ſecundiſſimæ aſpirent Muſæ; ſitque tuus Helicon nauis; ſtrepentes maris vndæ Caſtalius, ac Neptunus ipse abierit in Apollinem. Nunc primùm innatat pelago Pegaſus. Roſtratæ olim naues; tu à poe-

Digitized by Google

à poeſi tua facis nunc laureatas: ac neſcio, an Arion ille Lesbius, cui Delphin prora, & puppis, hoc olim concentu citharæ æquor transmiſerit. Certè non minimùm tibi Parnaſsus debet, cui, quæ deerant maris deliciæ, & commoda, videris ipse addidiſse; vt tuis nunc auſpicijs, totuſque in te nauiget. Neque eſt, cur facilem maris iram, ac procellas metuas; quando tu is es, vt tranquillare tua cithara momentò pelagus poſſis, ac decertantem aquilonibus Africum cantu componere. Iam, quæ meæ ſunt partes, auſpicatiſſimum tibi iter, & voueo, & prolixiùs precor: neque hic fratres Helenæ compellauerim; ſed ſtellam illam maris, cui ſtellæ famulantur omnes, ac veſtigia adlambit Luna. Ea affulgente, per ipsa infortunia quàm tutiſſimè nauigamus: ipsa nauis; ipsa, quæ vela implet, aura; ipſa portus; eiuſque ope implorata, ſi dicere fas eſt, venti naufragant, procellæ ſorbentur, atque ipſæ merguntur vndæ. Vix diſceſseras, cū huc Roma aduenit Rogerius, germanus frater tuus. Vt te ſoluiſse inaudiuit, nimium eſt, quo id ſenſu acceperit. Videre, & complecti amantiſſimum fratrem peroptabat. Commodùm verò adfuit, vt tui mihi præſentiam, mores, ingenium ſuppleret, tui nempe ſimillimus; vt ipſamet lineamenta oris te graphicè repræſentent. In ſtudia egregiè animatus, miſcetque amœna grauibus: planè vt in Rogerio redijſse te putem, cui & æuum precor perquàm diuturnum, & æuo felicitatem, meritis parem. Vale. Neapoli XIII. Kal. Febr. MDCXLVII.

Octauio Caretto S.D.

EPISTOLA L.

DIù eſt, cùm te meis literis alloqui, & cupio, & diſtineor: ſed ecce plena amiciſſimi deſiderij epiſtola tua moram increpat, & ſtylum, veluti à quadam otij dulcedine feriantem. Non is ſum, Octaui ornatiſſime, vt cùm de te appellando agitur, aut peccet deſidia, aut ſtimulis indigeã. Satis ad id natura, ac genio incitatus: niſi quòd frænum aliquando inijcit metus quidam, ne in publica peccem commoda, ſi te plùs æquo morer nugis meis. Scio te, quà domeſticis, quà publicis implicitum curis: planè vt mirer, & amicorum officijs reſpondere te, & grauiſſimis ſufficere negotijs poſse. Etſi, quod magis mirer, id eſt, in tanta rerum mole, ceu vacet ingenium, atque amœniſſimæ adſpirent horæ, operati te Apollini, ac Muſis; ac ſimul in externa curarum momenta ſpargi; ſimul non modò ſtudijs, ſed ſtudiorum etiam elegantijs vacare. Eſt ſua cuique indoles; diuiſitque æqua lance inter mortales natura partes, ac munera: vt rara auis ſit, ea qui miſceat. Cui præliaris genius, placent tubæ, ac turbæ; nihil illi cum pacis artibus. Actuoſos nullum vnquam contemplandi ſtudium capiet. Quos gerendæ publicę rei idoneos videris; diſciplinis, ac Scholaſtico pulueri raró pares: hic ſtudijs liberalibus, hic mechanicis pronior; qui ſimul poeticis numeris, atque oratoris laude floreat, neminem reperies. Ex oratoribus eſt, qui cultu niteat? at deſtituunt illum nerui, & ſuccus. Pollet memoria? at nihil pronuntiatione inconcinnius. Scilicet, ita natura comparatum eſt, vt non omnis omnes corporis, animique partes iactet. Tibi, Octaui eruditiſſime ingenium varium, multiplex, fertile, factum ad omnia. In ipſo negotiorum æſtu contemplatricis animæ facultates excolis: cùm publicæ diſtringunt curæ, nulli officiorum parti dees: ex ſtudijs æquè te ſeria, ac iucunda oblectant: poeſeos cultum, ac florem

cum

cum ſolutæ orationis maieſtate pulcherrimè innectis ; inſideſque in bicipiti Parnaſso diſertiſſimus orator, amœniſſimus poeta. Sed, quę tua eſt ſingularis modeſtia, adducta ſtatim fronte, videris mihi tua hæc decora, ac laudes reſpuere, ac ſupercilio etiam mulctare calami confidentiam. Manũ retraho: oblatam mihi segetem planè auream cur non demeterem? Scribis porrò, Honoratum noſtrum, commutatis vitæ rationibus, tranſiſse in Dei caſtra, ſuæ domus, mundique transfugam. Noui præclaram à cunis indolem, ac mores longè candidiſſimos: gratulor, florere iam ſua in areola hoc lilium. Ingenium illi viuidum, & quantæcumque eruditionis capax: ſi excolet, erit profectò non mediocri ornamento ſuo Ordini. Germanus frater longè aliam inijt viã. Vt in Turcas militet, claſsem Venetam conſcendit, velificauitque ſuo genio. Vide par fratrum indole, moribus quàm diſpar. Alter morum, alter armorum laudem quærit. Hunc in ſinu pietatis oblectat vmbra, & quies, & gratior quædam palæſtra virtutis; illum ſuus ardor in ſolem, ac puluerem prouocat, luctarique non modò cum barbaris, sed cũ Ægęo, ventis, ſcopulis cupit. Mirum hoc, Hercules, eadem ab ſtirpe generis fratres, iiſdem ortos parentibus, eodem ſub tecto, eodemque in ſinu, indulgentiaque matris educatos, tanta diuerſitate ingenij tam diuerſa abire in ſtudia. Numerauerint hæc inter naturæ arcana ſapientes viri: planè vt niſi accedat, accendatque animos vis quædam ſyderum, quibus propenſiones ſuas magnam partem mortales debent, neſcio, an certior rei cauſa afferri à quoquam poſſit. Vale, mi Carette, & qui affectus meos omnes demeruiſti, ſcias, nunquam deinceps fore, vt deſidiam in ſcribendo meam ſtylo figas. Neapoli kalen. Februar. MDCXLVII.

Ia-

Iacopo Capycio Zurlo S. D.

EPISTOLA LI.

QVòd in manus meas peruenerint elegantiſſimæ tuę literæ ad Antonium Carafam, Andriæ Ducem, ſummæ ſpei iuuenem, & Hippolytum Conſtantium, ſtirpe generis, ac Muſarum ſtudio nobilem, pridem à te datæ; eximiæ humanitati tuæ tribuerim, & non mediocri fortunæ meę. Illas verò diutiùs detinuiſſe; neſcio, an aliquid mihi accidere iucundius potuit: quòd iterum, ac ſæpiùs legendo, peregrini adeò ſaporis facundiam reguſtauerim, recenti, ingentique ſemper ſtyli admiratione. Enimuerò nullus vnquam abundè dilaudauerit vim illam dicendi tuam, qua illuſtres eas Animas à contentione, vſque venationis ad armorum gloriam prouocas. Scilicet, in Martis campo, ais, non inter auia ſiluarum, ac nemorum enaſci palmas, ac demeti. Quid cum famæ lituo raucum cornu? an à ferarum clade vixerint Heroum nomina? an exigua Dianæ fax præluxerit vnquam ad iter gloriæ? Ad acrem, cultamque parænesim tuam videntur iam mihi inclyti Iuuenes abieciſſe nemorum curas, ac per veſtigia magnorum Ducum alias nunc ſcrutari ſiluas. Legimus Cincinnatos, Curios, aliaque Romani nominis fulmina ab aruis bellicum in campum, ad ſegetem nempè nobiliorem emicuiſſe. Eadem nunc, hortante te, præclara exempla Orbis inſpiciet: egreſsumque ſiluis par Ducum nobiliſſimorũ, quiſque intelliget, pulcherrimè proluſiſſe triumphis ſuis ferarum ſtrage. Ab ingenio, ac ſcriptione tua mira hæc, Iacobe ornatiſſime. Ferrũ, quod exacuere calamum, ac ſtylum aſsolet; exacui nunc à ſtylo, calamoque tuo contigit. Quo quidem videris tu pacis artibus armorum decus promeruiſſe. Id ſiquidem de futuris excellentium horum capitum palmis hominum iudicia olim ſtatuent, vt tota ijs tribui laus debeat, tota tibi: planè vt nihil pugnaciſſimis dexteris asserant, quod non ſcribenti, ad.

adhortantique calamo tribuant: miſcebuntque triumphos veſtros, aut æqua lance diuident. Redit nunc ad te epiſtola hæc tua; quæ quidem à me nunquam receſserit: hæret namque memorię inſigni cum charactere dicendi, ac linguæ cultu, certè ad bene, ornatèque ſcribendi exemplar. Poematium ſanè lepidiſſimum legi, alijsque legendum propinaui, non ſine præclaro eorum aſsensu. Si quid aliud lucubrauit Musa, vt mittas, etiam, atque etiam rogo. Vale. Neap. IV. Non. Febr. MDCXLVII.

Fuluio Conſtantio Collis Anchiſæ Principi S.D.

EPISTOLA LII.

EXploratum id vulgi dictum, præſtantiſſime Fului, nuntios, ſi aliquid adportent ærumnæ, & cladis, ventis aurigantibus, præfeſtinare, ac prouehi. Neſcio quas euntibus alas addit calamitas; ſitq; ſeipsa velocior fama, ſi fari infāda debeat. certè intra paucos dies allatū huc Hispaniarū Principis funus, vt omnium animos ſensu doloris incredibili exulcerauit; ita nullum non ſubijt admiratio, tantum, ſiue pelagi, ſiue terrarum tàm breui exhaurire, ac vorare id nūtij potuiſse. At ſeriùs, ociùs euulgari grande infortunium, quid, amabo te, intereſt? Hoc dolendum, ſucciſam in ampliſſima Domo poſteritatem: tot Cæſarum, tot Regum trūcum in vno ceu flore exaruiſse: conſenuiјse tantam Hispani nominis maieſtatem per inclyti vnius, atque vnici Adoleſcentis casum: ab orbitate, à ſolitudine mersum luctu Regum maximum: conclamatam auguſtam Aulam: concidiſse tot regnorum firmamentum, & columen: ſpes, vota, delicias populorū momētò euanuiſse: denique non modò Hispaniam, totāque Europam; ſed quicquid penè prouinciarum, terrarumque in orbe eſt, complorare in vno Principis funere ſuum funus. Dominatur quidem longè, latèque in reliquorum Principum exitu dolor: verùm, vt eorum regni ſui ſunt fines; ita ſuus

Q eſt

eſt etiam mœrori, ac lachrymis modus; ac certos intra populos, genteſque, veluti intra ripas exundat fletus. Hiſpanos Reges cùm obire diem ſuum contingit, communis adeò gentium omnium nationibus calamitas eſt, vt parentari publico deſiderio, ac funere humano generi, atque orbi penè vniuerso dici iure poſſit. Pone tibi ob oculos quicquid terrarum vltrò, citròque extenditur; quicquid regionum, & littorum tot alluunt maria: Excurre ſi lubet, tot diſſita inter ſe ſe mundi climata, vltra Oceani clauſtra, vltra Gangẽ, vltra Gades, & quà currit vtrũque ſydus: vbiq; regnorũ, ac gentium dominari fato quodam Auſtriacos agnoſces: extendunt cum ſole manus: nihil non imperio, nutuque ſuo nectunt: vbique regnatricis huiusce Aulæ faſces, ac ſceptra imperant: vix gemino continetur orbe, vix intra ſydera, & Cælum clauditur Hiſpana potentia: ortus, occaſus, vterque axis ſucceſſionis iure Auſtriaci ſunt. Amplificauerit licet penè in immenſum regnandi ſpatia Othomannus, factoque gradu, regna cumulauerit regnis; Romanam nihilominùs amplitudinem, faſceſque minimè exæquauit: longiùs prouectæ triumphales illæ Aquilę victoriarum curſu. Iam, Hiſpanorum fortuna, ac virtus eò tandem euaſere, vt Romanos ipſos, rerum dominos imperij magnitudine non æquauerint modò, ſed multis etiam partibus ſuperauerint: adeò vt, cum decies Turcici Imperij metas exceſserint Romani; Romanorum metas vicies excedat Hiſpanus. Igitur, nulla penè pars mundi eſt, quam non Auſtriacus Sol luſtret, mente ſua animet, ſceptro frænet, regat legibus, amplitudine foueat: eòque exulcerata Hiſpana Aula, veluti ad ſuum vulnus intimè affici, atque exanimari orbem, ac ferè naturam ipſam, neceſse eſt. Quicumque luctus exercet Auſtriacos, eorum ſi regna tangit, mundum vniuerſum tangit; vniuſque Domus cladi, indicto publico iuſtitio, terrarum orbis illachrymat. Quid elato inclyto, lectiſſimoque Principe, hoc eſt, ſuauiſſimis terrarum delicijs, atque amoribus populorum? cuius ſi florentem, ſ parem que iam thalamo, ac ſuſtentandę aulæ ætatem ſpectes; ſi oris gratiam, formam-

māq; corporis; ſi haud diſparem corpori animam verè auream; ſi reliquam indolem, hærentemque regij Iuuenis lateri virtutũ clientelam, quid hoc fato acerbius, triſtius, luctuoſius? Quamquam magna eſt huiuſce funeris pars, immortuus filio, deſiderio, mœrorique ſuperſtes, Pater. Non dum bona fide perſanatum ereptæ Coniugis vulnus videri poterat, cùm ecce tibi alterum grauiore manu ita illatum; vt continuata incomparabili ærumna, non quidem alterum, ſed illud ipſum vulnus diſciſſum, diſruptumque regium dirè pectus aſperauerit; percuſſo videlicet per cicatrices ſuas miſerabili Patre. At quid illi prius dolendum? erepta tantæ ſpei ſoboles, an magnæ Domus ſolitudo, ac penè excidium? Acerbum ſanè parentibus orbari ſobole, ea præſertim quam ſors naſcendi ſucceſſioni deſtinauerat: quid, ita regios efferri liberos, vt vacua domo, nullus ſit reliquus, qui vicaria ſubindè ſceptra adminiſtret, ac parentum vultus, virtutemque poſt fata repræſentet? Hinc maximè dilaudanda magnanimi Regis virtus, cui ſatis fuit, breui lachryma, atq; intra velum ſoluiſse naturæ iura: cæterùm erecta quadam indole, ac ſupra patrem Conſtantia excepit vulnus. Viſus nanque cùm omnium commiſeratio inardeſceret, abſterſiſſe ipſe communes fletus eximia fortitudine, quam fronte, ac vultu prætulit. Priuatim nempè doluit, vt patrem adprobaret: publicè ad omnem maieſtatem, grauitatemque vultum erudijt, vt oſtenderet Principem. Porrò in splendidis adeò parentalibus an ſilebit tua Musa? nunquam profectò id mihi perſuaſerim. Poſcit debiti ratio, vt amaranthos tuos, ac violas auguſtò Cineri fundas. Excitando ingenio erunt tibi vberrimæ Orbis complorationes Heliconis vndæ: neque verendum ne communis mœror carmen, vocemque deuenuſtet: ſcilicet, nunquam dulciùs cycni, quàm ad funus canunt. Quicquid panges, ſcio, quæ tua eſt in me humanitas, fore, vt mihi non inuideas. Prouoco interim breui Ode, quam ad diſſonam cecini Lyrā. Vale Neapoli Non. Mart. MDCXLVII.

Digitized by Google

In funere Hiſpaniarum Principis

ODE.

EHeu, delicias Auſtriadum breues
Decuſſit Libitina:
Funeſta & teneros Atropos inclytæ
Aulæ extinxit amores.
Ceruix immeriti lactea Principis
Mortis languit ictu.
Dum ceu mixta roſis nix, & amabilis
Floret gratia vultu,
Primæ diſperijt Flore volubili
Æuum dulce iuuentæ.
Merſit belligeram luctus Iberiam,
Triſtem funere tanto.
Terras irriguus merſit & Italas
Vena diuite mœror.
Quà ſol exoritur, quà moriens cadit,
Indus Fleuit vterqne.
Miſce tot gemitus, & miſerabiles
Fletus fletibus adde;
Non cladem horrificam, fataque triſtia
Tanti Principis æquant.
Non mœſtas lachrymas sceptrigeræ Domus,
Auguſtique Parentis.
Te te, magne Pater, te grauat inſolens
Moles tanta doloris.
Cum tot Regna humeris ſuſtineas tuis,
Magnum ſparsa per Orbem.
Par es magnanima, fortior Hercules,
Vaſtis indole regnis.
At non triſtitiæ ſufficis, & cadis,
Impar fletibus Atlas.

Fal-

Fallor: ſemper ineſt nam vigor igneus,
Grandi & pectore virtus.
Stas fronte intrepidus, parcaque regios
Libat lachryma vultus.
Clades impauidus ſic reparas tuas,
Maior funere Nati:
Sic Regna erigis, & ſic vacuam Domum
Imples corde Philippi.

Angelo Mariæ Adimario Cl. Reg. S. D.

EPISTOLA LIII.

PEtis, Adimari, quo ſplendore, & cultu peracta Neapoli hoc anno ſint auguſtæ Euchariſtiæ ſolennia ab Hiſpana nobilitate, inter eiuſdem diuini Corporis ferias celebrari quotannis ſolita. Addicta profectò ſupra modum tantis myſterijs ea Gens, ſuorum nempè Regum exemplo, ad quos à Rodulpho Cæſare Auſtriaco, eius nominis primo, ita propagata inſignis religio eſt, vt inſita, aut hæreditaria Auſtriacę Domui videri poſſit: planè vt non mirũ, ſi ęterna penè Stirps æuo certet, ac nulla vi quati armorum poſſit: quando cæleſti eam firmamento, hoc eſt, frumento, & vino ſtabiliuerit Deus. Igitur ad D. Iacobi viciniam anniuerſaria de more inſtaurata ſolennitas, ſuperioribus non impar, magnificentia, ſumptu, pompa; excitatis mole compactili ad viarum capita aris omnino quatuor longè ſplendidiſſimis: quæ quidem è regione inuicem poſitæ, vt mutuò maieſtatem adaugebant ſuam; ita neſcio quid inter ipſas oboriri certaminis videbatur: vt hæ quidem nitore vincerent, ac elegantia; illæ vi auri, ac opibus. Ad has concurſus, occurſus, & quidam veluti maris æſtus, euntibus, redeũtibus populis. Noſtratibus, quod ſingulis annis, vti noſti, aſſolet, adornãda contigit ſua ara: mihiq; id demãdatũ, vt excogitarẽ, quid in ea potiſſimũ exprimeret

pictor,

pictor , quod commune in Eucharisticum Numen pietatem excitaret. Et quòd exhauſta iam ſacri Eloquij ſymbola, nihilque fermè peti ab iis poſset, quod non annis ſuperioribus vſurpaſsent; euoluenda ſacrarum hiſtoriarum monumenta duxi. Itaque occurrit mihi commodùm Vincislaus ille, Rex Boemiæ, Chriſtiani flos nominis, cui inter cætera ornamenta virtutum,ac ſanctimoniæ argumenta præcipua inerat in hoc pignus gloriæ religio; eoque colebat ſtudio, vt colonus fieret, gaudente coronato vomere tellure. Enimuerò quicquid frugis diuinæ litationi vſui foret, accurare ſua ipse manu ſolitus erat. Proſcindere paludatus ipſe Rex terram;ſementem ipse facere,ac meſsem ſulcis credere: exacuta deinde, arreptaque falce, auream, maturamque demetere ipse segetem;terere, expurgare in area; molere,ſubigere; triticeos ipse orbes efformare: eademque religione, ac manu autumni vindemias aggredi, tractare præla, ac muſto immadescere conſueuerat. Quid hoc Rege ab aratro, à falce, à puluere auguſtius? quid ſordidata ea purpura ſplendidius? an in chlamydato hoc villico vile aliquid cernis? Quam non ſibi laudum ſegetem demetit, dum Chriſto, ac aræ ſerit? Non expectat annum, ac temporum, Cælique vices inclytus hic Agricola: ſeruiſse, meſsuiſse eſt, flauente ſtatim meritorum fruge. Regum cæteri ſua ſint in aula à maieſtate, à ſceptro, à famulatu magni: Vincislaus dum ruſticum agit, multò ſanè nobilior, atque à vomere, quàm à ſceptro clarior: ac dum colit arua, floret illi virtus pulchriùs; ſemina dum ſulcis mandat, metit ſydera: vindemiã dum calcat, & ſuo exhilarat mero Cælum, & ebrium ſe diuini amoris nectare oſtendit. Quid? fuerit aliqua digna Cælo ſpica: certè enatæ è Vincislai laboribus ſpicæ promerentur aſtra: quòd ſi Vindemiator aliquis inter ſydera fulgere debuit; hic ſanè dignus erat ſyderibus regius Vindemiator. Igitur prægrandi quadam in tabula viſus colonus hic Rex ſuis coloribus quàm ſcitiſſimè expreſsus; qui ab artificis induſtria non vno fungi officio videbatur. Partito ſiquidem munere, hic arat, hic ſerit, hic falcem in ſegetem mit-

mittit. Præclara hiſtoria eruditis, piiſque ingenijs non obſcura, explicari nihilominus inſcriptis literis debuit, ne quempiam lateret. Eapropter Anagrammatiſmum, vt tùm plerisque viſum eſt, non omninò illepidum, compoſui, quem tibi ad Lydium nempè lapidem explorandum, mitto; ſic verò habet.

Cibauit eos ex adipe frumenti,& de petra
melle ſaturauit eos.

Anagrammatiſmus.

Vincislaus, Rex Boemiæ arat, ſerit, metit,
vt ſplendidè ponat Deo epulum.

Eiusmodi noſtratium Ara fuit, cæteris planè non impar: quas omnes, inſtituta ſub veſperam ſolenni ſupplicatione, viſus Agnus Euchariſticus inter ſymphoniacos, ac thura obire: ſicque impoſitus ſolennijs, ac diei finis: vbi & ſiſtere hanc etiam epiſtolam meam, par eſt. Vale. Neapoli IV. Id.Iun.MDCXLVII.

Benedicto Guerrerio S. D.

EPISTOLA LIV.

VT tibi Parthenopes narrem fata aſpera,ſumo
Sepè ſtylum, ſæpè & decidit ille manu.
Horrida me rerum facies, me Ciuicus enſis,
Me terret furijs plebs agitata ſuis.
Fusa comam intorto Diſcordia ſibilat angue,
Perque cruentatas itque, reditque vias.
Non ſuus ingenijs vigor eſt in turbine tanto,
Nec tentant numeros territa plectra ſuos.

At Phœbum iuuat attonitum, Muſaſque, canora
Metra recuſantes, exſtimulare prece.
Sument fortè animos perculsa hæc Numina, tantæ]
Vt partem Iliadis voce referre queant.
Quæ fax amotas accenderit ignea mentes,
Vnde furor vulgi in pectore, non memoro.
Seu fato exarſit, seu vindice Numine flamma
Lugubris, heu quantus ferbuit inde rogus.
Ergo Vrbem Eumenidum quæ dirior vna ſororum;
Miscet, agit, Stygias eiaculata faces.
Ebibit hunc auidis ignem plebs mota medullis;
Ardet, & arma ferox intonat, arma capit.
Nec ludunt, quamuis haſtatus arundine, facto
Agmine, ſub ſignis cernitur ire puer.
Nam ſi tantum animis puerilibus æſtuat iræ,
Quæ potuit rabies corripuiſse viros?
Nec mora: Lymphatum violenti turbinis inſtar
It vulgus, toruo ſpirat & ore minas.
Genti non fortis Ductor, non bellicus ordo:
Ferales acies claſſica nulla regunt.
Miscet cuncta furor: pro lege eſt impetus ardens;
Quisque ſibi miles, fax, tuba, voxque Ducis.
Ne gale..., ne quære enses: horrentia ferro
Pila rudi, aut contos improba turba rotat.
Quà Cælo aſsurgunt turrita palatia Regis,
Hic tonat, hic prima grandine tecta ſonant.
Diffugere metu excubiæ: vacua atria, & aulam
Currit inoffenso plebs furibunda pede.
Horriſonus pulsata ferit conclauia clamor,
Itque per omnigenum dextra profana nefas.
Frangit, dilacerat, ſcindit: metus exulat omnis;
Et pudor: impauidis quod libuit, licuit.
Summi cui rerum fasces, expalluit ore
Archius, ad tantum diriguitque scelus.
Non miles lateri, non arma; quis agmina mulctet
Effera? quæ ſeruet regia iura manus?

Ac

At prope ſe plebis dum pila minantia cernit;
Vna ſalus eſt, ſe proripuiſſe fuga.
Hinc pede digreditur fauſto, retinentque ſequentes
Aurea ſoletti munera iacta manu.
Tu quoque ſic hoſtes fallis, Rex Pontice: Virgo
Hac Argiua tuos fallis & arte procos.
Sed petit ille arcem, grandique hic mente volutat
Motum Vrbis, rerum monſtra, pericla, metus.
At circumfuſæ, proh quantum! audacia plebi,
Creſcit, ſucceſſu proſperiore ferox;
Iam maiora mouet, iam ſpirat & altiùs; ipſas
Iamque graues æquant facta ſuperba minas.
Impetitur carcer, poſtes franguntur aheni,
Erumpat ſcelerum liber vt inde comes.
Actaque diſcerpunt, volitantque per aera latè
Crimina, vt abſoluat pagina ſciſſa reum.
Mille diem noxis maculant: nox incubat atra;
Scilicet, vt tantum contegat vmbra ſcelus.
Nec ſiſtunt: facibus ferale micantibus vrgent
Cœptum opus: eſt vigili in pectore nulla quies.
Conſulitur, facinuſque agitant: ſpectacula mane
Hinc redeunt; rabies allatrat; ira furit.
Quòd maleſana phalanx immenſum creſcit, & audet
Imperij nullus fræna tenere manu;
Inuolat in vacuas vilis Piſcator habenas:
Se legit, & faſces arrogat ipſe ſibi.
Quale caput! flammis terrent furialibus ora,
Fronte audax, vultu trux, oculiſque minax;
Felle & labra madent: it per liuentia colla
Crinibus impexis horrida cæſaries.
Turbidus ingenio, ſuetus miſcere tumultu
Compita, prompta Viro iurgia, rixa, minæ.
Hic rerum Dominus, turbæque hic ſceptra rebellis
Temperat, hic dicit iura, tributa iubet.
Hic Prætor, lictor, ſtrictoque ſuperbior enſe,
Cuncta ſupercilio celſaque, & ima regit.

Olli mens prima eſt in vectigalia ferri
Publica, & iniecta ſtatim abolere manu.
Huc ſe se exonerat nimbus: telonia flagrant,
Flagrant & plutei, menſaque, ſcamna, codex.
Nec domus intacta his, qui vectigalia tractant:
Itur, & Iliacas projicit ira faces.
Tecta ardent, pariterque ardet pretioſa ſupellex,
Non auro, aut pictis parcitur exuuijs.
Flamma vorat vindex iterum, quod fortè vorarat
Ingluuies, auri & dira cupido priùs.
Viſa rudimenta hæc; proluſit & ignibus ignis,
Perque alias ſerpit iam noua flamma domos.
Heu, quot buſta vides latè fumantia: fuſis
Molibus, heu quantus ſqualet vbique cinis.
Barbara ſed diræ cumulant incendia cœdes:
Stant ſimul vnanimi fœdere flamma, cruor.
Diſcerpunt, laniant: nunquam ieiuna ſecuris:
Dum vorat, eſt ſaturo in gutture dira fames.
Splendidus & petitur ſanguis: nam lixa ſuperbus
Gaudet ab illuſtri fonte leuare ſitim.
Vidimus heu, tragico miſeranda cadauera plauſu
Raptari: has ſoluunt Manibus inferias.
Quid contis affixa ſuis capita alta? cruentum
Hæc ſigna, hæc ornant pulchra trophæa forum.
Triſtibus at lachrymis en ſpiramenta; maliſque
Feſſaque riſerunt ſydera pace breui.
Fœdera ſignantur tabulis, iurataque verba
Concipiunt, pacta & ſancit vtrinque fides.
Deſedit pelagus: mox & pro munere tanto
Solennis Nemeſi victima cœsa cadit.
Nam dum prenſa ſemel retinet ſpumantia fręna
Piſcator, ſtricto & fulmine regnat adhuc;
Incaluit Patrię ſtudio generosa Iuuentus:
Impetit; igniuoma grandine dilacerat.
Cerne vices: modò qui nutu dat cuncta moueri,
Diuidit & ſceptro fata, neceſque ſuo,

En

En pila tranſadigit : ſectum hinc caput, inde cadauer
Per fora diſcerptum plebs temulenta trahit.
Scilicet, vt circùm raptatus, facta reuiſat
Ipse ſua; infanda & crimina vbique luat.
At non alma diù placida pax floret in Vrbe :
Mars redit, atque nouo pectora ab igne calent.
Causa leuis, non rixa leuis : recruduit ira,
Terret ferrum iterum, flamma iterumque furit.
Excubias renouant, & munimenta viarum,
Iamque intuta vides omnia, plena metu.
Horrida ſed ſubitò hæc etiam difflata procella eſt,
Et noua fert Iris fœdera, picta ſinum.
Fœdera, quæ turbo truculentior abſtulit, vnde
Motibus ipſa ſuis Vrbs agitata diù eſt.
Exuit hic Regum faſces, hic fræna momordit,
Hicque ſuo certat cum Ioue turba leuis.
Hæc repetam paucis : nam mollior indole Clio
Se negat, infandis cladibus eſſe parem.
Ergò adit Auſtriacus roſtrata claſse : tot arces
Fluctiuagas dices, quot vehit vnda rates.
Turritæ horrendum puppes tonuere: per aures
It vulgi attonitas Martius ille fragor.
Quid ſibi vela velint, quid murmuret ęquor? an hoſtis
Nauigat? hæc voluit pectore quiſque ſuo.
Regius at Iuuenis, magni quem ſceptra Parentis,
Accenditque æui flos, animique vigor;
Se placidis, inquit, ventis, & remige fauſto,
Nec niſi pacata velificaſse trabe.
Velle etiam è puppi pacatam exscendere in Vrbem :
Proijcerent facili tela inimica manu.
Hoc decus, hoc Regem, ſobolemque hoc poſcere Regis :
Parthenopem armata plebe ſubire, nefas.
Haud grata hæc populis : an claſsem pectore nudo
Inspicerent, multo milite, & ære grauem?
Se ritè armatos : hoc ſcitum nempè, ratumque;
Rex pacta vt ſignet nutu, anuloque priùs.

Communis ſic tuta ſalus : hinc Ciuis inermis
 Proijciet facili tela inimica manu :
Excipit Auſtriacus reſponſa haud auribus æquis :
 Mox ait, aut populus pareat, aut pereat.
Nulla mora : intonuere arces : ruit æneus imber,
 Viſaque milleno fulmine tecta quati.
It, nunquam fallente ictu, penetrabile telum,
 Horrendiſque vomunt faucibus æra neces.
Bellatrix parte ex alia ſtat Claſſis, & addit
 Fulmina fulminibus dira, pilaſque pilis.
Altitonans ſi intorta vnquam tot tela vibraſſet
 Iuppiter, exiguo tempore inermis erat.
Acriùs hinc flagrat Ciuis : ſtat fronte ſuperba :
 Fruſtra arcis, fruſtra Claſſis & æra putat.
Armatur rabie : ſibi vindicat horrea primùm,
 Nempè alimenta iræ : hic ſæua palæſtra fuit.
Excutit & Dominum, atque vrbem partitur in vrbes :
 Pars Populo, Regi pars fauet vna ſuo.
Certis quiſque locis ſe munit : ſedula curas
 Dextra vrget : foſſis, aggere feruet opus.
Aſſiduus labor eſt illis : certatur vtrinque :
 Mors hinc, inde volat : fiſtula nulla vacat.
Audet vulgus amens ipſas incurrere in arces :
 Facto nanque gradu, mœnia ſumma petit.
Sed meritas luit en pœnas : nanque agmina denſo
 Vulnere confertim mox reſupina ruunt.
Cædibus inde nouis ardent : qui ſanguine claro,
 Priſca & luce atauum fulſerit, ille nocens.
Sat fatum, Toralte, tuum lachrymabile : non te
 Martia vis, fortis dextra, animuſque tegit.
Summo iure regis Populi infeſta arma rebellis ;
 Nempe intentata, ſic voluere, nece.
Dux perſonatus vultu tenus arma miniſtrat ;
 Militat at Regi veſt pectore cana fides.
Sed patuere artes : inclamant, perfide, fallis ?
 Diſcerptuſque tuo milite, Magne, cadis.

In-

Indignus vulgi rabie Dux inclytus : eheu,
Debuit is fato nobiliore mori.
Hæcque domi : prædura foris ſed feruet Enyo,
Ceu ſua Campanis Belgica bella forent.
Horrent ſtructæ acies, atque illætalia ſigna :
Non vna haſtato milite ſilua fremit.
Nobilitas ſublimis equo, quæ ſpicula torquet
Ignea, plebeio ſæpè cruore madent.
Sæpe etiam procerum plebs irritata phalanges
Læſere, & fortes occubuere Duces.
Cernimus hæc oculis manantibus; vlla nec afflat
Spes animos ; tanti nullaque meta mali eſt.
Quæuis monſtra parit reuolubilis hora, diesque :
Luxuriatque nouis fletibus inde ſeges.
Mœrorem interea minui ſcribendo : iuuatque
Hæc in te ſtudij ſigna dediſse mei.
Neapoli VI. Kal. Decemb. MDCXLVII.

Paulo de Iulijs Cl. Reg. S. D.

EPISTOLA LV.

EXactis iam Comitijs, quæ te negotia Romæ detinent? mi Paule. Scis, quæ reditum tuũ vota vrgeãt; & quibus penè ad animi deliquiũ mora hæc grauior. Quando ægrè te auelli Neapoli viderant, putabant, fore, vt redires præmaturè : quòd nunc cunctèris, nimium eſt; quo id ſenſu ferant ; ludi nanque spes, atque expectationem, hoc sanè moleſtiſſimum. Quod ad noſtra attinet, gratulor contigiſse Ordini prænobile caput, & cui sui etiam mores genus illuminãt. Vt audiui Cõſcriptorũ Patrũ ſuffragia in Vincentiũ Caracciolũ incubuiſse; præclarè actũ cũ noſtra diſciplina, mihi perſuaſi. Vbi quis in priuata domorũ rectione, ac cæteris religioſæ familię muneribus rẽ benè geſſit; cũ publica deindè cõmoda, atque vniuerſitatẽ Ordinis adminiſtrat, reſpondere ſibi ipſi, neceſſe eſt. Scilicet, id vſus docuit, commẽdari ſplendida illi

mu-

munera tutò posse, qui in paruis ſpecimen dedit inſignis prudentiæ. A ſe nanque quis vnquam degenerauerit? Si miles, ſi poſtea Centurio, ſi Tribunus militum ſtrenuè ſe quis geſſit; egregiè is deindè rexerit belli ſummam, totius exercitus Imperator. Cōpertū illud, Regē nescio quē Ruſtico, qui ſibi eximiæ magnitudinis, ac formæ malū punicū dono attulerat, Ciuitatē magnificè elargitum. Nam, qui hortulum ſuum perindè excoluerat, vt grandia, ac pulcherrima ea poma tulerit; fieri vix poſse, inquit, quin Ciuitates, curaſque populorum cum laude temperaret: licuitque Regi à malo punico coniectari bonum publicum. Et Caracciolus quidem, quicquid hactenus officij, ac magiſtratus adminiſtrauit; ea cum laude ſolertiæ visus obiiſse; vt iam tùm adpromiſerit, fore, vt ſi penes ipsum aliquando fuiſset rerum summa, par ſibi, atque is ipse eſset in ampliori theatro; idē nempè in maiore, aut minore ſcena Roscius. Itaque vti iā rudimenta iſthæc regiminis docent, non fallet profectò reliquus curarum publicarum curſus. Iam, quo Neapolitanorum cultu, concurſuque celebrata hoc anno de more ſint Euchariſtici Corporis myſteria in D. Iacobi vicinia non eſt, cur fusè narrem. Vſurpaſti ipse oculis non ſemel. Par molibus ſuperbia: par in idea ipsa, ac forma operum ingeniū: par in ſuppellectili ſplendor. Quam noſtri homines curarunt aram, ab opibus, ab elegantia, à nitore, ab ordine non poſtrema ſanè fuit. Icon, puto, opportunior, & ad quandam pietatis, atque oculorum illecebram etiam pulchrior. Agit adhuc, vti noſti, Neapoli Ioannes Auſtriacus, Philippi Quarti regiæ indolis, ac ſpei filius: atque adeò mihi, cui id negotij demandatum, delineandum aliquid viſum, quod Auſtriacæ Domus in diuinam Euchariſtiam religionem repræſentaret. Itaque ad caput, vnde hic inclytæ Gentis cultus manauit, recurrit ſtatim animus. Neminem latet Rodulphus ille Auſtriacus, qui primus Romanam Cæſarum trabeam, ac mundi fasces in Auſtriacos inuexit. Hic ſiluis dum errat, canūque ſatellitio feras perſequitur, vt capiat, aut figat; ecce tibi pro ceruis, pro apris Agnum offendit Euchariſticum:

fru-

frugemque comperit inter quercus, & glandes. Scilicet, non insolens, compluere in ſiluis cæleſtes epulas, ac Manna. Qui ferebat Sacerdos, it pedes; ac tum fortè pluuium Cælum perfundere fœdo imbre cœperat ſuum Numen, à quo ſerenitas & lux. Ad Auguſti Corporis conſpectum deſilit confeſtim equo Rodulphus, nactus videlicet nobiliorem longè prædam: tum conſcendere Sacerdotem iuſſit; iniectaque ſua chlamyde, atque admota fræno manu, Numen deduxit, quò tenderet, ſublimior profectò, quàm ſi in equo eſset. Id obſequij, conſtans eſt omnium perſuaſio, peperiſse tot regna, tot reges, ac longam adeò Cæſarum poſteritatem Auſtriacis. Ab hac fruge tanta ijs extitit ſeges gloriæ. Hæc pietas naſcentem, occidentemque ijs ſolem ſubiecit: hæc viſa, ad Herculis columnas fortunam alligaſse Auſtriacam, ne fugeret: hæc bellatricem, ac triumphalem iterum Aquilam ſanctiore fulmine armauit: hæc Oceani clauſtra ad Peruanas opes aperuit: hæc tot terrarum, ac marium ſpatia, tot gentium nomina fecit Auſtriaca: hinc fauſta bellorum euenta; hinc victoriarum cumuli, triumphorum manipuli, Prouinciarum exuuiæ, tributa populorum. Ergo in ſolennijs Euchariſticis, ac præſente Ioanne Auſtriaco, quid pingi ad aram aptiùs potuit, quàm Rodulphus hic magnus, qui portantem diuina myſteria in equo Myſtam comitaretur. Cernebatur is pedes, apertoque capite venerabundus; ſpirabat eximiam pietatem vultus, propiore afflatus Deo: cùm interim equus ipse, ceu ſeſsorem agnoſceret, ac Numen, efferri generoſiùs, ac neſcio quid ignis efflare è naribus videretur. Loqui tabulam ab exquiſita penicilli arte diceres: attamen addenda clarior à ſcriptione vox fuit: idque ipse contendi, vt diuina ipsa eloquia Rodulphum hunc inclytum Ioanni Auſtriaco proponerent imitandum hoc anagrammatiſmo.

Panem Cœli dedit eis, panem Angelorũ manducauit homo.

Anagrammatiſmus.

Rodulphi Auguſti Nepos, en Cæli Mãna, da te Comitẽ Deo.

Dum

Dum hæc ſcribo, neſcio quid me vocat domeſtici operis. Salutant te noſtri, ac exteri, ex quibus Coſmus Fontana periculosè decubuit: ſed nunc extra morbi aleam. Tu interim redi, & Vale. Neap. IV. Non. Maij MDCXLVIII.

Alexandro Leonio S. D.

EPISTOLA LVI.

IAm diù in more poſita per hæc diuina Cunabula, ac ſub ipſum renaſcentis anni initium mutua inter amicos conſalutatio, ac ſolennis quædam officij, amorisque profeſſio. Honeſtiſſimæ conſuetudini, quam visum, ſanciuiſse ſubindè tempus; excepiſse omnis ordo mortalium, atque vrbanitas adprobauiſse; nefas profectò eſset, non vſui adſtipulari. Igitur, quæ, Alexander ornatiſſime, magnæ fortunæ incrementa, ac felicitatem mereris; inter Natalitias hasce ferias vrgeo meis votis; atque id auguror, quod tua tibi virtus certiùs adpromittit. Si grata hæc tibi acciderit eximiæ in te voluntatis meæ ſignificatio; erit ſanè, cur hæ ipſæ feriæ affulgeant mihi, à tua videlicet beneuolentia, ac ſtudio, quàm iucundiſſimæ. Iam verò, quando is es, vt in hisce amicitiæ argumentis, ac verborum officijs minimè ſiſtas, atque id potiſſimùm optare te, scio, vt quæ ad te mittuntur literæ, aliquid ſecum afferant è ſapientum virorum penu eruditi ſaporis; referã, quam nudius tertius in Neapolitana hac Otioſorum Academia agitari controuerſiam audiui. Politicè disceptatum, ac planè diſertiſſimè: Conſeruandę, atque amplificandæ Reip. optimæ leges, an optimus Princeps opportunior? Palæſtram occuparunt decora duo ingenia, quorum alterum à Principe, alterum à legibus ſtetit; ac perindè copia, cultuque dicendi, ac vi rationum ſuam quisque ſententiam confirmarunt; vt neſciam, mehercules, cui litẽ, palmamque adiudicem. Vtinam is eſset memoriæ meæ ſinus, vt complecti, ac retinere ſingillatim omnia, ac ſua per ca-

capita potuerit. Excidère quidem non pauca: quæ autem hæſere, erunt vel hoc etiam nomine non iniucunda, quòd modum, legeſque epiſtolæ non excedent. Itaque cui priùs peroranda causa fuit; hoc, inquit, æqua vobis lance expendendum: Leges, an Reges in fortunãda re communi primàs ſibi partes vendicent. Hæretis, Viri grauiſſimi, addubitatis? Equidem deberi has Principum curis, nullus dubito. Enimuerò cum ea ſit hominum societas, vt ciuile corpus suas in partes, ac membra diſtinctum repræſentet; adſtringunt illud quidem nexu quodam pulcherrimo, ac ſuis veluti ligamentis, ac neruis leges: at enim, quæ totos infusa per artus molem agitet, animetque, mens Principis eſt: viua nanque lex eſt Princeps, inquit ille: atque adeò ab eius cõſilio, ſapientia, vultu ipſo, ac fronte viuit, spiratque Reſp. cumque poteſtas regia diuinæ imago ſit, vt Deus mundum hunc implet, ac vegetat; ita cœtus hominum Princeps. Quid ſi nulla legibus ipſis vis, atque auctoritas, niſi ijs à Principis ſceptro pondus, à paludamẽto maieſtas, à ſupercilio metus, ab oris dignitate reuerentia acceſſerit. Inclamant quippè leges, ſi voces, ac latera Princeps commodet; puniunt, ſi ſecures expediat; terrent, ſi minetur; emendant, ſi corrigat. Fuerint quidem ſapientiſſimis inſtitutionibus inſtructa gentium imperia; quid ijs tandem eiuſmodi ſtatuta proderunt, niſi qui ea iussu, nutuque ſuo in morem inducat, excubet Moderator? Generosa ab ſtirpe equum inſpicite, cui ab diuturna exercitatione eruditum egregiè ingenium, ac ferocia eſt; quorsum natiuus ille ignis, ac spirituum generoſitas, niſi qui temperet fręna, inſideat rector? Citharam non ebur, non aurum commendat; ſed quæ pulſat citharædi manus. Nihil ad munimentum, ac decus à cultu, à mole, à præſidio prætoriæ naui deſit: velum purpura, puppim aurum ornet; tutam arma, atque armamentum faciant: certè qui ſedeat ad clauum, cursumque, ac fluctus regat, gubernator ſi deſit; nil propius erit, quàm vt procellis diuerberatam, momentò mare ſorbeat. Scilicet, auspicatiſſimè velificat, non inſtructa opportunè, ſed procurata

S ſa-

ſapienter nauis; atque adeò primum Reip. munimentum, ac prima ſalus, Princeps. Monumenta temporum, regnorum hiſtorias, annales gentium percurrite: quod vnquam imperium infortunia mersere; quæ non diù ſtetere regna; quos euertère fata populos, bono Principe aduigilante? quoties verò in deterrimum aliquod impegit ingenium Reſp. optimis licet munita inſtitutis; an non diſtringi molem, diſſilire, diſſolui momentò contigit? Sed hæc, quod abundè comperta, hactenus. Finem ille cum laude impoſuit: neque mora, visus alter insurgere, ac nullo verborum ambitu: Mutāda, inquit, reflante nunc vento, velificatio: aliò procul dubio flectent veſtra iudicia, ſi eloqui me paucis, ac ſtrictim dabitis. Ingens quidem temperandæ multitudini egregia rectoris ſolertia momentum habet: at quàm pauci Principes boni? planè vt dixerit ille arguté, ac lepidè, præclaros Romanorum Cæſares exigua quidem gemma poſse ſimul omnes insculpi. Quid, quod obnoxius communi fato Princeps, vix interdum populis affulget, cum abire fulguris in morem cogitur, exuta mortalitate, ac Infula? Non hi legibus, ac Patrum Conſultis termini; transcribuntur in omne æuum, nunquam intermoritura: mutatiſque identidem Principum habenis, perennant iura in tabulis ad æuiternam populorum felicitatem. Ad hæc, vt eſt, curta mortalium mens, hallucinari quandoque, ac decipi Principem, quamuis optimum, cōtingit: leges nihil vnquam à recti, bonique orbita, aut gradu dimouerit. Princeps nunquam adeò incorruptus, quin ſtudio, affectuque interdum peccet: leges non amor, non odium transuersas agit. Principem priuata nonnunquam commoda oblectant, ac vellicant; legibus nonniſi publica res, & commune bonum propoſitum. Adeſse vbique Princeps, ac ſpargi latiùs nequit: legum vbique auctoritas, ac summos, infimos æquè ſpectat. Principi neceſsaria identidem à curarum contentione remiſſio, ac ſpiramentum: legibus nulla à laboribus defatigatio, & clades. Princeps tùm ſanè bonus, cum legibus paret: legum ea præcipuè dignitas, imperare Principi. Denique ab ipſis naturæ rudimentis inſi-

Digitized by Google

inſitæ mortalibus leges, ac veluti collactaneæ fuere: Principes verò, adultò iam hominum genere, populorum comitia deſignarunt: veluti ſine Principe, non ſine legibus agere gens mortalium potuerit. Sic ille legum, atque optimarum inſtitutionum dignitatem propugnauit. Eapropter ſciſsa in partes ſuffragia, ac nihil tum quidem decretum, niſi quód neſcio qua admurmuratione viſa vtrique fauere Academia. Tu graui rem iudicio, ac mente expende. Nam illud hic ego addiderim; optimæ leges, atque optimus Princeps, ſi poſito tandem diſſidio, iunctiſque peramicè dexteris, vna ſimul in Regnorum, rerumque publicarum commoda conſpirauerint, nihil vnquam fore ad eorum diuturnitatem, felicitatemque opportunius. Aderit continuò domi fauſtitas, ſecuritas foris, religio, ac integritas moribus, iudicijs libertas, foro æquitas, magiſtratibus reuerentia, bonis artibus pretium, opibus copia, ac moderatio. Porro diſceptationem non eo quidem apparatu, ac pompa, qua præſtantiſſimum illud Academicorum par certatim adornauit; ſed ieiunè, ac breui retuli. Sed quæ defuit verborum copia; valde optaſsem, vt amplificando ſtudio in te meo ſuppeteret: id nanque vehementer cupio, vt perſuaſum habeas, in te amando, honeſtandoque me nulli imparem. Vale Neap. Idib. Febr. 1650.

Friderico Gallo S. D,

EPISTOLA LVII.

MIraris, mi Galle, nullas hoc menſe à me literas; ac famem, ais, toleraſse non mediocrem. Video, ita loqui te, perindè quaſi aliquid epiſtolæ hæ meæ afferant alimenti, ac ſucci: ſed ſcio, emunctas; ac nihil ijs aut ab eruditione ſolidi; aut ab elegantia probi ſaporis: niſi quòd ſingularis tua humanitas ita condit, vt ſapiant. Cur autem, nihil ad te literarum per id tempus dederim, in causa fuit medicorum conſilium, qui me ad Ænariam Inſulam deportatum per aliquot dies, non ad mulctam, sed ad corporis curationem voluere. Haud latere te, puto, quæ hic inſtituit pro morbidis, affectisque corporibus ἰατρεῖα prouidentiſſima, ac ſcientiſſima medicæ artis Natura. Alia quidem alibi curandis mortalibus, quà lapidum, quà herbarum adiumenta diſseminauit; vt, cùm nullibi non obuia hæc ſint; tùm ab vtrisque etiam Indis petantur. In hac autem Inſula thermas ſibi seposuit, vsque adeò ſalutares, vt quod pertinax malum, atque inueteratam corporum luem frangere, aut emollire pharmaca minùs poſsunt, iſthæc balnea præſentiſſimis vndis ſuis diluant, profligentque. Vides hic vbique ſcatebras, venaſque aquarum, an ignis? Ita nanque efferueſcunt manantes riui, vt poma momentò incoquas; ac nullus profectò ſit, qui, niſi tantisper refrixerint, attingere digitis vel ſummis audeat. An calet etiamnum Typhoeus ille, quem fabulantur ſub Inarime cōſepultum, atque ab exæſtuāte, iratoque adhuc pectore præterfluentes vndæ ebulliunt? Certè, vt loco proximi ſunt Veſuuius, & Inarime, ita affines genio, atque ardore quodam indolis videntur: niſi quòd Veſuuius igne, Inarime aqua ardeat. Euaporat ille horridè, eiectatque interdum ad terrorem mortalium accensam ferali in ſinu peſtem: hæc nunquam non ſalutaris, & quædam veluti aromataria ſcaturientes aquas ita decoquit, attemperatque,

vt nihil luxatis, accifis, labefactatis hominum mēbris, nihil ſaluti inſtaurandæ opportunius. Itaque medicam, vti monui, Naturam hic habes, ac balneariam, ſtudioque publicæ ſalutis ebullit, ac ardet. Ægros, valere ſi velint, huc prouocat: excitatis hic illic thermis, ac quibusdam ceu vaporarijs, vt exſiccet morbos. Hanc deinde iuuit pietas, ardetq; igne pari. Enimuerò celeberrimū Neapoli Opus, cui à Monte Miſericordiæ nomen, procurantque è Neapolitana nobilitate præcipui ſāguinis, ac ſpiritus viri; vt paupertati conſuleret; Noſocomium, ac balnea extruxit, inſtruxitque. Suo deindè ſumptu non ſanè modico, quà religioſos viros, quà affecta mendicabula quotannis ad Ænariā hanc Inſulā expeditis cymbulis vehi curat; excipit ad balnearum vſum, alitque per aliquot dies liberaliter. Iunio mēſe exeūte pręclari id operis incipit: adeuntque diuiſo agmine, ne qua à multitudine exiſtat cōfuſio; vt his quidem prima, his verò altera contingat expeditio. Noſtratibus peculiari quodam iure id magnificę pietatis impenditur. Nam qui opus excogitauit, curauitq; is fuit Hieronymus Pignatellus, Theatini nominis, Cerchiaræ olim Marchio, poſtea Archiepiſcopus Roſſanenſis qui, legata à Marchione germano fratre non exigua vi pecuniæ, id ſtatim in animū induxit ſuū, vt hoſpitalis huiuſce Inſulæ ſinus pateret morboſæ inopiæ: excitandūque, quod diximus, Noſocomiū curauit, opportuno quidē loci ſitu, vt hinc à proſpectu maris amœnitas; hinc vicina balnearia ſanitatem adpromitterent adeuntibus. Obnoxia igitur, ac vectigalia quodāmodò Theatinis hæc Vaporaria: atque adeò in noſtrates præcipuè id beneficentiæ Curatores Montis conferunt; cōueniūtq; quotannis, quibus afflicta valetudo: inter quos adnumeratū me hoc anno voluere Patres. Et verò cū nō vna laborarem corporis intēperie, breui abſterſere luē tepētes vndæ, vt alius redierim Neapolim, ac penè recoctus: & quòd libros, ac tempus legēdo, ſcribēdoq; nūc terā, Ænarijs ijs fontibus, ac thermis debeo, in quibus videor mihi ſenectā exuiſſe, induiſſe iuuētā. Quæ quidē ſalus lōgè mihi carior fuerit, ſi quid inde in tuum cōmodū deriuarim: idq; valde cupio, vt vtare. Vale. Neap. Non. Mart. MDCL.

Ni-

Digitized by Google

Nicolao Charpy à Sancta Cruce Pariſienſi Conſiliario S.D.

EPISTOLA LVIII.

DIgnatum me literario tuo munere, nimium, quantùm mihi gratuler, Vir clariſſime. Planè, cùm rationes meas omnes, meque ipſum perdiligenter inſpexerim, nihil omninò occurrit, quod tantum à te iudicij, ac ſtudij polliceri mihi vnquam potuerit. Quarè egregiæ humanitati tuæ, magnæque indoli tribuendum id beneuolentiæ cùm ſit, gratias habeo eò prolixiùs, quod nihil pręclari muneris decerpat meritum. At quale hoc elogium tuum, eruditiſſime Nicolae! Non tam legiſſe, quàm libaſſe quandam lectiſſimæ eloquentiæ medullam mihi viſus ſum. Preſſum id quidem, peracutum, plenum animæ, ac planè elegantiſſimum, factumque ad vnguem. Nihil non in eo concinnum, reſpondentque aptè membra pulcherrimo totius orationis corpori, cui venuſtas æquè ac robur; ſuique non modò nerui, ſed ſuccus etiam, & color ineſt. Scilicet, vbi illuſtris materia, ac ſtylus conueniunt; granditas inde exiſtat, neceſſe eſt, ac quædam etiam dictionis generoſitas, quæ mordeat frænos. Id quod videre abundè, ac ſplendidè in te eſt. Nactus quippe argumentum par calamo, exæquaſti egregiè inclyti Principis laudes, quarum mole ipſa facundioris, priſcique æui ingenia laboraſſent; nec ſanè luculentiùs, ac magnificentiùs dixerit Traiano ſuo Plinius. Sed amens profectò ſim, ſi dilaudare pro dignitate lucubrationem hanc tuam velim. Litaueris tu quidem inſigni elogio principis tui gloriæ; elogium tuum non aliud elogium dilaudauerit. Porrò & alius ingenij tui labor Romam nunc vidit: nempè quã accuratè adornaſti Thienæi noſtri Vitam. Vtinam ſcirem Gallicè, voraſſem & hoc etiam opus, quod ſcio eruditiſſimorum hominum iudicio magnopere commendari. Vereor, ne in eo concinnando Annales noſtri Ordinis, à me con-

ſcrip-

ſcriptos, aliquando conſulueris: pudet namque elimatum adeò iudicium incidiſse in eam dictionis infantiam: quam quam pergratum mihi, expolijſse Gallica dialecto, quod effudit ineptior ſtylus. Vale Galliæ curis, ac Muſis, ac fore me officij, affectuſque tui æternum memorem, ſcias. Romæ prid. kal. Aug. 1655.

Ferdinando Galidorio S.D.

EPISTOLA LIX.

CVm ad te ſcribo, Ferdinande Galidori, vt ſtylum excitem, iacentemque erigam ingenij facultatem, te mihi ponere ob oculos ſolitus ſum. Nam præterquam quod ſerenitas iſta tuæ frontis, ac vultus neſcio quid afflet animo hilaritatis, ac lætitiæ calamo; ipsa tua eloquentia, quam audire mihi videor; quoties tu mihi in mentem venis; infantiam dicendi meam mirificè inſtruit, elimatque; vt ſi nõ prorſus emendatè, ac eleganter, non tamen adeò inquinatè, atque inconcinnè commentari contingat: Ea quippè eſt excellentium virorum vis, vt vel ipsa concepta animo effigies, ac vmbra nominis concitare neſcio quem ignem, ac generoſiores in aliorum mentibus ſpiritus poſſit. Sed age: ſuppetit otium? vacas, vt interpellantem me audias? At, quando tuum te eruditum negotium non totum habet? planè vt in ſtudijs non tam velificare, quàm mergi; non tam operam, quàm ſpiritum ponere videaris; vſque adeò aſſiduus, ac pertinax tuus labor. Eapropter religioni duxerim, vt non aliquando ab ea te animi contentione tantiſper auocare; ita affixam magnis cogitationibus, & curis mentem ſermone morari longo, ac plus nimio detinere meis nugis. Aueo igitur abs te ſcire de germani fratris connubio; refrixit? an à mora grauiſſimo negotio accedit pondus? Viſus ſtatim mihi nexus ille planè aureus: vtrinque par genus, ac familiarum nitor: audio, & in Sponſa reſpondere formam, & mores.

res. Sed hæc Cælo permittenda; ne nobis ipſi concinnare malum videamur; ſi anxiè cupimus, ac fallat deindè euentus. Hieronymus noſter è caſtris ad aulam tranſijt; ad aliud nēpè bellum, non aperto quidem Marte, ſed domeſticum, ac fortè periculoſius. Princeps, vt audio, iræ obnoxius, ac ſeuerior quidam illi genius. Quis hæc tela fregerit clypeus? Plena horroris res eſt, ſingulis penè momentis fulgurare, ac tonare Iouem. Agitanda lis hic venit: Quæ in Principe indoles laudabilior, ſeuera, an comis? Non vna, eademque omnibus ſententia: partim comitati: ſeueritati partim fauēt. Ac pro hac quidem ſic perorare nonnemo mihi videtur: Planè, vt ſuperbiſſimum animal eſt homo, ita attemperandum illi eſset facili quadam manu frænum; quod ſi nimius rigor asperat, nil propius eſt, quàm calcitrare populos refractarios, ſeſſoremque excutere. Terret ſeuera Principis frons, atque illæ ſemper in vultu minæ, quas recidiſse in ipſius nō rarò caput, Faſti ipſi Principum docent. Quid igitur? Regnabit is rectiùs, qui primas, ſecundas, tertias comitati tribuit? cui placidiſſimi, vt vultus, ita & mores; ac verna quadam naturæ temperie, nubila nunquam facie, ſereno ſemper pectore, ita nunquam tonitru, ac aquilonibus adſtrepit, vt clementiſſimæ ab eo Zephyrorum animæ ſemper ſpirent quàm ſuauiſſimè; atque aſſidua quædam in fronte Iris tranquillitatem, pacemque adpromittat? At, quæ non cuditur pernicies, atque infelicitas populis ſub tanta morum amœnitate, clementiaque Principis arridentis? Nihil humano ingenio contumacius: vix in officio contines, ſi cruces, ferrum, ac mille pœnarum argumenta intentes: quantum inſoleſcet, ſi ſuo careat Princeps fulmine? ſi non acre ſupercilium, non minæ, non faſces, ac faces terrent? Quæ non pariunt monſtra blanditiæ Principum? quæ non ſuadet crimina illa morum facilitas? maleficij genus eſt pronior beneuolentia: in commune malum ſæuit naturæ bonitas: peccare docet impunitas. Contrà verò quantum addis acrimoniæ Regi, tantundem detrahis licentiæ vitio. Ardeat ille, quis audeat? inclamet, quis muſset? ſecures expediat, quæ ſecuritas cri-

mi-

mini ? territet horridè iubatus leo, ac rugiat, quis non timebit ? grassabitur latro, ſi allatret? an hydræ in more ſoboleſcet ſcelus, ſi aderit ferro, ac igne Hercules; qui renaſcentē teterrimam ſegetem vrat, ac ſecet? Adducat nempè habenas, ac frontem Princeps, neceſse eſt, ſi regnare cum laude velit. Adauget maieſtatem rigor: regium quid ſpirat aſperitas vultus: leges tuetur, ac iura: quicquid eſt præfracti ſpiritus, frangit: metum intendit: mala, ac malos æquè proſcribit, profligatque. Atenim non is ſum, mi Ferdinande, vt Principes, regiamque eorum indolem, aſperitate corruptam ingenus humanum irritem. Valeat hæc eorum opinio, qui lictores illos, non rectores populorum faciunt; nec puduit, quæ pulchrior, ac pretioſior eſt gemma, nempè clementia ab eorum fronte auellere. Scio, germaniſſimam diuini Numinis imaginem Principem esse. At quàm pronior Deo beneficentia, ac amor, quàm rarum illi fulmen ? Nunquam non mortalibus arridet ſerena Cæli facie, iucundiſſimo aſpectu ſyderum, riſu florum, decurſu amnium, flaua ſegete, autumni opibus. Qui poterit non pulcherrimo huic exemplari non reſpondere Principis vultus, ac indoles? Certè qui ad ſeueritatem Principem fingit, ac format, ſimul diuinitatis quandam illi ſpeciem; ſimul hominis perſonam detrahit: neque enim dicendus ille eſt Deo ſimilis, quem non exprimit: neque homini, ſi humanitas deſit. Quid ? cùm pleno irarum vultu, ac truci fronte in publicum se ſe dat Princeps, hominem vides, an immanem quandam belluam, diſruptis veluti catenis, ſua è cauea proſilientem ? oculis ardet, minatur dirè vultu, rictu terret. Eiuſmodi fuere Nero, Domitianus, Caligula, truculenta illa ſæuitiæ nomina, quos enimuerò humanitatis ſuæ piguit, tranſcripſitque in præferoces belluas ſua feritas. Aliæ profectò dictæ Principi leges: nempè vt ſub publica chlamyde priuata quædam comitas ſit: ſub Principis vultu pater: ſub Inſula maieſtatis popularis facilitas. Nam, quæ pulchrior nomenclatio, quàm quę Tito contigit: Deliciæ, amoreſque terrarum ? Si tutò imperare, ſi tranquilliſſimè velit Princeps; id illi primum, vt populorum

Digitized by Google

ſibi ſtudia conciliet ſuo ſtudio; amore amorem redimat; beneuolétia beneuolentiã: ſit in oculis omniũ, ſpiret in animis, regnet in pectore, triũphet in obſequio. Meminerit, populos, ac regna quoddã eſse ſibi velut auguſto Capiti annexum corpus; amet igitur, affectuque foueat ſua membra. Scinerit, se omnium ceruicibus impoſitum: eòque alleuet affabilitas, comitas, munificentia tantum onus, neceſse eſt. Auream contigiſse cuique Principum animam, ſapientum plerique docent: parcant igitur ferro; ſitque illa Principatus lux lætum omnibus ſydus, non cometes. Quid plura? Quæ mitior eſt Cælo fax, oculos accendat; non Orion, non Hyades: frontem non contrahat rigor, ſed exhilaret clementia: floreant in munifica manu gratiæ: ſit in ore Neſtor, cui melle dulcior oratio, non Pericles ille Olympius, qui miscere, ac pulsare tonitru quodam theatra videbatur. Amet denique, ametur Princeps: nam verum illud: Multos timebit ille, quem multi timent. At enimuerò nonne expeditis interdum faſcibus, exerenda, atque exercenda securis eſt, ac mulctanda contumax mortalium indoles? an ſilente semper Nemeſi, regnabit impunè vitium? an ſublimiore è solio, veluti è Mœcenatica turri graſsari inceſtam libidinem, furta, cœdes, ſacram auri famem, ac cæteram hominum peſtem cernet hilari quodam vultu mitis Princeps? Ita profectò, figendum aliquando scelus; amputandum, ne ſerpat, malum: sarta autem, ac tecta ſua erit Principi mansuetudo, ſi temperamentum, modumque adhibeat pœnis, ac suspensa, leuique manu tractet vulnus. Scilicet, crimen ita vindicet, vt sua æquitati, ſua clementiæ iura conſtent. Id immixta auſteritati ſuauitas, ſuauitati auſteritas efficiat, vt videatur adminiſtrare mansuetudo ipsa ſupplicia, irrogare facilitas pœnas: vt nescias, ſeuerior ne amor ſit, an amantior ſeueritas? atque adeò ipsa grata ſit acrimonia, placeat rigor, oblectet auſteritas. At quem tandem inueniet finem epiſtola hęc mea, ſi totam hanc demetam segetem? Adi Senecam, hoc eſt, ipsam eloquentiam. Audi, quid Neroni propinet; quàm fusè, quàm pulchrè, quàm acutè. O feraciſſimum;

ac

ac nulli prorsùs æmulandum ingenium. Tu, mi Ferdinande, parce, ſi experiri, atque exercere illepidè manſuetudinem tuam volui! Sciueris, me tuum. Vale. Romæ Non. Maij MDCLI.

Paulo de Iulijs Cl. Reg. S. D.

EPISTOLA LX.

QVam nuper euulgaui, Canicularem Muſam, excepiſse te, Vir ſapientiſſime, neſcio quo ſupercilio, ſignificatum mihi eſt. Id quod & alios etiam ex noſtratibus viros graues facturos, mihi perſuaſeram. Sciueram nanque fore, vt perſona hæc poetæ, quam indui, intempeſtiua videri vobis deberet, qui, demandata pridem mihi rerum noſtrarum ſcriptione, aliò me diuertiſse, noſtramque differri hiſtoriam, haud æquo profectò animo accipitis. Ita ne verò? inquitis. Hæc operoſa noſtri Ordinis monumenta? ſcilicet, Muſarum otia, ac nugæ, quas cudis? Poetarum ne luſibus proludi grauiſſimo operi oportuit? an, niſi Muſa prodroma, prodire in lucem nequibat hiſtoria? Certè, vt iiſdem ſub eloquentiæ ſignis gemina hęc poeſeos, atque hiſtoriarum facultas militet; idemque ſit vtriuſque inſtitutum, ac finis; nempè formare mortalium mores, ac munire præceptionibus ſuis ad communem felicitatem, ac virtutem iter: nihilò tamen minùs vſque adeò diſpar illis ingenium, cultuſque eſt, vt, ſciſsa eloquentia, abierint in partes, ac nihil pugnaciùs diſſideat: & illa quidem ſua per figmenta, feſtiuamque imitationem, ac veri vmbram doceat: hæc verò, ducto citra phaleras, ac fucum ſtylo, accerſitam verborum pompam, atque admirabilitatem omnem faceſsere à dictione iubeat, placeatque natiua duntaxat venuſtas, ac ſuus color.

Digitized by Google

Igitur, quid tibi, inquitis, cum lenocinante poeseos gratijs, cui grauiſſimum, ac seueriſſimum ſcribendi genus, atq; ipsa hiſtoriæ ſanctitas propoſita eſt? Nimirùm, ita diuisus biuertex Parnaſsus eſt, vt hic quidem commenta; hic rerum geſtarum commentaria adornare quis poſſit? Planè ab vtriusque tractatione ſtyli corrumpi nonnihil ingenium, ac ſui ipsorum confinio lædi vtramque facultatem, neceſse eſt: atque adeò prepoſtera ſtudiorum mixtione, aut ineptus eris poeta, aut malus hiſtoricus: cum aut lasciuire, ac veluti cubare in rosa hiſtoriam oporteat ab eo delicatiorum Musarum contubernio, quod sanè indecorum: aut ablegare poeſim cultum, floremque dictionis, ſi hiſtoriam tractes, quo nihil inconcinnius. Hæc cum à vobis obijci iure mihi intelligam; tum illud grauiore quodā ſensu, ac veluti indignabundi conficitis, non debuiſse me, ſuspensos hiſtoriarum expectatione diù animos, ludicra hac carminum meditatione, ac otio morari. Vrgere inſtitutum opus, ac pensum, id demum eſse mearum partium: diuertiſse ad florentes Musarum areolas, ac Parnaſſi vmbram, fieri ſine communium votorum fraude minimè potuiſse: ſatis per se longas hiſtorici itineris, pelagique illius vias eſse, quid inter Nauſicaæ, & Calypso delicias, abrupto feriæ ſcriptionis cursu, peregrinantem ſtylum detinuiſse? Audio tuas, atque amantiſſimorum sodalium voces, querelasque, mi Paule; quibus abundè factum satis putauerim, ſi dabis eloqui me paucis. Inſtillatus à puero mihi quidam poeseos guſtus, ac ardor; vt non tam cecinisse ad cunas dormienti communem in morem nutrix, quàm genialis quædam Musa informaſse aures, atque afflauisse suis numeris indolem, mentemque videri poſſit. Adoleuit collactaneus hic Lyræ genius; ac temperare subindè mihi nunquam potui, quin diebus subceſiuis, maximè canicularibus, qui Musæ huic meæ nomen fecere, aliquid modularer; effunderetque innatus ille calor ad Phœbi citharam, ac modos lucubratiunculas ſuas: quæ cum aliæ alijs pro re nata, ac per interualla succederent aduerti, excre-

cre-

creuiſse ſenſim opificium, ſuas in partes, ac veluti in membra diſtinctum. Enata illicò non tam mea, quàm aliorum in meos partus pietas, quorum ea fuere ab inſigni quadam humanitate preces, ac monita: ne quæ ad vigiles lucernas conſcripſi, fraudarem ſua luce: nam quorsum hæc temporis diſpendia, niſi quædam inde ingenijs compendia deriuassem? Musas honeſtiſſimas quidem, quippe virgines: at non adeò sui receſsus ſtudiosas, quin celebritatem, lucemque ament: Maronianæ Galateæ esse quàm ſimillimas; & fugere ad salices, & se cupere ante videri. Feſtiua hæc amicorum inuitamenta reijciebam ipse perfacilè, horrore quodam publicæ lucis: quippe qui noueram, non eam acceſſiſse vigilijs meis ab ingenio limam, vt subire eruditiorum iudicium poſsent: præsertim cùm is ſit voluentis ſeculi genius, ſiue rerum pulcherrimarum faſtidium, vt cum de latinis numeris agitur, pauca pauci probent. Ad hæc, traducto iam ad hiſtoriam calamo, infra inſtituti dignitatem putabam, aſsuetam ſerijs mentem, ac ſtylum, reuocare ad amœnitates poetarum. Ea nihilominus fuere amicorum repetita adhortamenta, vt reluctantem, eò tandem impulerint, vt luci darem: & quòd non tam grauatè, & ſi minùs libenter obtemperauerim, in causa fuit, quòd cùm ad summam iam manum primam noſtrorum Commentariorum partem perduxiſsem, appellere animum ad hæc poetica recognoſcenda ſine hiſtoriarum fraude, ac mora poteram. Habes igitur, Paule humaniſſime, cur non leuiores hasce ingenij velitationes, atque hiſtorici operis corollariũ non ita offeſo animo reſpicias: quãquam habes adhuc, vnde vehementiùs indigneris; nẽpè quòd in lucem hæc prodierint non vnis sanè maculis inspersa. Quid meum hic sensum explicem? vt vidi, vt perij: nihil enim parentibus acerbius, quàm liberos enasci mancos. Aberam Roma, dum imprimerentur: typis qui præerat, non adeò accuratus; ac nulla ei præterea cum Muſis consuetudo: hinc verba pro verbis; hinc immutatæ syllabæ, ac numeri; hinc luxati fœdè versus.

Sa-

Sanari hæc vulnera peruellem; sed neſcio, an vnquam aſpirauerint Muſę, ac pudori ſuo conſulent. Porrò quo plauſu hoc anno Florentiæ declamaueris, attulit huc fama, quam puto populorum admurmurationem, & quem à diſertiſſimis concionibus fructum demeſsuit florentiſſima ea Ciuitas, minimè exæquaſse: Deus Maximus in hac te dicendi palæſtra conſumatiſſimum, incolumem communi bono diù ſeruet. Vale. Romę IV. Non. Iul. MDCLI.

Laurentio Biſſio C.R.S.D.

EPISTOLA LXI.

MAgni ieiunij ferias exegimus, Laurenti eruditiſſime. Prolixa, ac ſeuerior hæc abſtinentia, ſit licet propior ſenectuti ætas, viſa mihi, opes, ac vires corporis nulla quidem ex parte delibaſse. Vſu diſcimus, non adſtrictiore annona, ſed copia vim animi, ac robuſta ipſa corpora deteri. Nulli vnquam incolumitas diù viguit, quem lautiſſimis aſſuetũ menſis, & gulæ, merſere pocula. Procurata ambitioſiùs, ac repetita cõuiuia; tot illa ferculorũ nomina; quæ ſcenam, non menſam inſtruunt; illa ad quandam gulæ pompam, atque incitamentum immixta pęlago nemora, iunctæque ſcaris turtures, mullis perdix, turdis, conchylia, murænis lepores: exundantes illi calices, ac ſuccedentia inter æſtiuas niues Phalernis Maſſica: illæ denique Luculli, Apicij, ac Sybaritarum popinæ voluptati ne ſunt, an oneri? vegetãt, an grauant? alunt, an lædunt? inſtaurant, an corrumpunt? Certè, vt nihil naturæ infeſtius, quàm laborare ab ingeſtis affatim epulis corpora; ita nihil illi gratius, quam ijs vti alimentis, quæ non artificum ingenia, ac manus; ſed ſimplicitas, ac frugalitas condit: quibus accedit à fame ſapor, à parſimonia pretium, à temperantia ſalubritas. Paucis nempè indigemus: quid igitur terris, aeri, pelago, ac transma-

marinis ipſis regionibus graues ſumus? cur tot atteruntur articuli, tot deſudant manus vni gulæ? Paucis autem contenti, id efficimus, vt tenui eo victu valeat, vigeatque athleticè corpus: vt abſtinentia, ceu freno quodam contineri in officio refractarios perſæpè ſenſus contingat: vt palleat quidem vultus, ſed ſuus ſit virtuti ſuccus, & color: vt floreat irrigatum breui cyatho ingenium: vt faciles ſint lucubrantibus vigiliæ: vt religionem, pietatem ſanctitatem ſuus alat cibus; nempè ieiunium. Quod quidem Quadragenarium ieiunium illud potiſſimùm exhilarat, nempè quotidiana ſacrorum Oratorum facundia: planè vt ſuam à ſolenni hac abſtinentiæ afflictationem non ſentiat corpus, quando tam lautè Dei verbo reficitur animus. Diuina quædam fercula ea ſunt: nectar delibamus: penè cum beatiſſimis ipſis Mentibus accumbimus menſæ: cui quidem inſtruendæ ſemper aliquid è ſuo penu afferunt priſci illi, non tam sacrorum, quàm eloquentiæ Antiſtites. Habes quantùm pretioſioris annonæ præfert ſuo nomine Apis illa Inſubri, Ambroſius: neſcio quid ſolidioris cibi adportat prænobile monſtrum Africæ, Auguſtinus: efficit Chryſoſtomus, vt paſcamur auro: adeſt ſua copia Tullius ille Dalmata, Hieronymus: multum meri mellis affert Bernardus: quid Gregorius? quid illi Græcę facundiæ, atque eruditionis Principes; Nazianzenus, Baſilius? Ad hæc pro diſpari declamatorum ingenio, multiplex ipsa epularum varietas mirificè oblectat; vt aliæ ab accerſita quadam ſuauitate palato ſapiant; aliæ ab acrimonia guſtum excitent; quædam ſuo admordeant ſale, ac pipere; has conditura, illas ſimplicitas; nonnullas quæſitus ſapor, pleraſque ſuus ſuccus commendet. Vides quàm ſplendidè, quàm magnificè inter ieiunia epulamur? Quòd ſi roges, in ampliſſima Neapolitana hac vrbe quinam celebrioris famæ eccleſiaſtæ hoc anno perorauerint? cui frequētius theatrum; quis palmam tulerit? dicam planè, quod ſentio: nam, vti noſti, in eiuſmodi certamine affectu regimur, ac paſſim cernimus ſtudia in contraria ſciſſum vulgus. E multis præſtitere omninò quatuor præclari nominis: Cu-

culla-

Cullati videlicet duo: linteati duo; quorum alter ex noſtratibus, quem ſcis cultu, ac ſplendore linguæ per Italiam non obſcurum. Ac principio quidem viſi æquis paſſibus vorare ſpatium, impellebatque par fauor, ac aura. Sed creuere mox Cucullatis ſtudia, ac plauſus; vt linteatos prætervecti, ſtadium ad metam vſque haud diſpari populorũ æſtu, concurſuque decurrerint. Qui ſoleo claros iſtiusmodi Oratores quàm cupidiſſimè, ac pronis auribus audire; adij, iuuitque ſemel, ac iterum ab vtriuſque ore pependiſſe. Vni quidem multum inerat ſub intexto cinere facundi ignis: præter habitum nihil illi vulgare: vultus ad omnem grauitatem compoſitus: vox, geſtus, oratio mutuò ſibi reſpondebant: intra modum elegans; ac ſi quid oriretur, velut ſub manu, argutæ ad ſeculi genium dictionis, non diſſimulabat; frugiferum præterea dicendi genus, miſcebatque peregregiè vtile dulci: planè vt meritò quæ grauior, ac nobilior eſt pars Vrbis, eques, toga, illi plauderent. Alteri verò memoria penè ad miraculum, quantæcumque rerum, verborumque enumerationis, ac volubilitatis capax. Admirabilitas in quandam degenerare extaſim ab enormi ea copia videbatur; neſcio an intra grauiſſimi muneris maieſtatem, ac ſanctitatem. Quod autem ſibi potiſſimùm propoſuiſſe vir egregius videbatur, id erat, ſingulis penè verbis, ſingulis dictionibus ſuam exacuere, atque expolire cuſpidem, vt aſſiduis veluti punctiunculis confertiſſimum theatrum excitaret ad plauſum. Incredibilis planè à quadam fertilitate, ac ſubtilitate ingenij argutiarum, acuminum, alluſionum in eo ſeges: nihil echino ſimilius, quicquid tangeres, cuſpis erat: punctim ſuis cum auditoribus agebat, non cœſim: ſurgentes, pungenteſque bellè ariſtas nullus enimuerò numeraſſet in ea meſſe. Videbantur profectò, veluti ad incudẽ nouæ cuiuſdam facundiæ periodi omnes conflari in gladios: eoque dicente, affirmaſſes, peracuta euibrari ſpicula, non verba; atque ab earum multitudine, quod olim de Perſarũ ſagittis dictum, inumbrari Solem: vtinam ad cladem vitiorũ. Quid hic tu, Biffi eloquentiſſimè; quid priſci illi Rhetores dice-

dicerent? agnoſcerent tot horrentem aculeis; tot ſpinis aſperam eloquentiam? Quid hæ ad pietatis frugem ſententiolæ? quid ad pios animorum motus? vbi vis illa lachrymarum? vbi mœror ille intimi pectoris? vbi virtutum ſtimuli? nunquid colligent de ſpinis vuas? Plaudebant nihilominùs plerique omnes, qui eruditi, exertoque ingeniò videri vellent: efferre diuinum eloquentiæ genus, tàm parcè, tàm verecundè, tàm caſtè à priſcis oratoribus vſurpatum. Lumina, faculas, gemmulas, delicias ſententias illas appellabant, quarum pleræque meræ nugę. Video cenſoris partes egiſse in hac arte omninò rudis. Scilicet, indulgemus genio: eaq; publicæ eloquentiæ dicta lex eſt, vt cùm ad indoctas, doctaſque ſimul aures appellet, æquè ſit earum iudicijs obnoxia. Sed tu candorem calami æqui, bonique conſulas: neque enim is ſum, vt ſumma papauerum capita decutiam. Salutant te in Domino amici. Vale. Neapoli VI. Kalen. Maij MDCLII.

Marcello Bruno S.D.

EPISTOLA LXII.

TAntus ne tibi amor villæ, Candidiſſime Brune, vt inclytam hanc Vrbium Vrbem, ac penè compendium mundi, Romam, deſeras? An gratior tibi ſolitudo, ac tacita inter ſiluarum vmbras vitæ ratio, quàm in hac luce mortalium erudita amicorum conſuetudo, ac tot in Vrbe commoda, tot ad virtutem, ad gloriam incitamenta? Quid hoc, vrbanum adeò, quà morum laude, quà Muſarum munditijs virum, abhorrere ab vrbibus? Impoſuit profectò tibi Lipſiana illa de agri laudibus epiſtola, quam puto, te legiſse: &, quæ facilis eſt tua indoles, elegantia te dictionis cepit, non momenta rationum. Ornatiſſima nanque cùm ſit, tota in ſpeciem laborat, ac plurimum habet bracteæ, quæ frontem ornat. Mi certè nunquam fefellerit impoſita, & quæſita viri facundia ruri larua, qui probè noui, vel in frequentiſſimis vrbibus, ac Romæ in medio eſse ſolitudinem, receſsum, vmbras, ſi velis: in villis non vrbem aliquam inter prata, & quercus, non Romam occurrere. Comperta hæc quidem res eſt, ac extra palæſtræ aleam: attamen, ſi prouocas, pugnam non detrectauerim. Per ipsa Lipſij veſtigia, hoc eſt, per ſapientiam, per mores, per voluptatem, ac fructum paucis agam; ac veluti cum ruſticis citra cultum eloquentiæ; ne videar à villis florem aliquem emendicaſse. Quid igitur? excolendæ ſapientiæ, artibus comparandis, elimandis ingenijs, excolendis Muſis, lucubrando, pangendoque carmini [illegible] idonea? à fori ſtrepitu, ab aulæ officijs, à curarum æſtu, à conſultationibus, à domeſticis, ab exteris? cum interim audiendo Platoni, Zenoni, Stagiritæ, ac reliquis ſcientiarum magiſtris ruris ſilentia cũ primis faueant, ac nullus verberet aurem rumor, nulla diſtrahant negotiorum auocamenta. Præclarè id quidem, ac planè ad rem dixeris, ſi in foris, in triuijs, inter officia Principi-

cipum, inter litigantium rixas, in aulę medio philoſophandum, & commentandum nobis eſſet: hic feruet vulgus, hic æſtuat, hic infeſtiſſimæ ſtudijs turbæ: cæterùm quisquis Apollini operatur, ac Palladi, domi latet: hic procul negotijs in vrbe extra vrbem agit: ſuum hic Helicona, ac Parnaſſum, Muſæum ſuum excitat: per otium commentatur, legit, diſputat: nullus interpellat: horas nullus decerpſerit, integri fluunt illi dies: atque adeò quid in agro quærimus, quod intra velum habemus domi? quid familiari hac ſolitudine, quid otio hoc, ſilentioque domeſtico ſtudijs accommodatius? In vrbe deinde quæ in omni doctrinarum genere eruditiſſimorum hominum meſſis; & copia? quorum conſuetudine, ac veluti attritu mutuo quantum poliuntur ingenia? Hunc diſceptantem peracutè audis? tuam exacuis vim mentis: diſertiſſimè ille perorauerit? quantùm ab inſigni eloquentia accedit tuæ dictioni ſplendoris, & cultus? canit ille ad Phœbi numeros peregregiè? poeſis illa tuæ poeſeos cos, & lima eſt: ſcilicet artes artibus, ſtudijs ſtudia, ingenia ingenijs excitantur, gliſcunt, expoliuntur. In villis quid tandem iſtiuſmodi eruditionis floret? quis è Porticu, aut Academia philoſophus? truncus? quis orator declamat? mutum animal? quem hic adis, quem audis, qui tua emendet, limet, formet? Quantum verò illa ad eruditionis incrementum, nempè vulgi plauſus, populorum ſtudia, Principum munificentia, ac proniore manu præmia? Nullus, hercle, ab fertili licet agro extiterit vnquam Maro aut Flaccus, quia nullus in agro Auguſtus; aut Mœcenas; qui Muſas auro alant, irrigentque Maronibus; aut Flaccis laureas, Tullios item, Hortenſios, Brutos; atque Athenarum ea fulmina vrbes vtique dedere Orbi: nam quæ villis exornandæ facundiæ inſtrumenta? vbi confertiſſima illa confluentium ſubſellia, ac popularis aura, quæ eloquentiã ventilet, & augeat? quis auditor, cui ſuam adprobet vim, copiamque dicendi declamator? vbi theatri ardor, ac lux, vt plauſus, iudicia, fauor animos addant, ac ſtimulos? Quodſi, ab ingenio ad mores transeas, hic etiam vicimus. Vicimus? proh

 quan-

quantum, inquis, à veri ſcopo aberras. Ruſticatur, ſi neſcis, fides, ſanctitas, candor. Innocentiam ſua per veſtigia ſi quæras, in agro tandem inuenies: vbi inter roſaria, ac violaria florentes etiam cunas habuit, hauſtoque ſubindè ſalubriore aere, ac ſolibus longè candidioribus adoleuit. Melior hic Zeno, Socrates, Solon natura ipsa eſt, qua duce, ac auspice, non intra Porticum, ſed liberiore in campo indoles bona non fit, ſed naſcitur: citra aratra, ac laborem progerminat pulcherrimã in frugem animus: mores mortalium ſpontè proueniunt, atque ipsa in villis effloreſcit ex ſe virtus, non formatur. Nam de vrbe quid dicam? Quo ſplendidior ea eſt, eò ibi ſplendidiùs habitant praui mores: importantur, exportantur facillimè ritu mercium vitia; ſerpitque in conferta hominum multitudine attactu quodam lues animorum: vt pro miraculo ſit, ſi quem in vrbe non afflet, corrumpatque ambitio, dolus, auaritia, ac cætera mortalium peſtis. Ita ne verò? an ſic in æui memoria peregrinaris, vt ignores, ſparſos olim per agros homines ferarum penè collactaneos, earum more vixiſſe? ſub Ioue ipso nullus ijs Numinis cultus: in florentis naturæ ſinu nulla indolis elegantia: ita liberi, vt nullus eſſet germanitatis, aut amicitiæ nexus: nullus virtuti honor, nullum honeſtati pretium. Colligendi, cogendique in vrbem fuere, vt rudes, impolitoſque mœnia erudirent, ſocietas inſtitueret, inſtruerent cõmercia: vrbanos mores in vrbe cõbiberent: refingeret, ac penè recoqueret ciuile commercium. Non ſiluas, non cautes, belluaſque emollijt, ac traxit cantu citharæ Thracius ille Orpheus: mendax ea fabula. Sapientes viri fuere, qui innutritam aruis, ac rupibus, feriſque perſimilem agreſtem eam gentem, ad vrbẽ vi quadam facundiæ perduxere: ibique, truncus, aut leo qui fuerat, inſtillata indole humanitatis, in hominum tranſcripſere cenſum, ac ſenſum? Et verò, quod æquum, quod pulchrum; quicquid eſt honeſti, ac ſancti, bonorum quà exemplis, quà monitis, quà diſciplinæ vſu, quà metu pœnæ, quà præmiorum illecebra, quà virtutis amore vrbes pe-

Digitized by Google

perere, non arua: vbi cum non habeas, quos probes, quos improbes; quos imiteris, quos docentes, diſſerentes, diſceptantes audias: nil propius eſt, quàm ſilueſcere mores, ac veris iam fabulis, abire in ſaxa, ac plantas homines. Quid? robur, ac vires ad virtutem bellicam in agro durantur? Gentes mihi obtrudis, à ſiluis, in quibus oberrabant, longè bellicoſiſſimas? At quas gentes, Deus bone! Scythas, Parthos, Turcas, barbarorum nempè immaniſſimos, qui non tam bellare, quàm belluas æmulari, ac diſcerpere obuios quoſque vnguibus, à leone, ac tigre, quibus aſſueuerant in ſiluis ſuis, didicerant. Pulchriùs ſanè clariſſima ea Romanorum nomina, Quintij, Curij, Fabritij producuntur in medium, quos Dictaturæ, ac faſces ruri prenſabant; qui ſcirent, æquè bobus, ac hoſtibus iuga imponere; triumphales nempè coloni, quorum laureato vomere gaudebat terra: ſed quid egreſtes hi pauci cum inclyta illa Fabiorum, Gracchorum, Scipionum manu, cum Camillis, cum Marijs, cum Æmilijs, cum Iulijs, quos Roma, non villæ ad laurearum ſiluas, ad triumphorum ſegetem, ad Orbis imperium educauit? Sed eò iam prouocor, vbi triumphare procul dubio videntur agri, nempè ad voluptatem, quæ ita ijs inſita, vt quiſquis aliquid haurire liquidæ voluptatis velit, ab vrbe in agros, huiuſce potiſſimũ frugis, nẽpè deliciarũ fertiles, immigret. Neſcio quid hic pretioſi imbris ſereno è Cælo Iuppiter in ſuę Danaes, hoc eſt, in telluris ſinũ depluit. Roſcida hic mel la videtur ſudare quercus: fluſit hic lacte currentes riui. Quid ad oculorũ illiciũ pulchrius, quã ſuperbiſſimè cõueſtiti colles; diſtingui quàm amœniſſimè floribus prata; pubeſcere, & creſcente ſegetũ cæſarie criniri pulchrè annũ? ire per conualles fuſiles argenti venas? ex alto cadere, ac bellè frangi vitreas fluuiorum vndas? Quid ſub autũnum cẽtimanæ porrigentes poma arbores? quid in tã multiplici pomorũ genere purpura, aurũ, nectar? Vides ſuis pẽdere è vitibus vindemias, hoc eſt, nõ tã vuas, quã electrũ, ac gẽmarũ globos: vides deinde premi gemmas, exprimi delicias: exũdare præla, ſpumare lacus, innatante videlicet Baccho. Oblectant hæc mirè oculos,

los; cum interim ſua non deſit auribus à concentu auium voluptas. Inemptam hic habes Muſicam, nec ſanè ineptam. Audis, quæ te primo mane conſalutant citharistriæ, ac Muſæ nemorum, luſciniæ. Vnum iis guttur pro centeno plectro eſt; vsque adeò, mutatis ſæpe numeris, illæ, non illæ; quicquid vſpiam canori eſt, intorto, infractoque ſpiritu ad inuidiam, miſcent, innectuntque modulis modulos, fides fidibus, metra metris. At enimuerò fuerint hæc in villis deliciæ; oblectet illa camporum hilaritas: amœniſſimæ illæ amnium præterfluentium ripæ, pubes illa veris, Pomonæ illæ opes, lenocinia illa auicularum: ſed quid hęc cum vrbibus, vbi cum vel intra ipſa pomoeria hæc ipſa ſint Prætoria deliciarum, & regia conſitę manu villæ, & aurea è frō. dentibus ſmaragdis poma, & aquarum perennitates, & fontium murmura; tùm grandior quædam voluptas ſimul oculos, ſimul animos ambitioſiùs capit. Vides ab vltimo penè Orbe inuolare in Romanam vrbem ex omni cenſu mortalium gentes? conuenirent per tot terrarum tractus, rerumque diſcrimina, niſi traheret voluptas? Quantùm hæc maieſtas, hic nitor Aulæ oblectat? quantùm aſpectus ille Thiaræ Principis, purpurarum, Infularum, ac ſacrorum ab iis ritus, ac ſplendor? Quid honorariæ illæ Auguſtorum Patrum, ac Principum deductiones, ordo curruum, ſtrepentes ipſæ, ac feruidæ interdum rotæ, & qui inde excitatur immixtus pompæ puluis? Ædificia deinde ſi priſca, ſi nupera in Vrbe inſpicias, id efficit oblectatio, vt auellere affixos iis oculos nequeas. Non pendentes hic rupes; non acti introrſum ſpecus, non conneſtita hederis tuguria, quæ villæ iactant, ruſticæ nempè ruſtica; ſed certantia Cælo opera, templorum miracula, tectorum minæ, ſuſtentandis æternis molibus columnationes, cęlata oſtentandæ arti marmora, Cæſarum thermæ, theatra, monumenta, vbi vel ipſa arrodentis æui clades, ac vix humi veſtigia oculis mirum in modum lenocinantur. Iam, non hic ſcatebras intimę voluptatis memorem, nempè ſcenas, ac Roſcios; non publica hilaria, feſtos ignes, equeſtres ludos, palæſtras: ad

quæ

quæ cùm cupidiſſimè accurrant homines, aliquid ineſſe ijs præcipuæ oblectationis, fatendum eſt; quod tum ne quæras, vbi inter muta animantia nullus hiſtrio, nulla pugnæ imitamenta, niſi quod rixantur interdum, concurruntque inter ſe ſe dura fronte hirci. Quamquam ſi de animantibus ſermo eſt, numerandi profectò inter vrbana oblectamẽta, qui paſſim ad feneſtras ludunt ſimioli, ac pſittaci, quorũ hi quidem argutuli, dicacesque fori ſcurræ dici iure poſsent: illi, quòd egregiè vultus, geſtusque hominum repræſentent, ceu comœdi, actoresque muti, ſcenam ad publicum quoddam laxamentum mirè implent. Neque diſſimulanda tam multiplex, tam varia in vrbibus rerum, artium, mercium species, ac nomina. Feruent ab opificijs officinæ, porticus, fora: vides tot teri ingenia, tot manus: vides intentam operi ſericariam, phrygiariam, bractearíam, vnguentariam, ſtatuariam, graphicam: hic telas conficit, hic tela: aurum hic expolit, hic ferrum; nundinantur illi merces: hi verba: gulam hæc ornant, hæc explent: bibliothecas quà ambulantes, quà ſtantes vides: ſunt, qui per vulnera marmor loqui cogunt: ſunt, qui à tabulis vocem exprimunt penicillo: Venales proſtant hic pelles Ponticæ, hic Hiſpana aluta, hic aulæa Belgica, hic texta Britannica, hic picturata Perſarum pepla. Quid plura? it venum fumus, fucus, puluis, atque ipsa in linteis aura textilis. Quid hac rerum, operum, curarum varietate iucundius? It per ſingula oculus, excurritque huc illuc animus, oblectatur, capitur. Atque hinc etiam omnigena exiſtunt conceſſa affatim vrbibus, negata villis commoda. Habes è tot vrbanis artibus, ac ſtudijs, quicquid ad ornatum, ad cultum, ad luxum genus vnquam mortaliũ exoptauerit. Sunt quidem ſua villis bona; arant, occant, an ſibi? quicquid illæ ſerunt, vrbes demetunt: ſegetes habent, non horrea: vectigalis vrbiũ eſt ruralis labor: fluctuat vrbibus meſſis, coquitur vindemia, pendent poma, nidificant, mellificant apes, aues. Quid illa deinde à Lycęis doctrinarum præſidia, à ſocietate documenta morum, à ſapientibus conſilia, ab opulentis adiumenta, à mercaturis opes, à Principe

magiſtratus; gradus, Infulas? At enim in te comperta quid diutiùs morer? Hęc ſi te, Marcelle ornatiſſime, rationum pondera in vrbem traxerint, ſummopere gratulabor, reſtitutum nobis ſingulare ornamentum, ereptumque penè Conſulem ſiluis. Quòd ſi perges ſilueſtri huic beatitati mordicùs adhærere; ſcias, me addictiſſimum tibi, ſiue agri te habeant, ſiue vrbes. Vale. Romæ VIII. Id. Apr. MDCLII.

Poſt hanc epiſtolam exaratam ſubitus calor extemporaneos hosce effudit verſiculos. Nihil ijs vrbani cultus. Planè, qui vrbium cauſam peroraui, videor in hoc epigrammate ſtare pro ſiluis, incompta videlicet Muſa, ac ruſtica. Accedet à tua beneuolentia nitor, ſi leges.

Ad Iuſtum Lipſium agros dilaudantem in epiſtola octaua Centur. I.

Rura tibi, Lipſi, nemorumque ſilentia, & vmbræ;
  Territiſque procul mœnibus arua placent.
Viuitur ingenuis hic moribus, inquis, habendi
  Nulla ſitis, nulla eſt pectore cura grauis.
Si colis ingenium; ingenio, Muſisque diſertis
  Abdita ſiluarum, mutaque rura fauent.
Quid timidas errare feras? quid rupibus amnes
  Cernere ſpumoſo murmure præcipites?
Quid matutino ſaturata roſaria rore
  Lutea? quid ramis pendula poma ſuis?
Guttura non auium memoro, ſilueſtria plectra;
  Queis Dircæa impar, & Rdodopeia fides.
Sic loqueris, Lipſi? viridis te quercus, & ilex;
  Te riguę cautes, te fera, flosque beant?
Si ſapis: eſt animus nobis ſublimior aruis;
  Haud ſiluis virtus clara, ſed vrbe viret.
Naturæ hæ leges. Quæ diuidit vrbibus agros,
  Præcipit, has homines, hos habitare feras.

Paulo

Digitized by Google

Paulo de Iulijs Glecico Regulari S. D.

EPISTOLA LXIII.

ETſi Maximi Pontificis Innocentij Decimi fati nuntium iam aduolaſse huc ſcio: commutatis quippè ad celeritatem equis, ſpargi iſtiusmodi Magnorum funera quàm velociſſimè huc illuc ſolent, pretiũ nihilominus, puto, fuerit, nõnulla te, Paule ornatiſſime, meis hisce literis monere, quæ non illibẽter audies: ac præterea agnosces, nullam me ſinere tui consalutandi occaſionem dilabi. Igitur lenta quædam intemperies, natura videlicet à senio fatiſcente, qui morbus ineluctabilis, Innocentium abſtulit, dum alterum ſupra octogeſimum annum ageret. Luctatus diù cum morte eſt: at dare tandem manus oportuit: fuitque ſuprema illi dies Ianuarij menſis quinta, quam campano ſtatim ære monuit de more Capitolium. Quis tùm Aulæ, atque Aulicorum ſensus fuerit: quæ publicè, quæ priuatim de ſummo Antiſtite iudicia: quis in compitis, in foris, in triuijs rumor: vt subitò mouere vrnam, ac ſuccedaneum Põtificem agitare præceps vulgus cœperit: quæ tùm abruptæ, obortæque ſpes: atque adeò quæ gratulatio, aut mœror, pro cuiusque iactura, aut quæſtu; coniectari ipse facilè poteris. Noſti Vrbem, quæ cũ ſæpè habenas, ac Rectores mutet; mutare ſæpiùs vellet: noſti ingenia, in eiusmodi rerum euentibus facundiſſima, omniũ gnara, nihil reticentia: noſti multiplicẽ ex omni non modò Europa, sed Orbe etiã gentiũ concursũ, quibus varius item genius, lingua, mores, ſtudia: vt nunquam eadem probent, aut improbent. Iam diſsectum, procuratumque odoribus, vti moris eſt, Pontificis cadauer, ac ſuis inſignibus cohoneſtatũ, iacuit ea die in domeſtico ſacello inter faces, ac preces. Aditus paucis patuit, quibus grãde profectò humanæ fabulæ documentum vsurpare oculis contigit; exanimem nempè illã magni Capitis Maieſtatem, quæ quicquid

vſpiam eſt terrarum, ac gentium, humana ſcilicet, ac diuina omnia nutu ſuo rexerat. Quamquam is fuit Innocentius, vt eſſe videretur vel in feretro Pontifex. Inerat quippe adhuc fronti dignitas, ac penè ſupercilio ipſi terror: vt dixeris iure, quod ille inquit: ſi magnus cecidit, magnus iacuit. Poſt occaſum verò ſolem, ac ſub primas faces è Quirinali in Vaticanum, vbi nouendiales exequiæ perſoluendæ, translatæ exuuiæ nocturna quadam pompa, quę ſpirare neſcio quid funeſti, ac magni videbatur. Præire velitum globus, qui viam agmini munirent: ſuccedebantque ſurdi quidam litui, ceu leſſum canerent. Sequi longo ordine Prætorianus hinc inde miles, haſtatus quiſque, ac loricatus militarem omninò in modum. Diſtributi, qui funalia geſtarent, è Pontificia domo famuli, immixti nempe armato militi, ac circa emortualem lecticam, quæ proximè inſequebatur, ferebatque magnos Manes. Hanc excipiebat reliqua elati Pontificis familia in equis, ceu ſuperſtitem adhuc Dominum de more proſequerentur. Poſt Aulicos, impoſita rotis ſuis bellica tormenta ad tanti funeris cuſtodiam, ac munimentū caſtrenſi quodam apparatu trahebantur. Agmen Equitum cataphratorum turmæ claudebant, diſſonis feralè timpanis. Luctum cumulare pullatum Cælum videbatur, quà tenebris, quà nubibus, quę in pluuiam etiam, ne deeſſent lachrymæ, ſolutæ. Poſtridie, excitata in Vaticani Templi medio ſepulchrali mole, cœpta ab Auguſto Senatu ſolenni ritu parentalia; atque inter ſacra explicatæ funebri Oratione Pontificis laudes: quas non hic ego delibauerim, ac detriuerim ſtylo. Illud omninò compertum; Innocentium, quà conſilio, quà maieſtate, grauitateque in agendò numerari inter magni nominis Pontifices facilè poſſe. Per omnes officiorum, Romanæque Aulæ gradus ſapientiam cum paucis elimauit: vt euectus deinde ad Chriſtianæ rei faſtigium, mentem eò attulerit rerum longè ſcientiſſimam, ac nullis non Orbis negotijs, ac momentis parem. Romæ ita aderat, vt vi iudicij ac ſingulari quodam genere prudentię extera etiam temperaret ingenia, curaſque videretur. Si quid fuit grauiſſimi operis

moliendum, quod ardorem quendam animi, robuſtamque manum poſceret, citra turbas, atque intorto ſine tonitru, ac ſtrepitu fulmine, peracta res eſt; planè vt ſedendo, & quieſcendo triumphauerit. Nihil de religionis ſtudio; nihil de iuſtitiæ laude dixerim. Quam ornabat moribus, expolire magnificentia Vrbem ſtuduit. Templa illi addidit, templis cultum. Vide nouam in Conſtantiniana Baſilica Baſilicam. Vide in Vaticani templo marmorum cruſtas, ac pulcherrimam columnarum ſeriem. Ædes planè regias extruxit. Perſtrepit in principe Vrbis foro aquarum perennitas, excitatis ad omnem elegantiam fontibus, quibus vectigales fecere vrnas ſuas Euphrates, Nilus, Ganges, Tigris; noti nempè amnes, qui hic inſculpti, magnopere gratulantur, quod tam magnificè ſuæ vndę Romæ fluant. Claudit nunc tantum Principem exiguus lapis, ſplendidius olim in ornatiſſima, quam ipſe fundauit, Diuæ Agnetis Æde quieſcendum. Nobis, mi Paule, quando neque ipſi ſacrorum, Deique interpreti parcunt fata; id reliquum, vt æternitati conſulamus diſciplinæ, ac virtutis ſtudio. Hæc Cælo beant: Cætera nihil ad animorum frugem; ac nugæ. Audio incolumem perueniſſe Neapolim Aloyſium noſtrum gratulor: Tu illum à me ſaluere iube.

Vale. Romæ IV. Id. Ianuar. 1655.

Nicolao Roberto S. P. D.

EPISTOLA LXIV.

SVspensum dicis Chriſtianum Orbem expectatione noui Pontificis: & quò grauius momentum, eò acrius deſiderium; vt sua vix ſuſtineant vota populi. De mortalium sũmo, ac sacrorum Principe agitur: quid hisce Comitijs auguſtius? quid hac vrna grandius? Aues igitur scire, quo res loco ſit? quid Roma muſſet? quem tanto muneri deſtinet? quis regẽdæ Romanæ rei maximo Atlanti maximus Alcides ſuccedet? Eſt, qui iam ampliſſimi Senatus occupauerit vota, ac animos? Affulſerit citò Vaticano, ac Orbi grande Sydus, an fatigabimur mora? Ea tu rogas, amiciſſime Nicolae, quibus in tanta rerum caligine fieri profectò ſatis nequit. Planè, ſi de auguſto Vaticani Comitio agitur; arcana hic omnia, altumque ſilentium: quæ agitantur inter ſumma Chriſtianæ Reip. capita, nefas euulgare: obſignata anulo, ac ſacramento ora Patrum. Quid parietes, & clatra, quæ vigiles Aulæ oculos, arrectaſque aures excludunt? ſcilicet, quæ illam rerum molem agitat diuina Mens, intra velum cuncta peragit: & quoad Spiritus ille, qui ſuffragia, ac vrnam mouet, linguas ſuas depluat; nullus planè eloqui, ac profari certa audet. Igitur, ſi, vti monui, de ſanctiori Purpuratorum ne dicam, an Candidatorum Conuentu loquimur; omnium prorsùs aures peregrinantur. Romæ ſumus: ſed perindè conſiliorum momenta latent, vt videantur aut Comitia haberi extra Romam; aut non intra Romã Romani ipſi agere. Quòd ſi quid per Vrbem fama, ac rumor circumferat; & quid vulgus, hoc eſt, illa multorum capitum, ac linguarum bellua intriuijs, in compitis, in foris commurmuret, scire cupis; facilè tibi persuaseris, quid inde propinari ſinceri, ac certi poterit. Partium ſtudia, affectus, priuata hominum vota dominantur, reguntque hãc scenam, ac mutant. Cliens, familiaris, consanguineus ſuum ſibi fingit, aut ſomniat Principem.

Quip-

Quippe ſpes quiſque ſuas, non aliorum promerita, actamque per ardua negotiorum canitiem, atque elimatam aſſiduis curis prudentiam metitur: atque adeò quem ſibi à cognatione, à neceſſitudine, à gratia fore perutilem putat; huic fauet, hunc euehit, pro hoc ſponſionibus etiã mordicùs decertat. Interdũ visa paulò ardentiùs publica quædam vox inualuiſse, incaluisse: ſed momentò deferbuit: acceſsu quippè, receſsuque, atque æſtu quodam eunt, redeunt populorum ſtudia: vt ſingulis diebus, ac penè horis renuncientur, abrogentur Pontifices: ſucceditque alter alteri, ephimera quadam aura ad ſummam Inſulam euecti. Igitur, quicquid fertur, incertus rumor eſt: neque pretium operæ puto, ea tibi ſignificari, quæ tãta hominũ iudiciorumq; inconſtantia, mutato ſæpiùs Principe, tàm facilè fingit, refingitque. Sunt verò, ais, Romæ romanarum rerum experientiſſimi, quos æuũ, vſus, Aulæ negotia altè erudiere: hi quidem ſuffragantium, refragantium conſilia, propenſiones, ſtudia apprimè cùm ſciãt, peruadere coniecturis ſuis poſsunt inacceſsa ea adyta, vbi res cuditur; prohindeque nihil facilius, quàm illos collimare in ſcopum. Sed quid? ſi hos præſertim euentus fallat? Enimuerò cùm diuinum hoc opus ad humani iudicij lancem expendant; putentque arte, ac dexteritate mortalium Põtificia adgubernari Comitia, aberrare eò lõgiùs cõtingit, quò ſe acceſſisse propiùs vi mẽtis putant: re nimirũ per cæca quædã conſiliorũ diuerticula, ac labyrinthos diuinitùs expedita, atq; ab eo Spiritu adminiſtrata, qui externa quidẽ ope, cæterũ afflatu, impulsuque ſuo, mutatis plerũq; ex inopinato indicijs, atque Auguſto ipso, qui deliberat, Senatu mirante, Romanos Põtifices, æterno priùs adamãte cõſignatos, appellat, euulgat, inaugurat: vt meritò quidẽ Petrus, quod tu probè noſti, filius Colũbæ audierit. Ab ea nanq; in Põtificatus lucẽ editus, atque ab ea etiam aureas alas mutuatus, eniti ad ardua Chriſtianæ Eccleſiæ faſtigia à pelago, à retibus, à cymba potuit. Ab hac Colũba expectanda iſtiusmodi ex inſperato puerperia: non rumor, non Aulicus conſulendus: videbimus ineluctabili Cæli ſuffragio luſas prudentiorũ hominũ

ſen-

ſententias. Porrò ſcio, te elati Pontificis funus elegiaco carmine elegantiſſime cecinisse. Quid igitur? intus tibi canis, & Muſis? Cur hac me fraudatum nænia, ac voluptate voluiſti? fateor, me amicè ſubiratum, Mitte, & placaſti. Vale. Romæ Prid. kal. Febr. MDCLV.

Aurelio Vrſio S.P.D.

EPISTOLA LXV.

EDidit tandem fauſtè, mi Aureli, verſata diù vrna Romanum Pontificem. Planè agitari ſua mora debuit Pater Patrum, Cælique interpres, qui aſtra, qui terras, qui vicarios regeret Chriſti faſces, atque vniuerſum Chriſtianum Orbem animaret grandi mente. Magnorum operum conſilia lenta dies perficit, non impetus: ac nihil æquè perniciosum, quàm momenta rerum momentò peragi. Fabium prçterea Chiſium par erat, vt Auguſta ea Patrum Comitia cunctando legerent; fatali nimirum Fabijs Maximis mora. Viſa quidem in præclarum ſtatim Caput omnium, quotquot Romæ aderant, iudicia, ac vota collimasse: ſed tacitus hic, atque in ſinu Romanorum ſenſus. Siquidem cùm non dum cçſariem canicies cohoneſtaret, augerentque maieſtatem inſignia ſenectutis; vehementer addubitabant, ne ſpecies fucum magni Viri promeritis faceret. Vt enim non minimum dignitatis Infulæ dignitati addit ſenium; ita inter Romani Sacerdotij Candidatos ægrè fore numerãdum putabant, cuius nondum incanuerat vertex. At enimuerò, quòd in magnarum tractatione rerum, per difficillimas legationes, inter arduas Regnorum curas, vſu Aulæ, excellentium ingeniorum conſuetudine, ſtudiorum contentione, pietatis laude, ſapiẽtia, moribus, grauitate conſenuiſſet iam citra capitis niuẽ virtus; prona omnium ſuffragatione ampliſſimus ille Patrũ Conuentus Cardinalem Chiſium Pontificem conſalutauit, plau-

Digitized by Google

plaudente Senatu, Populoque Romano; ac nihil non ſibi felix, ac fauſtum à tanti exortu Syderis pollicentibus ex omni gradu, censuque mortalibus, ſummis, infimis: quorum hi quidem illuſtre à Maiorum luce genus; hi traductam ſine venia, atque integerrimè vitam, moresque, ac indolem Principatui parem; ſolertiam alij, ac vim mentis; ingenium nonnulli, ac illa ſtudijs exhilarandis commercia Muſarum, quas ideò Iuueniles dixeris, quod nunquam conſeneſcent; religionem denique, ac pietatem certatim omnes commendabant. Is verò in Comitio quidem, dum cuderetur Pontifex, atque in tanti muneris conſultatione ferueret opus, ac Electorum animi; ſingulari quadam modeſtia, receſsuque id maximè cauit, ne prenſare quempiam, aut eblandiri ſuffragia videretur. Abſtinere proinde verborum illecebris, conſalutationibus, vltrò, citròque officijs; latere, ſecum verſari, quid rei extra velum agerent, prorsùs ignorare: planè vt dici iure poſſit, diuinam illam ſupremæ Dignitatis lucem, vmbram fuiſse, quæ fugientem inſequeretur. Vbi verò admotus tanta cum Auguſtorum Patrum approbatione Chriſtianæ rei fuit, visa in eo lætitiæ locum occupaſſe quædam triſtitiæ propior oris grauitas, quæ, quantum conſiliorum verſaret pectus, indicabat. Cernere in ea plena curarum fronte magnæ cuiusdam, ac publicæ fortunæ rudimenta erat: vt quisque à vultu intelligeret, moliri in communem ſtatim felicitatem magna. Hinc ſimul procumbere ad beatiſſimos pedes Roma, ſimul ingenti quadam ſpe erigi. Romanis ipſis Collibus nihil grandius, quàm Chiſijs Montibus aſsurgere: Tyberi nihil iucundius, quam aureis Regnatricis Domus Quercubus allabi, allambere. Quid ni effuſus in gratulationem Chriſtianus Orbis illum adorauerit, quem Cælo delapſum, affixumque præclaro Stemmati Sydus, longè ante adorandum indicauit? Appellari Alexander voluit, vt rediret Orbi Alexander ille Tertius Senenſis, inſigni virtute, ac ſanctimonia Pontifex, in Alexandro Septimo, Ciue ſuo rediuiuus. Quæ Senarum fœcunditas, duos enixa Alexandros! Quantum Vrbi illi Vrbs Roma de-

bet, quam geminum accepiſse ab ea Pontificem; magnum eſt: maius, accepiſse Alexandros, quos ſi Macedoni compares; ille quidem magnus fuerit, hi Maximi. Vide hic porrò, quibus auſpiciјs, qua mente, faſtu ne, an incomparabili moderatione ſuum inierit Principatum. Enimuerò perindè ac ſi, non ad Cæli, terrarumque Imperium, ſed ad vitæ exitum perueniſset, ac curandum ſibi eſset funus, non munus; id extemplo iuſſit, vt plumbeam ſibi condendo cineri vrnam adlaborarent, ſuumque ob oculos loculum ponerent. O nunquam intermoriturum optimi, ſapientiſſimique Pontificis documentum. Auſpicatiſſimè fore, vt capeſſeret Principatum, putauit, ſi illum à tumulo auſpicaretur: ac nihil ea forè ſplendidius chlamyde, quam emortualis ſordidaret cinis. Scilicet, viuere à cunis incipimus: bene viuere à tumulo; ſapienter verò populos regere, nusquam melius diſcimus, quàm in ſepulcro. Mors ipsa ceu suo hic in Lycèo edocet regnandi artes; legesque imperij in eo puluere, aut ſepulcrali in ſaxo altè inſcribit: sua ſcilicet per ſilentia, vt Dominantium ſpiritus frangat, ac mentem formet, hoc præſertim intonat: Ad iſtiusmodi rerum apices, vt aſcēſus difficiles, ita faciles quodam Principum fato deſcenſus, moraſque in ijs perbreues. Nil citiùs, quàm ab honorum culmine deturbari mortalia, ac fluxa. Quò sol altiùs conſcenderit, cò breuiorem facere vitæ vmbram. Conticeſcere confeſtim plauſus: intercipi momentò, quicquid eſt ſplendoris, ac faſtus: nihil in ſolio ſolidi: nihil in magna fortuna non fortunæ obnoxium: vitreum eſse, quicquid rerum humanarum nitet; ac breui frangi, quod eſt vitreum. Debere propterea precarij ſpiritus, ac ſceptri Principem metiri ſua vota; fręna æquè ſibi, ac alijs inijcere; prodeſse potiùs, quam præeſse; Patrem eſse, non Dominum: ac tandem ſcire, quiſquis regnat, vt moriturus; mori deinde, vt regnaturum Cælo, non terris. Itaque ab hoc Alexandri tumulo renaſcentem Orbis felicitatem, ſanſtitatem, annonam, pacem, ac priſco excultum auro ſeculum prædiuinamus: idque prolixiùs precamur, vt quam curauit citò vrnam, ſerò vta-

vtatur; atque interim Principis ſui moribus Romana Aula viuat, ille ſuis. Tu, ſi Romam, vti mones, quàm primùm veneris, communis & ipſe letitiæ primitias libabis. Interim verſiculos accipe ab vrna ea plumbea non aureos, à plũbeo ingenio verè plumbeos: ſed tamen lege, & Vale. Romæ VI. Id. Apr. MDCLV.

De plumbeo Alexandri Pontif. VII. tumulo:

GAudet, Alexander, dum Roma ſuperbior, Orbis
Aurea fræna tuam corripuiſſe manum:
Vltima tu rerum, tu ſceptra precaria, vitæ
Lubrica tu pendis tempora mente graui.
Supremum curas hinc præcoce funere funus:
Proludit Cineri plumbea & Vrna tuo.
Magne, diù viues: longos hinc auguror annos,
Auguror hinc Romæ gaudia longa tuæ.
Inieciſſe moram fuit hoc à pondere morti,
Et veniet lento plumbea Parca gradu.

Ambroſio Gallicano S.D.

EPITVOLR. LXVI.

MEnses ſunt omninò quatuor, cùm nullæ à te mihi literæ. Tandiù carere hoc ſcriptionis tuæ ſolatio, moleſtum quidem mihi: illud moleſtius, metus nempè, ne te aliquis diſtineret morbus: adeò vt ab vi animi quodam affectu inciperem ipſe ægrotare, tua, videlicet, quàm ſuspicabar, valetudine afflatus. Sed adfuit in tempore epiſtola tua, quæ timorem omnem, conceptamque animo ægritudinem momentò abſterſit. Agnoui non ſine feſtiuo quodam ſenſu, tum maximè ſollicitus de te eſsem, euocatum à Principe N. non modo valere te, ſed perhonorificè haberi, moranque in ſinu ipſo magnificentiæ: De te dolebam, te non modò incolumi, ſed florente: pulchrè: delicatior nempè res eſt amor: vt langueat, ſufficit alterius non infortunium, ſed infortunij opinio; atque ipſa morbi ſuſpicio, ac vmbra morbum facit. Itaque & te ſanum, & me vmbratili tuo malo immunem, valdè gratulor. Laudas porrò in eo Principe humanitatem, atque egregias animi partes: laudas splendidum, atque intra modum diuitiarum vſum, lautam in menſis frugalitatem, domus cultum, ac principum more ſuppellectilem. ſeruorum quà munditiam, quà vrbanitatem: planè vt nescias, an è Summatum cēſu aliquis magnam fortunam magnificentiùs, ac ſapientiùs ſuſtentet, Quod ipſe haud magnoperè probo, ea eſt filiorum educatio. Ais nanque, in eo totum eſſe egregium, Patrem, vt lectiſſimę indolis, ac formæ adoleſcentuli armis, ac equis aſsueſcant: in morum laude, in literis, atque in reliquo animi cultu tralatitium quoddam ſtudium, ac operam ab ijs poni. Quid igitur? hæc ſolummodò præclara nobilium disciplina, armorum lusus, ac vſus? hoc ad omnem virtutem conformari mores, naturam ſcilicet aſſidua quadam palæſtra efferare; ac lacertos erudire, qua potiſſimùm arte vitaliorem hominū

partem ferro petant ? Equos deinde regere, eorumque temperare facili manu frenos; huc illuc nutu flectere; in curſum effundere, ſiſtere, animare in ſaltus, eſt in eo flore ætatis laudabile quidem ſtudium, atque equeſtri iuuentuti conſentaneum iuxta, ac pernéceſſarium. ſed ſciuerint, ſuos eſſe mortalibus equos, quos frænent; appetitus nempè plerumque refractarios, recuſantes lora, ingenio præferoces, morſu, calcibus rationi infeſtiſſimos: hos parere fræno, hos dura coerceri manu, ſi eſſe, ſi audire probi volumus, neceſſe eſt. Id quod niſi à puero diſciplina, ac diligenti potiſſimùm educatione aſſequi minùs poſſumus. Multa planè ſunt, quæ naturæ ipſi emolliendæ, atque indipiſcendæ virtuti opportuna videri poſſunt. Parentes boni neſcio quid fœtibus in ſpem egregij moris inurunt, ac ſcintillas in ijs abſcondunt, erupturas in quandam honeſtæ vitæ laudem, ſplendoremque gloriæ. Aſtra ſua inſerunt ſemina, quæ auream morum ſegetem pollicentur: mentiuntur nempè ſydera, ſi in mortalium libertatem vim ſibi, ac faſces arrogent: cęterùm, in eorum propenſionibus nunquam fallunt. Ipſa deinde idonea corporum temperies animos ad virtutum, rerumque pulcherrimarum ſatus mirè præparat: planè vt nihil non concipiat boni, ac pulchri mens hominum, nacta præclarum corporis habitum, ac concinnè ſubſtructum ſui domicilium. Ad extremum naturæ indoles, ſi facilis, ſi cerea, nimium quantum eruditionis, ac pietatis in herba, ac flore ipſo adpromittat: Hæc Minerua illa, qua inuita, nihil auſpicatò inchoaueris, nihil inculpatè perfeceris. At enimuerò, cùm rudimenta quædam diſciplinæ, ac morum hæc ſint; tùm illud fingendæ ad omnem laudem adoleſcentiæ, teneroque pectori informando actuoſius; nempè accurata educatio, atque inſtitutio, cuius ea vis, vt naturam ipſam, qua nihil robuſtius, ac valentius, niſi conuellat, exſcindatque, ſaltem frangat, atque ad quaſdam officij leges reuocet. Id quod vel in ipſis belluarum ferociſſimis non rarò accidit; quarum ingenium, quòd acceſſerit maturè, atque ab vnguiculis educatio, poſuere ſuas minas, & quicquid efferati ſpiritus naturæ

t ura ingeneraucrat. Vidit priſca ætas ad currum leones, ac pati fræna. Quid hoc? niſi quidam educationis triumphus, quæ iubatas horridè belluas ita vicerat, ac vinxerat, vt ad ſui pompam duceret in Capitolium? Planè, cùm Neronis adoleſcentiæ adeſset Seneca, agnouit is in Principe leonem, vt affirmauerit non ſemel, Lybicam ſe feram alere: attamen ita ingenium domuit educatio, vt pro monſtro fuerit, totum Imperij quinquennium leonem exuiſse leonis impetus; ac nihil extitiſse Neronis in Nerone. Miteſcit nempè à cultu ferox indoles: quid bona? floreſcit profectò, expolitur, ad honeſtiſſima quæque ſtudia erigitur; disciplina, ac maturitate quadam in ipsa penè conſeneſcit infantia. Plato, cui per ardua iter, qui de Rep. de animorum præſtantia, de Cælo, de mundo, de Deo ſapientiſſimè lucubrauit, eò etiam mentem, ac ſtylum demiſit, vt librum de liberorum educatione adornauerit. Viderat vir ille ſummus quantùm momenti in eo eſset, ſi balbutire virtutem infantes cœperint; ſi cum lacte mores cōbiberēt, ſi obuerſarentur oculis, ac animo præclaræ ſtatim rerum ſpecies; ſi creſcentem genium ad recti, honeſtique laudem erudirent, ſi citò ſaperent. Enimuerò eniti quempiam poſse, graſsarique ad magna, niſi facem præluxerit educatio, nemo vnquam ſapientum ſibi facilè perſuaſerit. Cyrū habes apud Xenophontem, virtute quà priuata, quà publica laudatiſſimum; vtrique fortunæ parem, pacatæ, ac turbidæ; pace, belloque clarum: at in eo totus eſt diſertiſſimus Scriptor, vt oſtendat, emerita Viri decora tyrocinio, educatæque egregiè pueritiæ deberi, atque adulto, ac trabeato iam Cyro proluſiſse paruulum, ac bullatum Cyrum, præclara nimirū inſtitutione, à cuius manu, ac lineamentis id habuit, vt eſset poſtea exemplar Principum. Spartanam in bellis fortitudinem, ac maiora vitæ incommodis, ac fato ipſo pectora, non eſt, cur magnopere miremur, quando non cunis, ſed clypeo excipi Spartanorum infantes legimus; creſcētes durari gelu, exerceri fame, per flagra adoleſcere, nulla non vorare aſpera ſolitos. Age, educata tot rigoribus puerorum indoles, delicatulos dederit viros, an robuſtiſſimos, an adamantinos, an

an Spartanos ? Qui per clypeos prorepſiſſe puer, quæ non tela deinde eiibrauerit, quæ non exceperit ? niſi ad gelu excubaſſent infantes nudi, an acerrimas ſubindè hyemes toleraſſet adulta iam virtus ? an marcebit vnquam in roſis, quem disciplina à cunis indurnit ? Quid hic porrò Baleares fundas memoro, quibus nihil in hoſtium cladem certius ? Nempè, hoc pueris primùm, fundis aſſueſcere: ita vt ne panem quidem indulgerent matres, niſi quem ipſi fregerint, ac comparauerint funda. Vnum, idẽque ijs erat, erudiri, ac ali: qua disciplina in eo pugnandi genere expertiſſimi Baleares fuere. Arripi quippe ab infãtia neceſſe eſt, quicquid reliquæ ætati præſidio, ac laudi fuerit. Iam verò; quando non equeſtres modò artes exercendæ à nobilibus viris ſunt; ſed illę præſertim, quibus ingenia expoliant, animorum motus regant, ſibi præſint, magiſtratus gerant, populos procurent, adminiſtrent iura; mortalibus, afflictisque eorum rebus adſint, pietatem, ſacra, Deum venerentur; id ego in primis optaſſem, vt his maximè ſtudijs prænobilis ea optimi Principis ſoboles imbueretur. Pulchrè ſaltent, haſtis ludant peregrégiè, generosas equorum ſtirpes, auitam eorum indolem, pretium nouerint, quid hoc ad sapientiæ rudimenta, ad prudentiæ numeros, ad morum cultum, ad promiſſorum fidem, ad publica Reip. commoda. ſed me prouectum longiùs, timor reuocat, ne te epiſtolæ lõgioris pigeat. Illud addo; perueniſſe tandem ad meas manus Martem Gallicum. Eruditum, politumque opus: ingenium, ac ſtylum acuit causa: ſed vtinam ſtomachum exuerent iſtiuſmodi palæſtritæ in ſcribendo; fortè quantum acrimonię detraherent ſcriptioni, tantundem adderent argumentis ponderis. Tu interim, ſi quid eruditi laboris cuderis, mitte, & vale. Romæ. MDCLV. Id. ſext.

Filip-

Philippo Mariæ Scalæ S.D.

EPISTOLA LXVII.

EXpectata diù, Romam tandem appulit Chriſtina Alexandra, inclyta Suetiæ Regina, nobile Romanæ religionis incrementum; ac temperare calamo minimè potui, Philippe Maria ornatiſſime, quin auſpicatiſſimum hunc tibi aduentum paucis explicarē. Res ea eſt ex ſe quidem memoratu digna; eritque præterea voluptati non ſanè mediocri, noſse, quibus lætitiæ imitamentis; qua ſummi Patris charitate, ac munificentia; quâ ordinum gratulatione; quibus populorum acclamationibus; quo cultu, quo ritu excepta tanta Heroina in Vrbem fuerit. Planè, quæ collactaneam fortunæ indulgentiam, à cunis ſceptra, Regna, regnandique cupidinem: tùm natalis ſoli genium, gentium obſequium, aulæ faſtum, & quod caput eſt, auitam ſuperſtitionem, ſeque ipsam tanto cum robore, ac vi magnanimi pectoris vicit, debuit inuolare Romam, vt merito in Capitolio triumpharet. Romanæ autem huiuſce aulæ in peregrina Principe excipienda ſtudium, atque affectus antequam narro; pretium fortasse erit eius tibi oris ſpeciem, ac lineamenta pro modo repræſentare, vt vel absens, penè de vultu agnoſcas, quæ non vno ſceptro magna; ſed horum contemptu maxima, transcribi in Romanum cenſum voluit. Et verò, ipse ſtatim aſpectus regiam indicat, hauſtamque à Guſtano Patre indolem. Vultus viro, quàm fœminæ propior: cui quædam immixta gratiæ maieſtas. Frons, neſcias, latior, an lætior, ingenuę, magnæque animæ index. In oculis vigor quidam ardet, ac vibrat, non ſine laude modeſtiæ; incubatque inflexum decorè ſupercilium. Color ex albo ſubſuſcus; ſed quem venuſtas ornat, & ſua purpura. Nigrum illi capillamentum; non pendulum, fluxumque; neque anxiè procuratum; ſed indiligenter excultum; acceſſitque à puluere Cyprio, affatim inſperſo, intempeſtiua quædam ca-

canicies. Status corporis non adeò minor fœmina, vti fama attulerat; sed paulò infra mediocrem. In voce nihil muliebre: plena, grauis; ſuumque ineſt, vt verbis, ita & ſono pondus. In ſui cultu frugaliſſima: nihil quæſiti operis in veſtibus, vt pulchriùs ſe ipſa niteat: ſiue vt externo, virilique habitu ſpiritum ſibi contigiſse ſupra ſexum, oſtendat. Enimuerò ſi reliquas corporis, atque animi partes excurres; dices in ea efformanda naturam bellè quodammodò luſiſse, ac dediſse Orbi Reginam, vultu tenus fœmina; cæterà, eximia virum indole. Eius ſtudia in Suecia quidem non calamiſtri, ac ſpecula, formæ expoliendæ: non inter lucubrantes ancillas acu pingere: ſed equos huc illuc flectere, nutuque regere: ſiluas, cum maximè hyemaſceret Cælum, petere; apros, ceruos inſectari, ac telo figere. Nunc verò illud maximè ad cor, Otia literarum. Ingenium nanque in *Lycèo*, ac Porticu apprimè erudijt: ſerijs, amœniſque partitur ſe ſe ex æquo ſtudijs: hiſtoriarum monumenta, quà profana, quà ſacra ſolita perquàm auidè vorare. Poetas non modò ad delicias legere in more habet; ſed eorum etiam elegantiam, ac ſtylum accuratè expendit; mandatque memoriæ carmina, ſi quæ dictionis cultu mores etiam ornent. Linguis potiſſimùm inſtructa; ac velut vna non ſufficeret magnæ mentis interpres lingua, Italicam, Hiſpanicã, Gallicam, Belgicam, Latinam, Græcam callet; vt multilingue illam monſtrum rectè appellaueris. Ad hæc, regnandi artes, quæ difficillimæ, & nonniſi cum ſenio, ac ſerò veniũt; viſę illi in ipſo æui flore maturuiſse, vt dici publicis regnorũ curis par, aut maior poſſit. Ineſt ferax conſiliorũ mens; ſolertia imbutũ mirè pectus; populis, magiſtratibus, Principum Legatis vis quædam acerrimi iudicij æquè admirationi erat, cum regnaret. Ardens præterea illi indoles, ac militaris rei ſciens, vt intelligerent Duces, eſſe ſuam Semiramidem, ac Tomirim Gothis: eaque erat omnium ſententia, fore, vt ſi bellum inſtaret, ipſamet ſagum induta, armorum momenta in caſtris, in acie adminiſtraret. Mitto reliquum virtutum ſatellitium: ſpretas ab caſtimoniæ ſtudio nuptias, co-

ni-

nitatem, modeſtiam, æquitatem, ac penè ſupra regnorum cenſus liberalitatem. Deerat huic primarum ſanè partium Heroinæ diuina ea lux, à qua per vmbram affulget mortalium animis veritas. At quæ Pharos Lutherianas, ac ſeculares eas tenebras diſpulerit? quis in ea vnquam regna, æterna caligine conſepulta, Euangelij meridiem importauerit? Clatrata non tam ſuo gelu, ac niue Regio, quàm obſtinata pectorum contumacia: orthodoxam fidem muſſare, capitaliſſimum: Aulæ aditus, Reginæ aures tentari qua tandem via poterant? ſed vicit illa, quæ vincit mundum, fides noſtra. Sacra ipſa volumina, monumenta Patrum, Pontificum Conſulta aſſidua dum verſat manu Chriſtina, amoto ſipario, admiſſaque luce quadam, addubitare de Lutherianis nugis cœpit: hinc momenta rerum ſeriò expendere; reuocare ad lancem Magiſtri verba, in quæ iurauerat; ad veterē, noſtramque religionem, nobis ſucceſſionis iure, ac veluti per manus traditam, per vulnera, ac vbera Martyrum educatam; tot Cæſarum, ac tenebrionum machinis fruſtra petitam; tot ſeculorum conſenſu obſignatam; ſcriptis diſertiſſimorum, ac ſanctiſſimorum hominum voluminibus propugnatam, animum, curaſque appellere: Romana ſacra, Romanos ritus probare: animorum fœdus, morum innocentiā inter Catholicos dilaudare: vnam tot inter capita de religione ſententiam: mirabilem myſteriorum inter ſe ſe concentum: Catholicæ Eccleſiæ maieſtatem, ordinem, ſplendorem ſummoperè mirari. Itaque obortus auguſtæ menti lucifer; ac teterrimam Lutheri noctem profligauit Regia Virgo, deditque veræ fidei manus, ac nomen. Accerſiti confeſtim ſapientes viri, qui altius inſtruerent, ducerentque in diuinorum adyta initiatam Chriſti ſapientia Chriſtinam. Monitus optimus Pontifex Alexander, gratulatus effuſè eſt, fortunari ſplendidè rudimenta ſui Principatus inclytæ Reginæ transfugio; atque afferri ad Apoſtolicos pedes, non priuatas opes; ſed ipſa Regum paludamenta, ac ſceptra. Ad liquidiſſimam hanc porrò fidei lucem viſus regius ipſe fulgor inumbrari, ac minui, vt illum facilè contempſerit genero-

ſiſſima Reginarũ. Indicto ſiquidem Principũ Conuentu; ſuſpenſis ad rei nouitatem populis; exuta purpura, & quicquid bracteatæ felicitatis mortales ludit; ſolenni ritu abdicauit. Quid immortali hoc opere illuſtrius? Dignum profectò adamante, ac auro, ibitq; in æuũ, atque ipſa excipiet ſinu æternitas, plaudentibus ad egregiæ mentis conſilium poſterorũ certatim linguis, ac literis. Iam verò, collocari bono in lumine, atque in ipſa luce Quiritiũ illuſtre exemplum debuit. Non viarum aſpera, non ardua montium, non ſumma ipſa hyems abſterrere auguſtã Principem potuere, quominùs Romam iter intenderet. Neque mora: allegati Romana ab Aula Nuntij, quà genere, quà morum laude ſpectatiſſimi, qui in ipſo Eccleſiaſticæ Ditionis aditu illam Pontificis nomine ritè conſalutarunt; omnique officiorum genere per reliquum deinde iter regio lateri hæſere. Ardere interim Romanorum ſtudia; ac flagrare ſummi, infimi deſiderio videndæ Principis; quæ tanta animi magnitudine, ardoreque religionis tãtam ſui expectationem, admirationemque concitauerat. Non tam votis, quàm votorũ quadam impatientia vrgere plerique omnes aduentum: nihil in foris, nihil in compitis frequentius, quam de Sueciæ Regina ſermo. Celebrari paſſim maris animi partes, religio, eruditio, eloquentia. Ipſe in primis Maximus Pontifex perſæpe ad Auguſtos Patres de ea agere: hoſpitij rationem, modũ, cultum agitare. Duos è Purpuratorum cenſu primæ notæ, ac nominis Principes, vt venienti occurrerent, Legatos dixit; Mediceum nempè, & Lantgrauium Heſſium; qui quidem ea, quæ & Reginam, & ipſos deceret, magnificentia, lectiſſimo Antiſtitum, ac procerum comitatu, ſplendidiſſimo, quà numero, quà pompa famulatu obuiam ad ſextum ab Vrbe lapidem prodiere; ac teſtati Pontificis, & communia omnium vota, Romam deduxere. Prior hic ſub primas faces ingreſsus nihil tùm habuit publicæ celebritatis, ac lucis, vt ſatiari vulgi aſpectus nequiuerit. Rectà itum ad eam Vaticani partem, quæ Pontificis hortos reſpicit. Conclauia hic peregrinæ artis ſtragulis, veliſque acu pictis,

argenteaque ſuppellectili regium planè in modum inſtructa. Sed viſa vix Regina interſpirare, cùm ſuus illam ardor, ac impetus rapuit ad Pontificem; detulitque confeſtim perquã demiſsè publico gentium omnium Parenti obſequium. Conuolaſse, inquit, ſe in Romanæ Eccleſiæ ſinum, vbi matrem agnouiſset. Quòd tandiù aberrauerit, auitæ caligini tribuendum: affulgente Cynoſura, obuertiſse illicò proram in tranquilliſſimum hunc portum, vbi nil fluctuat. Nunc ſe viuere, cum duceret Romani eius Cæli, ac religionis puriſſimos hauſtus. Nunc ſe Reginam, nunc Dominam, abiecto licet paludamento: nunquam ſublimius conſcendiſse ſoliũ, quàm cùm ad Pontificis pedes ſe ſe demitteret: hoc regium: hoc eſse, æqualem ſe aſtris incedere. Ad hæc egregiæ virtutis, ac pietatis argumenta, manante vbertim lachryma, teſtatus intimè lætitiam Pontifex: Videri iam ſibi, ait, in vna Gothorum Regina illatas tot olim Italiæ, ac Romæ à Gothis clades abundè inſtaurari. Sciret, præclarè ſecum actum, quòd ſceptra, ac regna cum orthodoxa fide commutauerit. Nihil Deo pretioſius, quam ſpretam chlamydem: aliam interim adlaborari Cælo, à multo ſydere, atque à quadam luce diuinitatis longè ſplendidiorem: eam quippè rectam religionem eſse, quæ coronas conduplicet, ac non tam gemmis illuminet, quàm aſtris. Sermo deindè vltrò, citròque habitus: ac prouecta iam nocte, diuelli à Pontifice Regina vix potuit. Iam poſt priuata iſthæc officia admittenda in Vrbem de more, inſtitutoque maiorum celebriore pompa cùm eſset, Diui Petri templum, quò deducenda primùm erat, ad omnem magnificentiam ſupra, infraque inſtructum. Ipſum Baſilicæ veſtibulum Belgarum vigilijs ſuperbiſſimè conueſtitum, quid intus ſumptuoſi operis, atque Attalici Syrmatis parietes exornaret, commonſtrabat. Pendentia vbique texta auro vela, & quas artificum ingenia animauerant, tabulæ: inter has regia ſtemmata; tum ſymbola, emblemata, ac celebrandæ Principis virtuti, inſcriptæ eleganter literæ: planè vt nihil ambitioſius, ac pulchrius cerni Vaticano eo templo poſset: responditque reliqua paſſim Vrbs,

quà

quà transeundum erat, ædibus, foris, vijs, aulæis, ac feſta fronde excultis. Condicta die S.P.Q. R. Magnates, ac nobilium ordo; tum Præſules, ſacrique Senatus Patres extra Vrbem, deducendæ Reginæ, ſe contulere. Visa tunc Roma penè tota extra Romam: & ſi, confluentibus vndique exterarum gentium populis, Romæ eſse non vnam planè Romam, dixiſses. Portam, quam Flaminiam vocant, vnde affulgere regium hoc Sydus deberet, extructa magnificè eſt; datusque fauſto pijſſimæ, feliciſſimæque Reginæ ingressui hic honor: ac visum profectò, non tam portam, quàm arcũ illi excitatum, quæ de proſtrata ſuperſtione triumphum Romæ ageret. Diei lætitiam fœdum imbribus Cælum interturbaſse videri voluit: ſed perindè mox serenatum, vt inſeruire celebritati nubes viderentur: oppanso videlicet commodùm ad arcendum ſolem velo. Ergo ab ea, quam diximus, porta confertiſſimum æquè ac nobiliſſimum effudit ſe ſe agmen. Certare pompa, ac faſtu Principes: auro inſtrati equi, auro lucere famulatus. Lento gradu, ac suo quique ordine, inter fauſtas populorum admurmurationes, ac plauſus, vijſque gentium occursu, concursuque efferuescentibus, Romam intersecant. Præire Magiſtratus: ſequi proceres, Præſules, ac Pontificia ipsa Aula: quam Auguſti Patres bini, ac prisco more galerati excipiebant: claudebatque agmen media inter Purpuratos duos Regina, vulgari quidem habitu, atque ab itinere pileata. Vultum inſignis comitas exhilarabat; qua & itinerum apparatum, & ſpectantes à Menianis, ac feneſtris ex omni gradu viros, ac fœminas ſuo aspectu dignabatur, ac penè ad vnum omnes consalutabat. Vaticanam Baſilicam ineuntem, prænobilis Canonicorum Ordo excepit; ac poſtquam ſacra ea limina incomparabili pietate inter preces eſt venerata, luſtrauitque splendorem templi, & cultum, ſua ſe in conclauia recepit: adijtque mox Pontificem, apud quem Romanorum ſtudia, concursantium populorum celebritatem, officia Principum, aulę magnificentiam, ceremonias, ritus nimiùm, quantùm commendauerit. Sed pauca licet è multis dixerim, video

 ex-

exceſſiſse modum epiſtolarũ. Narratiuncula ea fuit, quæ contineri intra leges epiſtolæ minùs potuit. Præterquam quod compensare diuturnum ſilentiũ prolixiore ſtylo debui: quòd ſi tu pœnam ſcriptione tua, ſolito longiore ſumes, ſcias, nihil mihi contingere iucundius poſse. Vale. Romæ IX. kal. Ian, MDCLV.

Carolo Thomaſio Cler. Regul. S.D.

EPISTOLA LXVIII.

SI vales, bene eſt, mi Carole. Liceat ſic epiſtolã hãc auſpicari. Nã qui scio, pertenui te vti valetudine; id me ſollicitũ vehementer habet, ac valde metuo, ne dum in tanta viriũ imbecillitate, non religioſæ disciplinæ, non ſtudijs, non aſſiduæ ſcriptioni parcis, vim omnem corporis, & quicquid eſt ſucci, ac ſanguinis exhauriat labor. Eapropter id potiſſimùm audire abs te peruelim, an valeas? Intereſt hoc permagni, & communis pietatis, quam editis alijs, atque alijs Commentariolis, longè piiſſimis foues; & rei literariæ, quã eruditis, ac præclaris lucubrationibus tuis mirificè adauges. Planè, ſi vires tuas, ſi ſtudia expendo; videris profectò mihi ita valetudini obnoxius, vt nauare tàm ſedulam literis operam prorsùs nequeas: ita deinde vacare ſcriptioni, ac ſtudijs, perindè quaſi athleticè valeas. An ardor animi ignẽ afflat, ac vigorem corpori? an mentis illa alacritas fatiſcentes penè vires vegetat? an ſtudia ipsa inſitâ quadam voluptate, facultates dum atterunt, recreant; dum minuunt, inſtaurant; dum decerpunt, reparant? Scilicet, ardua quæque vorat voluptas, ac nihil ſanè laborioſum, ea comite. Contra, id difficillimum; id robur omne momentò abſumit, neruoſque ſuccidit, ac defatigat, quod deſtituit oblectatio; qua tu, vt fauſtè incipis, ita ſtrenuè proſequeris, ac perficis non exigua planè mole volumina. Arbor vberrima ſacræ

doc-

doctrinæ, quę iam diu ſub prælo eſt, ſpiſſum, & ſerium opus, lucem, vt audio, propè diem aſpiciet. Agnoſcet, atque intimè gratulabitur ingeniorum ille, ac Theologiæ Princeps, Thomas Aquinas, extare in tuo fundo ſuam arborem, tot à te excultam vigilijs; deſudatam, irrigatamque non vno Euripo tuæ frontis; onuſtam tam bellè frondibus, fructibus vberem. Mendax profectò illud in Heſperidum hortis aureum: tua hæc Arbor citra fabulam, aurifera; à qua nunquam non aurea exciderit doctrinarum autumnitas. Neſcio quonam impetu, aut afflatu Muſæ incaluit heri ingenium, fuditque in pulcherrimæ tuæ Arboris laudem extemporaneum carmē Phaleucium. Mitto: facies tu illi lucem, ac pretium, ſi aureo incidas trunco, cui videris deſtinaſſe. Interim cum epiſtola ad Comnenæ Gentis auguſtum, ac florentiſſimum olim ſtipitem epigramma hic habes. Excuditur Venetijs, vt audio, ſplendidè illa Heroum ſeries: rogatus ipſe, vt pangerem, ſic cecini rerum humanarum vices.

ARdua quæ ſurgit centeno Cæſare ad aſtra,
Atque triumphali fronde virere vides;
Comnena eſt Arbor, fœcunda nepotibus olim;
Subdita quam coluit Thracia Roma diu.
Pro ramis ſtant ſceptra Atauum radiantia: trunco
Pro viridi virtus eſt generoſa Ducum.
Pullulat in palmas, lauroſque: hinc Hebrus, Araxes,
Hinc Tanais pleno gurgite ſtemma rigant.
Fama inter frondes, plauſuſque immurmurat Orbis,
Sculptaque ſtant grandi in ſtipite facta Virûm.
Sed decora hæc olim Gentis: nunc ſplendor auitus,
Et trabeæ, & tantis ſceptra abiere Domus.
Rerum diſce vagam ſortem: quæ Regibus Arbor
Floruit, heu, viſa eſt Arbor, at vmbra fuit.

Vale. Neapoli VII. Id. Nouemb. MDCLV.

Fran-

Franciſco Barilio Cl.Reg. S. D.

EPISTOLA LXIX.

QVid hoc anno Ciuitas iſta Neapolitana inſtaurandæ, honeſtandæque Sanctiſſimi Parentis noſtri Caietani Thienæi memoriæ, repetita de more pietatis magnificentia, cōmuniq; lætitia, peregerit, ſignificaſti tu ſtatim mihi, Frãciſce religioſiſſime; ſed ea breuitate, quã poſceret epiſtola: planè vt leonis vnguem vix expreſseris, ac particulam tantæ molis. Guttam tuam ſupples nunc alieno flumine, miſsa integra ſolenniorum narratione, quam neſcio quis ex noſtratibus, dicendi, ſcribendique non ſanè rudis, in lucem edidit. Percurri illicò, ac veluti in tabula oſtendit ſeſe mihi theatrum iſthuc Neapolitanum: ſed qua facie, Deus bone! qua rerum admirabilitate, quo syrmatum luxu, quo luminum conferciſſimorum per ædium, turriumque faſtigia, per vias, per compita, per omnes vrbis angulos coronamēto. *P*enè abrogaui ſcriptioni fidem, dum legerem: nihil quippè non ſuperbiſsimum aduerti, ac ſupra communem modum, ac ſumptum. Vidi inſtructam ſplendidiſſimè, ac mutatam prorsùs Neapolim, Ciues, aduenas ſtupore incredibili ſuspendiſse; ac tot licet vbique lychnis collucentibus, hallucinatos omnium oculos: quando pro domibus templa cernerent; pro officinis aras; pro foris ſacraria. Nullus ſine ſcena ſua locus: nulla non triumphalis via à suspenſis mirè arcubus; nullam non aream columnationes, porticus, ſimulacra, & congeminatus à facibus in ipso noctis ſinu dies commendabant. Quid compactiles vbique moles, ſi opes, cultum, elegantiam ſpectes, perquam ſimiles? ſi ab ingenio ideas, formas, ac varia operum ſchemata, omninò diſſimiles? Auri, argentique vi, ac ſtragulorum pompa certare ſecum ipsæ videbantur; cùm interim eò altitudinis aſſurgerent, vt certarent Cælo. In ijs miratus ego vehementer expreſsum tot modis, nunquam ſine artis argutijs Thienæū.

Itum

ſtum per omnes vitæ actus. Hic primum iuuentæ florem Xenodochia deuenuſtabant: hic Aulam terere, atque ornare moribus: hic Infulas, opesque abijcere, contentus paupertie, & Chriſto. Viſus denuò in Romana clade cuſtodiæ mancipatus, canere, penè sui funeris cycnus: viſus ſerena fronte tranquillare iterum maria: viſus diuinorum commentatione, ac vi abreptus, intereſse Cælo, & frui. Quid plura? implebat omnigena eius virtus theatra, quibus ab artificum ingenio ſuperbia, & cultus; à Thienæo ſanctitas accedebat. Legi præterea, ac penè oculis, ac auribus vſurpaui populorum concurſus, religionem, acclamationes, plauſus: efferueſcere æſtu quodam, ac pelagi in morem, vias: ſummos,infimos;viros,mulieres ire redire,vrgeri, premi inuicem. Viſa profectò ampliſſima Ciuitas, ſuis conuulsa ſedibus, ferri per ſuamet compita, & fora inambulare, lætitijs, triumphiſque ſuis immixta. Audiri hæc ſine geſtientis, ebullientiſque pectoris ſenſu nequeunt; quid intereſse, intueri, atque ad communes plauſus plaudere? At enim rudimentum aliquod tam ſplendidæ pietatis vidimus nos etiam Romæ. Nam facti hoc anno ex omni mortalium genere concurſus, quos neque ampliſſimum D. Andreæ tẽplum caperet, neque exæquaret facilè ſtylus. Adfuit ſolenni ſacro Chriſtina, inclyta Suetiæ Regina, & quæ eſt regia eius indoles, Baſilicæ cultum, populorum frequentiam, concentum vocum apprimè commendauit. Neque intra ædis ſacræ parietes hæc ſe se religio continuit: viſa nanque in viciniam exundasse, excitatis magnificè aris, accenſis ad feneſtram lychnis, erectaque ignea mole, quæ, intendentibus ſe ſe tenebris, miſsili flamma, feſtiſque terroribus detonuit, fulgurauit, luſitque inter adſtantes populos lætis ignibus. Audio, iſtiusmodi item lætitiæ imitamentis efferbuisse Galliam Cisalpinam, Siciliam, ac reliquum Regnum Neapolitanum: planè vt videantur concentu quodã animorum Italiæ vrbes omnes in Caietani gloriam conſpiraſse: neque immeritò; acceptis affatim beneficijs, quæ Vir ſanctus paſſim imploratus, depluit munifica in omnes manu:

vrget-

vrgetque tantum pietatis ſplendorem, ac publica iſthæc argumenta gratiarum animi gratitudo. Reliquum eſt, vt cum communi hoc gentium plauſu gliſcat priuatus in ipſum religionis ardor: id quod vt tu mihi precibus tuis impetres, prolixiùs rogo. Vale. Romæ Prid. kal. Sept. MDCLV.

Laurentio Comiti S. D.

EPISTOLA LXX.

A Tua beneuolentia auſpicari annum renaſcentem, ſatis profectò felix, fauſtumque. Quod verò & calamo teſtatum voluiſti adfectum tuum; quid vnquam acciderit mihi ſplendidius, ac magnificentius? Quippe vt ſtylo es aureus, ac totus gemmeus, ita & pretium sanè non exiguum annis facis, cum illos tui amiciſſimo bene precaris: iamque fluxu diuite occæpere mihi dies decurtere pretioſiores, ac ferrea alioqui tempora euaſere in aurea à tuis literis. Porrò quòd nulla temporis diuturnitate voluntas in me tua elanguit, maximopere mihi gratulor. Nimirum quidem inde amori tuo debere me ſentio: &, ſi indolem, ingeniũ, famã tuam ſpectem, in incrementum quoque exiſtimationis meæ computo. Compertũ autem tibi velim, pari te beneuolentia cõpenſari; & quem mihi pulcherrimæ ſcriptionis elegantia incipientis anni diẽ, annumque ipſum fortunaſti, eundem tibi viciſſim diſpari quidem dictione, ſed affectu non impari, auſpicatiſſimũ opto, & voueo. Me officij mei partes Romæ tenent: illuſtre ſanè domiciliũ, ſed tui ſimilium, qui inter iſthæc theatra, & Capitolia quàm magnificè ingenio triumphares! Iam, priſcã illam Romam, quæ terrarũ, ſuique Orbis triumphos ſuperbè dedignata, ſeptimgemino monte Gygantum more certabat Cælo: Romam, inquam, illam Romæ nuſquam inuenies: ſed diſſipatis per omnes angulos

ve-

vetuſtatis ruderibus videre eſt oſsa magnæ Matris, atque inter exeſa marmora vmbram magni nominis. Maximum tamen ad virtutem incitamentum hæc priſcæ magnitudinis, atque excellentium hominum vel inter ruinas virens, ac ſuperſtes recordatio. Nullum fermè hic ſaxum ſine nomine; nullum ſine documento marmor: loquuntur, erudiunt, dum vetuſtate laborant ſua. Exulcerauit me poſtremò accerrimi doloris ſenſus, exarſitque vehementer commiſeratio, cùm legi, intra iuuentam acerbiſſimo elatum funere Henricum noſtrum. Inerat illi quidem præter oris venuſtatem, ac florem, ingenium ad omnia factum, atque animus literarum præſidijs, ac elegantijs ad inuidiam excultus. Quid? an adeò inepti, ſtupidique ingenij mortem putas, vt deteriora deligat ſemper, aut diligat? Fallimur, mi Laurenti: in optimum quemque ſæpiſſimè collimat, ac inſilit: ingentes ſpes, floremque ingeniorum demetit, vultus decolorat venuſtiores. Funus hocce comploratione mea, ac ſtylo vt celebrem, petis. Scis, me iam diù ab Helicone longiùs peregrinari: curabo nihilominus, vt breui epigrammate fluat eliquatus in lachrymas mœror: ſi incompta prodierit Muſa, dolori tribues, ac funeri. Vale.

Romæ V. Non. Mart.

MDCLVI.

Alberto à Ruuere S. D.

EPISTOLA LXXI.

Tandem, mi Alberte; in apertum erupit, quæ ſurdo, vt aiunt, pede aduentaſse Neapolim, ac ſpargi ſenſim lues, dicebatur. Satis addubitatum, rixatumque. Medicorum hi quidem mordicùs affirmabant: hi verò muſsare, aut negare, ne grandi metu populos exanimarent. Magiſtratus, ceu tantam ipſi cladem auertere imperio, ac nutu ſuo poſsent, interminari, ac vetare, ne quis florentiſſimæ Ciuitati ſuæ malè ominaretur, ac perniciem, quam graſsari nollent, euulgaret. Ciuium, qui prudentiores, creſcente funerum numero, cauere citò, ac ſolum vertere. Sciſsum vulgus ſtudia in contraria: vt nihil eſset Neapoli frequentius, quàm eiuſmodi de populari lue inter populares certamina. Interim dũ disceptatur, dum conſulitur, Saguntum perit. Acquirere ſiquidem eundo vires, moraque gliſcere malum potuit: eòque mox euaſit truculentior, atque inſatiabilis bellua, vt cum nulla obſiſtere vis poſset, irrumperet, facto impetu, abſumeretque immani quadam ingluuie, ac faucibus longè fœdiſſimis turmatim populos. Piget enimuerò vel paucis hic referre, quid poſtremæ attulerint literæ. Fuerint dira olim peſtilentiæ trophæa violata naturæ iura, ac deſtituti à Patre filij, à filijs Pater: aliter nunc ſe ſe res habuit; cum neque deſtituere quemquam contingeret, neque deſtitui: eodem quippe temporis momentò immortuus Patri filius, filio Pater: neque enim ſingulis domibus ſinguli, ac lẽtè; ſed impetu integræ elatæ domus ſunt: vt corripuiſse familiam morbum, exhauſiſse confeſtim fuerit. Neapolis, populoſiſſima certè vrbs, nunquam viſa frequentior, quàm extinctis nunc tot mortalium millibus: etenim cum nec veſpillones, nec ſepulcra ſufficerent mortuis contumulandis; viſa infinita propemodum cadauerum multitudine oppleri, atque anguſtari fora, viæ, compita: cùm interim neque eiuſmodi in-

inquilinis vacarent domus: abſumptos nanque lue cùm nullus ad ſepulturam efferret; diù pro tumulis fuere ijs cõclauia, parentabantque mortuis mortui. Quo quidem adaugeri, atque intendi etiã, atque etiã teterrimũ malum oportebat. Corrumpi ſiquidem inſepulta ea corpora, atque adeò infici vehementiùs aerem cùm contingeret; congeminari profectò, ac noua addi peſtilitati peſtilitas videbatur. Pone nunc tibi ob oculos feralem hanc rerum faciem, ſpirantes paſſim ex omni cenſu mortales, aggeſta funeribus funera, vberrimam cadauerum ſegetem, mortuorum plauſtra, triũphum, ac faſtum mortis, ſqualorem vrbis, ac ſolitudinem; ſepulcralem, triſtemque vbique ſpeciem; Neapolim hanc dices, an Neapolis cadauer, partim conſepultum, partim inſepultum, cui næniam caneret ſua Siren? Iam verò, attracto, abactoque dirè capite, an putas, reliquum corpus incolume? inuolauit in Neapolitani Regni prouincias, graſsaturque iam lues: ac leuis quidem videri poteſt hic morti labor: poſtquam enim magna corpora ſtrauit leo, minutos pecudum greges non vngue, ſed aſpectu penè ipſo diſcerpſit. Quid ſi Romæ etiam trepidamus? ardet nempè propiùs malum, ac nunquam adeò vigiles excubiæ, aut clatrati aditus, quin eiuſmodi hoſtis cuſtodes fallat. Et verò, non ita ſurdè perſuaſit rumor, inuaſiſse iam nulla ſanctitatis, ac maieſtatis reuerentia popularem morbum ſacram Vrbem. Suſpenſis it quiſque veſtigijs, ac auribus, vt ſi crebreſcat fama, Cælum mutent, faceſſantque Roma, & quàm citò, & quàm longè. Interim conſilio, opera, ſumptu Magiſtratus cauet, vt in cunis iugulet, ſi fortè irruperit pernicies, aut aditu prohibeat, ne irrumpat. Planè, cùm opportuniſſima humana iſthæc adiumenta, curæque ſint; illud longè opportunius, Cæli præſidium. Diuorum tutelam imploramus; precibus interdiù, noctùque, ſuſceptis pro communi ſalute votis, litamus; & quod caput eſt, ceu diſtrictus iam enſis pendeat, ſitque in foribus lethum, nos morti comparamus, occupamuſque fati diem; vt corrupta mortalitate, quæ potior eſt noſtri pars, procul contagione, ac ſecura ſui, Cælum petat. Tu

verò, quòd funeſtiùs triſti narratione tuas aures, atque animum vulnerauerim, æqui, bonique consule: nunquam hæc excipi ſine pietatis ſenſu queunt: eaque mihi mens, vt excitata tua hinc commiſeratio, & charitas, æquè functos, ac ſuperſtites iuuent precibus, quibus & meipſum prolixiùs commendo. Vale. Romæ V. Id. Maij MDCLVI.

Victorio Bonamico S. D.

EPISTOLA LXXII.

QVòd conualuiſse iam te à febri, non ſanè leui, ac breui, me tuæ literæ monuerint; fuere mihi hoc potiſſimùm nomine gratiſſimæ. Tùm illud voluptatem attulit non mediocrem, ab ea nempè vi morbi neque human tatem in me tuam aliqua ex parte elanguiſse; neque vel minimùm refrixiſse vigorem illum ingenij, quo vti in ſcribendo ſolitus es. Itaque & mihi viuidam, robuſtamque beneuolentiam, & Apollini, ac Muſis alacrem, vt cùm maximè, ſtyli facultatem, ac vſum gratulor. Iuſſiſti, mi Victori, vt Henricum prænobilem inter Belgas equitem, qui pridē Romam appulit, à tuo nomine inuiſerem: neque cunctatus, adij, agnouique virum, qui Belgium ſuum, ac mores planè ſuauiſſimos ingenuo ſtatim ore repræſentat. Nihil illo elegantius, nihil in tui cultum propenſius. Scit quidem Italicè; verùm ceu linguæ nouus hoſpes, non adeò expeditè, ac tractim loquitur: ſtudium nihilominus in te ſuum visus mihi vultu, ac tacita quadam animi eloquentia, & quàm feliciſſimè, & quàm diſertiſſimè expreſſiſſe: dicendi nempè infantiam egregiè nonnunquam affectus ſupplet. Humaniſſimum porrò illum eſse, præter indolem, quæ, vti monui, ſtatim intuentibus occurrit; libuit vel hinc coniectari, quòd pſittacum, ac ſimiolum in delicijs domi habet; quibus nihil ſanè humanius: alter quippe verbis conceptiſſimis hominem ſonat: alter geſtu, atque imitatione homini quàm ſimillimus. Viſuntur huiuſmodi paſſim beſtiolæ Romæ, quæ pri-

ua-

uiatis è domibus publicos ceu ſcurras agunt; citra ſcenā Ro-
ſcij. At,quòd nouerim,nullus in Vrbe pſittacus hoc Henri-
ci pſittaco facundior; nullus ſimiolo actuoſior; eaque vter-
que in dicendo , agendoque gratia adſtantes detinent , vt
ibi nonnihil immorari, ijsque dare tantisper operam, non
infra dignitatem putauerim. Pſittacum vel ipse pulcherri-
mè diſtinctus color , & picturata ad inuidiam pluma vltra
cæteros euehit Romanos pſittacos:lingua verò prōpta adeò,
ac facilis fucum etiam mutuatur,ac pompam à roſtri minio.
Vni non vnus ſermo : eloquitur Belgicè : quædam profert
Hiſpanicè : nonnulla Italicè : vt ſit varia , ac penè verſico-
lor lingua æquè ac penna. Id quidem in eo mirum , conti-
nenti quadam fandi copia verba ex verbis ſerere : planè vt ſi
aures conſulas, non oculos, diſertum virum dices: cumque
immineat foro,rectè forensem Rhetorem appellaueris. Con-
ſalutat vrbaniſſimè, qui ſpectat vulgus; quem conuicijs mox
petit improbulus : audit ipse viciſſim vulgi conuicia : neque
erubescit, ſua licet virgatus purpura. Iocis persæpe agit ar-
gutulus , gaudetque non ſua verba condire ſalibus ; vt nihil
feſtiuius. Cerneres interdum compoſitum ad pietatem, pre-
ces admurmurare , nunquam , herclè, exaudiendas. Quid ſi
ad numeros etiam canit ? quòd ſanè monſtri ſimile. Inter-
uirescunt illi alæ , ac dorſum : an arbores , ac ſiluæ eæ ſunt ,
quas pennatus hic Orpheus cantu pertrahit ? Eiusmodi eſt
Henrici tui pſittacus, mi Victori , cui percelebrem olim Ro-
mæ Melioris Atedij pſittacum non comparaueris : & ſi mul-
tò ille fortunatior,quòd à Statij carmine,atque in eius ſiluis
viuat,ſpiretq;adhuc longè facundior. Simiolus verò vel ipſi
excuteret Catoni riſum. Facetiſſimum planè animal in om-
nem ſe ſe geſtum, moremque induit : actor fabulæ lepidiſſi-
mus , aut ipsa vulgi fabula , nunquam ſine theatro , ac
plausu. Præcipua Domini voluptas ea eſt:ludit, illudit,lædit
neminem. Si quem propiorem conſpexerit , saltu leuiſſimo
in pileum inuolat , ac videri ſe ſe galeratum geſtit . Sa-
gulo induunt; tænijs, armillisque ornant:ac tùm quidē om-
ninò turpior:pulchriùs nanq;ab ornatu translucet deridicula

ea indoles; ac ſimius nunquam tam ſimius, quàm cum vultu, & cultu nitet. Ad hæc, digitis micat; pyrrichen ſaltat: quid plura? Citharam item perbellè pulsat. O egregium Romanæ fidicinem lyræ. Traxerit quidem teſtudine aurea ille homo mille feras: trahit ſua cithara hæc fera mille homines: ſiquidem milleni, turmatimque accurrunt viri, vt hanc centum artium beſtiolam ſpectent: planè vt deliciæ Populi Romani dici iure poſſit Henrici Simiolus, Semiuir, à lingua quidem mutus, à geſtu, motuque corporis vocaliſſimus. Sed luſimus ſatis: hactenus hæc: quæ non ideò ſtatim damnauerint viri graues: quando amicis exhilarandis ſcripſimus. Nam ſi fas, hiſce aliquando ludicris ad animi laxamentum intereſse, cur non liceat ſtylo excipere, ſi eiuſmodi iocis, ac delicijs indigeant amicorum curæ. Scilicet, hi noſtri luſus, hæc theatra, hæ fabulæ. Nobis ipſis ſcenas adornamus, ſcribendo, legendoque, quæ ſeueriora temperent. Si noſtri, ſi priſci æui ingenia recognoueris, luſiſse aliquando, atque iſtiuſmodi nobilitaſse ſtylo nugas, comperies. Illud nunc ſeriò rogauerim, vt incolumem te communi bono Deus ſeruet. Vale. Romæ XVII. kal. Sept. MDCLVII.

Nicolao Charpy à Sancta Cruce Pariſienſi Conſiliario S.D.

EPISTOLA LXXIII.

SAtis, ſuperque obſtrictus ſingulari humanitati tuæ videri poteram, Vir clariſſimè: quid repetita munificentia, debitorem iterum cohoneſtas, ac obligas? Quot præclari Elogij tui exemplaria, tot compedes miſiſti, ſed aureas: planè, vt iam non vnum iactet Herculem Gallia, quando tua etiam facundia ſuos habet nexus, quibus illigari, nihil profectò ſplendidius, ac iucundius. Accidit verò liberalitas iſthæc in me tua eo etiam nomine gratiſſima, quòd deuin-

uincire ipse viciſſim mihi pleróſque eruditos viros potuerim, quibus cum egregiam egregij argumenti ſcriptionem dono dederim, gratias habuere vel maximas; teſtati ingenuè, debere ſe mihi plurimùm, quòd ingenti eo munere affecerim: cùm interim Scriptoris ingenium, elegantiam, argutumque dicendi genus dilaudandi finem nullum faciāt. Et quod alteram Elogij partem polliceris; ſcias, ita iam illorum animos expectatione erectos, vt ſua iam vix ſuſtineant vota. Perge, eruditiſſime Nicolae: neque eſt, cur in ſecundis hisce curis aliorum ſtudium prouoces: nullus quippè manum admouerit Coæ Veneri, quam ſummus pingendi artifex inchoauit. Iam, quam ad te dederam epiſtolam, ſubitariam nempè, ac impetu quódam exaratam, non ea ſanè erat, quæ tàm magnificè excudi; atque in ipſa tanti operis fronte collocari meruerit. Sumptuoſæ nanque ſubſtructioni par facies, ac propyleum reſpondeat, neceſſe eſt; ne reliqui ædificij ſplendori detrahat ſpecies. Verùm tibi, vt video, id potiſſimùm curæ, vt clientis tui literas exornes. Tantùm quippè ineſt Elogio tuo elegantiarum, ac dignitatis, vt deriuare in ipſa aliorum nugas, ſi propè abſint, non minimum quidem cultus, ac nitoris poſſit. Poſtremò ſcribentis nomen prudenter latuit. Nam & ſi nunquam ſine laude memoramus, quod eſt laude dignum; ſeruire nihilominùs tempori cogimur. Tempori? quid ſi etiam leuiſſimis etiam ſuspicionibus, ac vmbris nobis res eſt? latuit igitur conſultò nomen, ac lateat: is nempè ſum, qui lucem, ac famam nominis nunquam adfectauerim. Illud rogo vehementer, vt affectum in me tuum augeas. Vale. Romæ

VI. Idib. April.

MDCLVIII.

Hie-

Hieremiæ Brugnolo Cl.R.S.D.

EPISTOLA LXXIV.

EPiſtolam tuam affectus, amor, dictio abundè condiunt: vt auidè quidem legerim, ac reguſtauerim deinde voluptatem, legendo iterum, & ſæpiùs. Gratulor Pariſienſi noſtræ familiæ tui præſentiam: quippè non exiguum ſibi à florentiſſimo Iuuene fructum demetet. Beati Andreæ ſolennia, templi cultum, Principum pietatem, ac munificentiam, populorum ſtudia, omnium plauſum penè oculis inſpexi in tuis literis; vſque adeò ſtylus, ac eloquentia expreſsere ad vnguem omnia. Aderit profectò Beatus Senex Italus Galliæ pronis auribus, præſentique ope; quando tam ſplendidè honeſtare Gallia egregiam eius virtutem, ac ſanctimoniam pergit. Peracerbè lectiſſimæ Sororis funus tulit ampliſſimus Cardinalis. Nempè nihil germanæ charitati moleſtius, quàm acre eiuſmodi deſiderium. In ſorores præſertim amor neſcio quid habet ſenſus delicatioris; ſiue quòd natura ipſa propenſiorem in illas genium fratribus ingenerauit: ſiue quòd, cùm amantiſſimæ fratrum ipſæ ſint, molliorem ab ijs affectum exigunt: ſiue denique quòd ipſi fœminarum imbecillitati; tùm modeſtiæ, formæ, gratię quædam amoris deliciæ debētur. Parentatum porrò magnificè pio Cineri. Addidiſti ipſe flores tuos; elogium nempè, quo viſa virtutum pulcherrimarum commemoratione reuixiſse nobilis Heroina: planè vt illam ſimul extinctam, ſimul præclaro in elogio rediuiuam viderit Gallia. Habes in ſcribendo ſeculi mores, lumina, ac vibrans illud, viuidumque dicendi genus, cui ſi acceſserit aliquando priſci æui nitor, puritas, atque aliqua è Tulliana purpura Latinæ eloquutionis lacinia, nihil planè erit, quod in te Latinorum hominū natio deſideranerit. Prolixior hic eſsem: ſed noſti temporis diſpendia, atque occupationes meas. Epiſtolam, ac Neniam legendam pleriſque è noſtratibus, quibus iſtiuſmodi ele-

elegantiarum guſtus, tradidi. A communi approbatione agnoui, tui ſtudiũ haud me luſiſse. Et quòd hoc me munere honeſtaueris, ſcias, me in ære tuo eſse. Vale Romæ V. Id. Maij MDCLVIII.

Rodulpho à Montibus S.D.

EPISTOLA LXXV.

DEſcriptos à Cirino noſtro ludos, quos ornandis, celebrãdiſq; Hiſpaniarũ Principis cuius Neapolitana nobilitas edidit, peruelim, te legiſse, mi Rodulphe: dixiſses enim verò, lectiſſimam iuuentutem quà ſumptu, quà magnificentia, quà tractatione, vsuque armorum eiusmodi adornaſse imitamenta lætitiæ, vt nescias, an grandiùs, ac ſplendidiùs vnquàm luſerit Maiorum ætas. Quid? exaggeraſse me nimium dicis? adſtipulaberis, ſi non res quidem ipsas, ſed rerum vmbram à Cirini calamo inspicies: neque enim ad vnguem, exactèque ea quis delineauerit, quibus vel ipſa theatri lux impar. Nescio quando erudita hæc Viri lucubratio ad tuas manus perueniet; eoque decerpere illam ſtatui, atque hisce tibi literis propinare, vt quodam veluti libamento guſtum excites, quoad ampliſſimum theatrum in integra ea narratione ſe ſe tibi explicet: & ſi id vehementer metuo, ne argumenti maieſtatem, ac tantum ſumptuoſi operis deterat cùm ſtyli medioctitas, cùm compendiaria, & contracta in anguſtum ſcriptio. Sed scio, te acrem iudicio, ac peracutum, vt excellentium artificum tabulas in exigua ſtatim linea agnoscas. Igitur, exceptus tantæ rei nuntius feſtis, altisque tormentorum fragoribus, ceu vellent Neapolitanæ arces non modò terras, ſed Cælum etiam monere incl yti puerperij, natique ad Orbis fauſtitatem *Principis*. Insequuti nocturni ignes, ac faces, quæ collucere, nõ tam ſua, quã exorti Syderis luce videbantur. Poſt hæc nihil Caſtrilij Comiti, Regni Moderatori prius, quã ad preces

 eucha-

euchariſticas patere ; atque adiri templa. Id quod omnium ordinum ſtudio, acclamatione, plauſu, tùm inſtructo equeſtri agmine, inſtratiſque equis quàm ſuperbiſſimè, ſplendore, cultu procerum incomparabili, ac regium omninò in morem peractum. Ad publicam deinde gratulationem indictæ feriæ natalitiæ: quæ quòd omni magnificentiæ genere, atque apparatu ſupra communem modum celebrandæ; moniti, qui per Regni prouincias ſuis in Ditionibus agebant, Dynaſtæ, vt Neapolim, quo in circo plaudenda ea erant ſpectacula, conuenirent; ſuaſque ſuo auro, ſuo luxu, ſui animi magnitudine, ſuoque in excogitandis pompis ingenio obirent quiſque partes. Operoſa ea planè res; atque adeò mora, ac tempore opus erat. Interim quòd Lupercalia intercurrerent, nimiùm, quot magno operi proluſerint hilaria. Editi nanque alij ex alijs ludi. Viſa certaminum ſimulacra non ſine ſumptuum, atque elegantiarum certamine: perſonata quà peditum, quà equitum ad omnem pompam per vrbem agmina: ſymphoniaci vbique currus: ſolennes principum fœminarum, ac procerum choreæ: moles igneæ, atq; ex ijs miſſiles, ac ludentes Mæandri ritu flammæ; quid proſcenia memorem, eorumque dignitatem, choragium, faſtû? planè vt meritò, relicta Cæli orcheſtra, Neapolitanam ſcenam impleuerint rosciè Planetæ ipſi, ac fabulam dederint longè nobiliſſimam, aſtriſque actoribus dignam. Sed hæc ego diſſimulauerim, quòd fortè in tam ſplendida vrbe non adeò rara, ac mira: ſicuti & ijs etiam ſuperſederim, quæ exactis bacchanalibus, poſt magni Ieiunij ferias inſtaurata ſubindè ſunt, repetitis eodē apparatu ludis, in quibus equeſtres potiſſimùm Maurorum, atque Arabum more pugnæ, atque implicitæ equorum decurſiones, eo quidem flexu, reflexuque, vt labyrinthum, aut Euripum, perturbatis nunquā ordinibus, efformare equites; aut proſerpere criſtatos angues dixiſſes orbibus, ac ſpiris ſuis: quæ ſanè niſi Neapolitana, aſſueta præliaribus hiſce ludicris, ac tractandis equis nobilitas, nullus concinnè perageret. Hæc, inquam, lubens, volens, prætermiſerim, rudimenta videlicet eius ludi, longè

magnificentiſsimi, quem noſtra, ac Patrum memoria maximum à prænobili Iuuentutis flore, ab armorum peritia, à theatri ſplendore, ab opum oſtentatione, à vi auri, à ſyrmatum, gemmarumque luce, ac luxu iure dixeris. Exprimet hæc ſpectacula paucis, ac pro modo ſtylus. Itaque, indicto hoc haſtiludio, id primum, nempè theatrum in regiarum ædium area, quæ ſanè ampliſsima, excitare. In eo antequam inter ſe ſe concurrerent haſtati equites, viſa cum operis idea magnificentia decertare. Figura illi omninò ad Romani Circi formam, longior, quàm latior. Per geminum pilarum ordinem ſurgebat capaciſsimo nempè ſinu, ac gyro moles, quã opere porphyriaco, ſignis, ſymbolis, parergis eximia pictorum ſtudia diſtinxerant, atque auro etiã, argentoque illuminauerant. Intercolumnia nobilium fœminarum, ac virorum principum, tùm reliquorum ciuium ſubſellia occupabant, velis purpureis, frangendo ſoli, ſplendidè inumbrata. Aditum arcus hinc inde duo aperiebant; ampliſſimi ij quidem, atque exhauſtis *Phlegræo* fulmine Gygantum corporibus innixi. Ornabant coronatæ laurus, famæ litui, exuuiæ, trophæa victoriarum. Arcus ſingulos præclari operis ſimulacra omninò duodecim, clypeata, galeata, quæ Auſtriacæ Domus decora, virtutem præſertim, fortunamque repræſentabant, animare penè videbantur. In ipſa theatri frõte Honoris templum, cultu quidem haud diſpari erectum, columnis, Parium, variumque marmor effingentibus, ſuffultum. Heroes hic Auſtriaci, pace, & bello inclyti, Romanorum Cæſarum, ac laudatiſſimorum æui ſui Principum ſimulacris immixti inter fulmineos enſes, effractoſque clypeos, palmaſque, & quercus, ac ſpolia barbarorũ. Ad hoc Honoris templum appellere, atque hinc in arenã, ac Martis campum proſilire decreuerant bellatores, pugnaturi ſtrenuè, nempè, quorum pectora afflauerat honor ipſe, ac flamma gloriæ. E templi regione *Pauſilypus*, laureata olim Cæſaris villa, colliſque amœniſſimus cernebatur. Hic argenteo è ſcopulo imminere pelago piſcator: hic ludentes Nimphæ: hic Sebethus, hic Siren, præcipua deliciarum nomi-

mina: vt haberet illecebras ſuas palæſtra, ac pugna. Excultũ elegantiſſimè theatrum ludum expectabat. Quos verò oſtentãdæ in illuſtri area bellicæ virtuti inflãmauerat genius, flos erat præcipui ſanguinis, diuque illos exacuerat ardor animi, ac repetita exercendæ, expoliendæque arti arena. Hi quidẽ ſuas in claſses, ſuis teſſeris, ſuiſque diſtincti symbolis, in theatrum inuecti curribus quatuor, quos ideò prællare Solis currui dixeris, quòd quamuis ab auri copia, armiſque longè, latèque fulgentibus infinita propemodum luce circumfundi viderentur; ſinerent ſe nihilominus inoffenſa oculorũ acie aſpici. Veluti è quatuor terrarum orbis partibus huc inuolaſsent, prouocati à Neapolitanis aduenæ bellatores, ſuã quiſque regionem curru ipſo, inſignibus, armorumque genere exprimebant. Principi gentium Europæ princeps obtigerat locus. Currus illi Europęis trabeis, ac tantæ maieſtati par. In eo inciſæ paſſim auro palmarum philyræ; victi, ſpiranteſque Duces; nauium roſtra, ac reliqua triumphorum inſtrumenta. Perinde ac ſi non currum, ſed triumphum ipſũ traherent, equorum paria omninò quatuor gradum ſuperbiſſimè promouebant: aureis interim frænis ludere: ſimul dilabi ab ore niues, ſimul efflari è naribus ignis videbatur: adaugebantque pompam diſtinctæ auro, oſtroque phaleræ. Habenas regebat horridè criſtatus, ſagatusque Mars ipſe, qui tùm primũ viſus vmbratili oblectari pugna. Octoni in curru Equites: nihil ea blandius ferocia: criſtis in trophæi modũ arrectis, nihil ambitioſius: arma decorè cruentabant purpuræ lineamenta: inſignia deindè, ac symbola magnarũ animarum meditamenta, & curas indicabant. Quæ inſequebatur, Africã patrius quidam ardor, ac ęſtus abripere videbatur. Currus inter omnigena regionis monſtra, chelydros, belluas, quæ affabrè inſculpta, neſcio quem intuentibus terrorẽ per quandam illecebrã incutiebãt. Iuncti currui Rhinocerotes bis quatuor cultu barbarico; qui ceu pugnaturi & ipſi, ſua arma exacuerant, geſtabantq; in naribus. Vecti, Ioue aurigante, Equites itidẽ octo: ſcilicet hæc bellicæ virtutis mõſtra pepererat Africa, armaueratque quà ferro, quà auro:

ga-

galeis Maurorum ritu dirè ſilueſcentibus. Currus Aſiæ, Prouinciarum opulentiſſimæ, à luxu gemmarũ, inſperſoque affatim auro dignoſci facilè poterat. In eo Troianorũ bella, excidia, flãmæ inſculptæ; vt ardere alieno incendio axis, ac rotæ viderentur. Quadriiuges admotæ currui tigres, quarum fræna Liber Pater, qui Indos olim, Hircanaſque edomauerat tigres, moderabatur. Virgatum, ferumque hoc animal mirũ, quantum adderet ferociæ incitatiſſimæ Equitũ claſſi, quę vehebatur, qui etiã cultu diuite, & quadã amictorũ peregrinitate Perſarũ, Indorũq; opulentiã oſtentabant; fluctuabantq; in galeis criſtę, mutuatæ ab Erithræo fluctus, & purpurã. Extrema pars mundi, ſiue qui vltra Atlanticũ Oceanũ, atq; extra ſydera poſitus eſt nouus Orbis, ſuos etiã Parthenopę miſit acerrimos bellatores, prægrandi quadã maris concha, quæ in currum euaſerat, vectos. Pro equis Americani pelagi monſtra temoni iunxerant: his horribilis quædam ſpecies, quam nec Peruanæ ipſæ opes, quibus ornauerãt, temperabant. Oceani Rex Neptunus, cuius per humeros, ceu textilis vnda, cærulea ibat chlamys, lora adgubernabat, ac ſua monſtra. In curuli concha *Phocæ* item, Orchæ, aliaque portenta piſciũ non ſine luxu artificum manus inſculpſerant: vehebatque non vt olim Venerem, ſed ipſum, mutata vice, Martem, quem pharetrati, ſagatique Equites vultu, cultu repræſentabant. Currus hi quatuor, vbi ſuam pompam, ſplendoremque circumtuliſſent, & confertiſſimum theatrum, ſuſpenſoſq; admiratione mortales ſui aſpectu ſatiaſſent, lectiſſimus equitũ acies in auguſtũ, quod diximus, Honoris tẽplũ inuexere: cũ interim alij, atque alij extra ordinem bellatores, vt robur, ac vires adprobarent ſuas, peregrino habitu, velut è remotiſſimis regionibus aduectãtes, in theatrũ ſe ſe ſplẽdiſſimo comitatu inferrẽt: cumulabatq; voluptatẽ ſuccedẽtiũ illa equitum, equorumque pugnaciſſimorũ appendix. Diu tam multiplex, tam varia, ac ſplendida rerum facies ſpectantium oculos detinuit; atque interim inumbrari, appetente iã nocte, theatrũ cæpit: ac tũ quidẽ viſus, nõ tã dies, quã meridies exoriri; ceu ſol ipſe innumeras penè in faces diui-

ſus

ſus poſtliminiò rediiſset, ac perſtare ad ſpectaculum vellet. Accenſis ſiquidem vbique lychnis, nullus non theatri angulus, non ima, non ſumma ardere, & collucere videbantur: diſpoſitis etiam hic illic turmatim ephebulis qui diem funalibus ſuſtinerent, adaugerentque, ne quid vmbratilis eius pugnæ decerperet vmbra. Itaque incenſis, erectiſque expectatione magnorum operum mortalibus, concentu quodam̃, qui ad arma prouocabat, inſonuere litui, tympana, claſſica. Neque mora; è templo proſilire in campi medium, quos ardor virtutis æmulandæ, honoris fax, ac ſua indoles incitabat. Viſæ minantes haſtis haſtæ, enses enſibus, collatoque cominùs pede, ardere eruditæ in pugnam dexteræ. Hic præferuidus, cautus ille, hunc ab arte dexteritas commendabat. In re incitatiſſima conſtabat ratio, modus, ordo: grata vice paria paribus ſuccedere: ineratque pugnantium robori concinnitas, iræ gratia, terrori amœnitas. Eubrata citra vulnus arma: inflicta citra ſanguinem vulnera: neſcires, alacriùs luderent, an acriùs pugnarent? negasses ludere minaci ea fronte; rurſus, negaſſes pugnare tanta pugnãdi elegantia, ac faſtu. In armorum conflictu cerneres Marathonem; in pompa Capitolium: vt ſimul pugnarent, triumpharentque, attonitis æquè, ac plaudentibus ſtuporẽ, ſilentioque ſpectatoribus. Octonas omninò horas militares hi ludi tenuere: finemque attulit ignea quædam machinã, ad quam pugnatum ſtrenuè; actaque res eſt ferro, ac igne. Qua quidem mole conflagrante, finem etiam epiſtolæ huic noſtræ imponimus, vt oſtendam, dignam flammis narratiunculam. Tu, ſi quid hinc voluptatis capies, ſcias, forẽ vt longè vberiorem haurias à Cirino, qui hæc eruditione quadam incredibili cumulauit; optimè de Neapolitana nobilitate meritus, quòd ſcriptione ſua alterum iis, æternumque adornauerit theatrum. Vale. III. Non. Maij MDCLVIII.

Fr.

Fr. Ioanni Capycio Zurlo Hieroſolymit. Ordinis Commendatario S.D.

EPISTOLA LXXVI.

O Præclarum, inquies, à te munus. De Purgatorio igne alloquutiones tuas mittis? quid acerbius, quid triſtius? quid mihi à luſtrali ea flamma, ac piacularibus pœnis, quas fronte ipsa repræsentant, pollicear iucundi, & grati? Sermo, cui luctuoſa, atque horribilis dicendi ſeges propoſita eſt, fieri vix poteſt, quin acerbitate materiæ imbutus, legentes asperet. Fuerit aureum, aut è gemma poculum, facilique tornatum manu, abſynthium ſi propinet, nullus profectò eſt, ab eo qui non abhorreat. Vis igitur, vt ſupplicijs meis proludam, aut occupem? vis, vt præmaturis lachrymis calicem longè iniucundiſſimum libem? merget profectò animum flumen hoc eloquentiæ tuæ, immixtum igni. Triſte, nec diffiteor, argumentum huiusce libri mei eſt, ornatiſſime Capyci, cuiq; ſcribentis ingenium tam dira, tã dura non emolliat, ac nulla ab ſtyli cultu accedat dulcior gutta; pauci omninò erunt, qui inamœnam adeò ſcriptionẽ percurrant. Verùm enimuerò an aliquid à meo vnquam calamo in lucem prodeat, quod ad te recta non peruolet? Veteris obſeruantiæ ſtudium, obſequij mei partes, officij ratio, memoris, gratique animi debitum, tua virtus, tua dignitas, tua in me humanitas quodam iure efflagitarunt, vt per hæc rediuiui Seruatoris ſolennia hoc te donario de more conſalutarem. Terret operis frons, nomenclatio, materia? At nescio, quid inde triſtitiæ, ac luctus; quando nunquam non in pictis tabulis cernimus graſsari latè incendia; conflagrare vrbes; exſcindi populos; mutua concidere manu, ac rabie legiones; exhauſtos non uno vulnere, ſpirantesque cadere immixtos equis equites? an ea ſunt lineamenta flammarum, quæ horrorem, geluque incutiant? an quẽpiam aliquando imitamenta illa funerum exanimarunt? Nõ

illa

illa ab artifici manu rerum teterrimarum imago, ac horror oblectat? Hoc ipſum profectò habemus, ſi ſtylus deſcripſerit: niſi quòd cum de animorum cruciatibus agitur, legentis animus aliena clade fit cautior. Non ardent, non vrunt flammæ: lucem, diemque menti faciunt, quā cernimus, qui declinari impendentia mala poſſint, eæque expiari labes, quas non mollis deinde lacruma, ſed acerrimus abſtergit, ac punit ignis. Habes igitur à me munus, frugiferum quidem, neque adeò iniucundum, hoc eſt, ſubductos prælo non ita pridem Sermones meos, quos in Bituntina noſtra Eccleſia, excitandæ communi in pios Manes commiſerationi, è superiore loco dixi. Aliorum planè ſenſu aſpexere lucem, non meo. Diù preſſi, amicorum hortamenta non ſemel eluctatus; at vbi ventum penè ad conuicia, dedi manus, ne præfracti nimiùm moris videri poſsem. Aduerteram quidem, iuſtam in molem excreuiſse iam lucubrationes haſce meas: at non ſatis hoc typis, quos imbuere ea tantùm par eſset, quæ tolerare æuum valeant; quæ ſeculi genio reſpondeant: quæ commune eruditorum hominum ſuffragium probet: quæ ſua lance iudicium aurium expenderit: quæ deraſos ſapiant vngues: quæ multum olei combiberint: quæ eximio cultu niteant; quæ Suadæ flos amœnauerit; quæ gratiæ in Cælū ferant. Hæc euulganda, quæ ſupra vulgus. Mea verò, amens ſim, niſi abeſse quàm longiſſimè ab hac laude agnoſcerem. Quæ tamen illa ſint, ſcio, fore, vt ea tu humanitate excipias, quam ſolitus es ſcriptori impartiri: neque exiguum laboris mei fructum captam, ſi quid moneas, emendes, deleas. Vale. Romæ

XII. Kalend. Apr.

MDCLVIII.

Pau-

Paulo de Iulijs Cl. Reg. S.D.

EPISTOLA LXXVII.

PErculſus pridiano Franciſci Caraſæ, noſtri Ordinis Præpoſiti Generalis exitu, Viri ab omni morum laude ornatiſſimi, non equidem poſse me à peracerbo animi ſenſu moliri ſtylum, ac manum, putabam. Elanguiſse nimirum membra, haud ſanè mirum, læso capite. Vrgere vi quadam reſtitantē calamum, oportuit, ac veluti eblandiri verba, quæ negabat mœror. Nihil enimuerò in communi hoc luctu antiquius mihi, quàm appellare te literis, vt aliquod inde exiſteret triſtitiæ laxamentum: fore nempè exiſtimaui, vt illam non minima quidem ex parte minuerem, ſi tecum ipſe partirer, ac veluti ſcribendo diuiderem. Affulserat ſalutare hoc ſydus Ordini omnium plauſu: occidit mœrore omniū, eò vel maximè, quòd non adeò maturus æui, ſupereſse diutiùs cōmuni bono poterat. Confirmando corpori tentauerat pridem neſcio quę medicæ artis adiumenta, quæ mox lenta excepit febris; fallax ea quidem, ac ſub dola, & quæ tùm demùm ſe ſe medicis prodidit, cū opes iā corporis, viresque intimè exhauserat: vt ſera nimis fuerint propulsando peracri morbo, ac fato admota præſidia. Mirum, quo pietatis, & conſtantię laude supremæ occurrit neceſſitati. Eodem, quo iucundiſſima excepiſset, vultu, id nuncij accepit. Sibi, inquit, nihil eſse, cur vitam cuperet: nihil; ſi diuina bonitas aderit, cur metueret mortem. Calix hic nobis ſapit, ſi ſapimus: vbi sua illi labra admouit humani generis Aſsertor, quicquid inerat acerbi, ac asperi, abijt in nectar. Cūctis occidat, neceſse est: breuis hęc vitę lux: ad ſēpiternū illū meridiē, ad ſcatebrā lucis inoccíduæ prouocamur. Quid igitur? quando ſuum iam opus, ac penſum peregiſset, an grauatè, ac triſtiùs ad denarium diurnum euolaret? Itaque diuino refectus Epulo, riteque inunctus, atque ad omnem pietatem compoſitus, animā inter ſuorū preces quàm placidiſſimè efflauit;

 reſpon-

responditque illi bactis vitæ moribus exitus. Viri absolutiſſimi ne prolixum, ac elegans expectes à me elogium, aut breui in epistola parentalia. Quæ eius erat modestia, illustri generi, ſplendorique virtutum nescio quam offundi caliginem peroptabat; ac vereor maximè, ne extinctæ, ſurdæque iam aures hoc ipsum laudum acroama respuant. Quamquam ſuperstes virtutum fama prolixum illi elogium est: ita vt sua ipsum indoles, mores, facta, velit nolit, fusè dilaudent. Præterquam quod, qui fuit in omnium oculis, est nunc in omnium ore, ac linguis; ac certatim quotquot illum, eiuſque eximium vitæ institutum nouere, deprædicant. Eſt, qui per omnes ætatum gradus excurrit, ac nihil non fuiſse in pueritiæ rudimentis pulcherrimum; in iuuentæ flore honeſtiſſimum; in viro grauiſſimum; ſapientiſſimum in ſene affirmet. Hic pietati, ille mentis candori primas tribuit: linguæ frænum alij, ac peramicam ſapientiæ verborum parſimoniam; alij comitatem, vrbanitatemque in loquendo cōmendant. Plerisque in ſui cultu frugalitas, ac paupertas; nonnullis diſciplinæ indefeſsus rigor ſumma in laude ponitur. In Ordine verò ſi præeſt, nemo eſt, qui non illam per omnes officiorum gradus expolitam prudentiam; in dicendo, in agendo ſolertiam; immixtam mansuetudini acrimoniam; attemperatam communi genio charitatem; mediam, nullique partium pronam indolem; patris in eo ſtudium, fratris beneuolentiam, ſodalis vices, ſerui obſequium non paſſim memoret, crebrisque vſurpet ſermonibus. In hoc laudum certamine quando ſatis, ſuperque prestantiſſimi Viri virtuti plauditur, nihil ipſe profectò addiderim. Quas lachiymas non abſterſit à quadam animorum conspiratione, ac fœdere commendatio, non ego priuata, ac mediocri ſistam facundia. Perſoluta nunc exequiarum iusta communi nostratium more: parentabimus deinde ſolenni ritu: eritque in domestico funere exterus orator, qui publicam vberiùs laudationem adornabit. Monent nos interim, mi Paule, hæc fata, vitæ lucem rem eſse ymbratilem; ac nihil exigua in arena excitari ſolidæ molis poſse. Inspicienda meta est:

nam

nam curſus ad illam perbreuis: eò rapimur, non imus. Occupanda cuique ſua mors diurna, nocturnaque memoria, ac virtutum vſu. Vale. Romæ IV. Id. Oct. MDCLVIII.

Thomæ Caracciolo Archiepiſc. Tarent. S. D.

EPISTOLA LXXVIII.

Nihil eſt, quod tibi afferam noui, præſtantiſſime Antiſtes, niſi quod qui appetit nouus annus, poſcit, vt veterem in te obſeruantiam hiſce meis literis renouem. Vitam nempè deterunt anni, non ſtudium, non obſequium, quod vt tibi identidem deferam, & ſuadet officij ratio, & tua in me promerita penè innumera ſanè cogunt. Neque enim renaſci æuum, ac repubeſcere, par eſt, quin pro tua ipſe longæuitate, incolumitateque, ac florentibus in ſenio ipſo annis vota nuncupem. Illud etiam impulit, vt ſcriberem: nam cùm præclaro me munere, hoc eſt, Beatiſſimi Parentis noſtri Caietani Thienæi vita, quam nuper euulgaſti, honeſtaueris; debui ſtatim eximium hoc beneuolentiæ tuæ ſpecimen gratijs immortalibus recognoſcere. Nihil planè elargiri mihi præſtantius, ac pulchrius munifica manus tua potuit, quàm quod eſt à tuo ingenio, ac ſtylo elaboratum. Quiſquis aurum, ebur, gemmas, ac peregrini operis aulæa, aut veſtes elargitur, non tam ſplendidè profectò agit, quàm qui aliquid eruditi laboris donat. Artifex rerum pulcherrimarum animus, & pretium, & æuum monumentis ſuis facit: quippè particula quædam diuinitatis, atque æternus cùm ſit, æternitatem, ac neſcio quid etiam diuini inurit lucubrationibus ſuis: atque adeò humanas opes, & quicquid eſt inter mortalia, ac fluxa in pretio, multis partibus excedant, neceſſe eſt. Tu igitur, Thoma Caracciole, non aliud mihi pretioſius miſeris, quàm quod tuum deſudauit, cuditque ingeniũ.

Dilaudãda præſertim in hac Thienæi Vita vis quædam multiplicis eruditionis: ſacra, profana affatim ſpargis: ſanctorum Patrum ſententias, præcepta morum, pietatis monita ſubindè interſeris. Diſsertatiunculas interdum misces, erigendis, formandisque animis accomodatas: nempè non ſimplici hiſtoriam filo, ac nudo continuare narrationem tuam ſchemate voluiſti, ſed eruditè, floridè, ac prætexta quadam purpura, ac auro: planè vt non texere, ſed acu phrygio variare telam videaris; ſtylo quidem, vt non anxiùs procurato, ita indiligenter culto. Mirandum hoc quidem in viro, qui totus deinde eſt in Infularum, atque Eccleſiaſticæ rei curis. Plerique Præſulum, quæ eſt mortalium imbecillitas, quicquid à publicis eiusmodi momentis ſupereſt temporis, animorum relaxationi tribuunt: tu ſcriptioni: occupationes mutas, non abijcis: labori ſuccedit labor: ſpiramentum à ſtudijs literarum quæris: poſt defatigatas audiendis hominum controuerſijs, aut votis aures, alacri ſtylum manu, recentique ſpiritu ſumis. Auguſtinos, Ambroſios, Chrysoſtomos imitaris, qui ita ſuarum Eccleſiarum procurationi affixi, vt aſſidui in ſcribendo eſsent; ita scripsere, vt toto pectore incumbere in animorum commoda, eorumque adminiſtrationem viderentur, facili hinc inde tranſitu.

At enim, non ea eſt lucubratio hæc tua, vt indigeat dilaudari; neque is tu, vt velis. Scio, moliri te alia, nec vacare Infulatam manum: hæc etiam à tua mihi humanitate polliceor, atque interim vt diù communi bono viuas, prolixiùs opto, & voueo. Vale. Romæ VIII. Kalen. Quint. MDCLIX.

Cæ:

Cæſari Lactantio S.D.

EPISTOLA LXXIX.

QVam tibi, mi Cæſar, ſub ipsum Romà diſceſsum fidem oppignoraui, en libero promptiore ſtylo perinde ac animo. Peracerbū profectò mihi à te auelli: eóq; id in primis curæ fuit, vt literis, cultuque obſeruantiæ poſtliminiò redire, & curſū etiam noſtræ peregrinationis curſim exponerem. Itaq; Mediolanū pridie kal. Maij peruenimus, prolixiore quidem ſolito itinere: nam temperandæ ſummo iure Inſubriæ cùm ad eam Vrbem pergeret Franciscus Caetanus, Sermonetæ Dux, euitare tùm quidem nonnulla ſummorum Principū hospitia, atq; alloquutiones è re putauit; maluitq; longiore licet via Galliæ Cisalpinæ pelagus, hoc eſt, Padū traiicere. Cæterùm, adulto iam vere, in peramœna videlicet anni tempeſtate, nulla ab æſtu, ab imbribus, à viarum abruptis moleſtia; niſi quod aliquid interdum incommodi crearunt ipsa commoda. Ea nanque fuit virorum procerum cum illuſtri Hospite, in epulis præſertim magnificentia, ſplendor, luxus, vt produci ad multam noctem cùm temperantiæ fraude cœnas oporteret: quando ſopor feſſis, quàm ſapor guſtui tempeſtiuior videri poſset. Quo in genere viſi regium planè in morem decertare Auguſti Patres, Ilicius, Borromæus, Roſsettus, Dongus, Farneſius: quorum hi quidem Prouinciarum faſces; hi verò Eccleſiarum Infulas adminiſtrabant. Diceres, non cœnas, ad ſcenas ad oculorum illecebram adornaſse. Par in ijs pompa, & pretium. Mensas ab opulentia ſplendidas, quædā etiam lautitiarū parerga, ac pulcherrimi operis, vt vocant, trophœa cumulabāt, planè vt triumpharet in tanto rerum apparatu munificentia. Conatus ipse interdū ab hoc me epularū faſtu ſubducere, vir religiosæ parſimoniæ, & contentus paucis: verùm & accumbere à Ducis confeſſionibus cùm vellent, aderam in diuite

co-

copia inops; & quamuis neque irritamenta ea gulæ, neque calix fugeret, verè Tantalus. Iam verò, illud in hoc itinere pretium operæ non ſanè mediocre; ad Ædem nempè D. Virginis Lauretanæ, hoc eſt, ad ſcatebram illam beneficiorum, communemque populorum, & Chriſtiani Orbis aram conueniſse. Neque ſatis, inuiſiſse; litauimus etiam, adſtante Duce ipſo, qui & myſteria Chriſti Corporis à mea manu quàm religioſiſſimè delibauit: & quæ eſt exempli vis, cum Principe acceſsere etiam ad diuinum Epulum Aulici. A loci religione, à concurſantium populorum æſtu, ac pietate, à ſacrorum cultu, à Deiparæ ipſius ſpecie, ornatu, opibus nihil editiſſima hac Æde, ac Diuinitatis Conclaui ſanctius, ac magnificentius. Mortalitatem hic induiſse immortale Numen; luſiſse, creuiſse hos inter parietes Cæli amores; ſtipes planè ille fuerit, quem, ea cogitando, non emolliat pietas, ac defigat admiratio. Sacrarium deinde adimus. Donaria hic Principum, argentea, atque aurea ſuppellex, Attalicę, ac pictæ acu veſtes, ac reliqua inſtrumenta ſacrorum vltra Regum opulentiam, ac ſupra omnem artificum elegantiam, addo etiam, ſupra fidem ſuperbiſſima. Raptim, aſpectuque tumultuario vſurpare tot portenta rerum pulcherrimarum oportuit; nam ſingula per otium contemplari, neque exigui temporis, neque vulgaris tolerantiæ res erat. Vim pręſertim gemmarum primi nominis, adamantum globos, margaritarum lineas, elenchos, atque infinita propemodum armillarum, monilium, murenularum genera inſpicientibus, videbatur, eò immigraſsę Bengala, Ormuſsus; aut vterque Indus feciſse opes ſuas tantæ Virgini vectigales. Planè ſi pretium, & lucem ſpectes, gemmæ ſunt: ſi numerum, arenæ vileſcunt cùm à multitudine, tùm quòd alia aliam infuſcat, inumbratque; ſi compares: & quæ præſignes alibi, ac veluti è patriciorum cenſu eſsent; hic vulgus gemmarum ſunt. Satis hic, ceu in ſinu magnæ Matris quieuimus: iter deindè Bononiam intendimus: tùm tranſmiſso, vti monuimus, Pado, Mediolanum appulimus. Vrbs hęc inter Italicas longè ampliſſima; quæ quidem à ſuo buſto, ac cinere toties rediuiua,

phœ-

phœnix Vrbium dici iure poteſt. Respondet ciuium numerus, & nobilium ſplendor. Ædificia à fronte, ac specie haud valdè laudauerim: quædam verò ex iis vrbes ipsas laxitate exæquant. Ad Ciuitatis munimentum Arx cernitur cum paucis munitiſſima. Hanc dixeris meritò arcem arcium: vti flos ille hiſtoricorum, Florus, Calarim in Sardinia Vrbē vrbium nuncupauit. Miraculum verò, aut miraculo proximum princeps Templum eſt, mole, ſumptu, forma. Parium vbique marmor, ſtriatisque diſtinguitur inſanæ magnitudinis columnis. Intus, foris, ſupraque infraque ad tantæ molis cuſtodiam excubant ſpirantes Diuorum ſtatuæ: hærentque immotæ; vt nunquam ſine cultoribus ea eſset Baſilica. Vt vidi, temperare calamo minus potui, quin nescio quid carminis impetu funderet. Mittam, quicquid id eſt, à te videlicet expoliendum; vt partim à Templi magnificentia, partim à iudicij tui lima niteat. Si tu aliquid viciſſim mittes à tuo ingenio, videbimur profectò mutua poeſi confabulari: certè eo ipse nomine maximopere gratulabor, quòd non totus abero à conſuetudine, adfectuque tuo. Sed ne ſim longior, monet me epiſtolæ modus. Vale. Mediolani V. Id. Maij MDCLX.

(.l.)

Phi-

Philippo Euerardo S.D.

EPISTOLA LXXX.

PRæclaræ eruditionis, ſuauiſſimæque indolis tuæ deſiderium ferre vix poſſum, ornatiſſime Euerarde: permitte, vt tua interdum ſtudia literis interpellem: nimium eſt, quantum iſthuc me alleuet mutuæ ſcriptionis ſolatium. Planè, cum id potiſſimum habeant amicorum epiſtolæ, vt non modò intimum pectus, ſed ipsam penè ſcribentis imaginem graphicè, germaniſque coloribus repræſentent; tùm hoc tuis inſitum, vt te non vtcumque exprimant, verùm, quæ eſt facundiæ tuæ, ac ſtyli vis, ſpirantem, ac voce loquentē viua faciant. Hinc probè intelligis pronioris calami mei conſilium: nempe vt deindè, non tam literas tuas, quàm te mihi gratuler: videris nanque, non ſcribere, aut quædam animi, ac vultus lineamenta mittere, ſed citra viarum incommoda adire tu ipſe, abſentemque amicum inuiſere, alloqui, atque eruditionis etiam particula inſpergere. Iam, ne tibi iniucundæ omninò accidant meæ literæ, addam iis corollarium: aliqua videlicet identidem è Muſarum menſa analecta: tùm ſi quid hic fuerit memoratu dignum, non diſſimulauerim. Eſt autem in præſenti, quod ſignificem, excitatam nimirùm in ſpem politiorum literarum, ingentique cum Mediolanenſium plauſu, ac fructu Academiam. Deerat Mediolani iſtiuſmodi ingeniis palæſtra. Scilicet, quam Vrbem exercuere tot annos bella, ita curas ſuas cruento Marti deuouerat, vt aſſidua armorum meditamenta litare Apollini, ac Muſis non ſinerent. Alatum Pegaſum ſpirare quid bellicum, atque augere equeſtres alas, ac turmas, oportuit: haſtatorū ſilnæ non illæ erant, in quibus canerent cycni: vmbra, & porticus abiere in ſolem, & puluerem: eruditę in tubas citharæ: Inſubria, Italiæ Maratho, fumare cædibus: decolor à cæſorum ſanguine decurrere Abdua: adſtrepere vbique claſſica: quid delicatiori Muſarum indoli infeſtius?

feſtius? Atenim, Numine aurigante, aduecta tandem quies, ac fauſtitas populis. Iunctis nanq; dexteris, Principũ maximi, ſanxere connubio pacem, atque ab ea regiarum nuptiarum tæda reſtincta perinde bellorũ fax, vt vix in vno Europæ angulo lacertos moueat defatigatus ab aſsidua armorum tractatione Mars. Hinc veluti ſoluta acri illa hyeme, refloruere artes bonæ; redijtque literarum ſtudijs ſuum ver. Atque in hac præſertim vrbe illud accidit, quod modò innui. Nam dum neſcio quid extemporanei, atque eruditi ſermonis egregij quidam iuuenes miſcent; excitato confeſtim eloquentiæ guſtu, erectique ad omnẽ eruditionis laudẽ, collatis vnà votis, in Academiã colliminant; neq; poſt multò, inſtituunt. Vagire primùm, mox balbutire; demũ eluctari infantiã, & cõcipere diſertè verba, viſa eſt. Igitur, cõfluere paſſim decora ingenia; adauctoq; cenſu quod eſt virtutis æmulandæ ſtudium, alter alteri faces admouet. Certatur facundia: è Lycèo, & Porticu argumenta dicendi petunt. Agitãtur ſeria, atque interim Muſis etiam, quà Latinis, quà Hetruſcis luditur elegatiſsimè: planè vt Iani vultus hic videas, quorum alter à ſenectutis inſignibus grauior; alter à flore iuuẽtę peramœnus. Ex omni hominũ gradu ad noſtras haſce D. Antonij ædes conueniunt, vbi deligere renaſcenti huic Palladi locum placuit. Sunt nanque in inferiore domo citra reliqui cœnobij incommodũ opportuna panegyri cõclauia; iuuatq; rem quà eruditione, quà curis ſuis nonnemo ex noſtris, quibus in fundanda Academia ipſa non vltimam profectò laudem Mediolanenſes debent. Interea temporis tuendæ, amplificandæque literariæ huic Reip. leges expenduntur: tùm qui leges, eandẽq; Remp. adminiſtret, ornetque ingenio, ac luce generis, agitatur Princeps. De nomine diù diſceptatum: tandem quòd labor rerũ pulcherrimarum artifex, ac arbiter; Faticoſorum Academiã appellarunt. Nomẽclationi respondet ſymbolũ. Pyramidẽ, quã multiplex machina, rota, funis, cõmuniſq; plurimorũ labor eleuat, ſuaq; in baſi collocat, deſcripſere. Lẽma, illud ex Marone hemiſtichiũ: *Poſt vbi collectũ robur*. isq; cotũ ſẽſus: fore, vt fœderatis, & cõnitẽtibus vna

ingenijs, curisque laborioſis, virtutem, quam præcelsa exprimit ad viuum *Pyramis*, ſua quisque in baſi, hoc eſt in ſede animorum statuet. Nos in illuſtri hoc theatro aures, ac animum commodamus: non linguam: omnia fert ætas. Aliorum interdum preces id efficiunt, vt aliquid poeseos pangã; ſuntque, qui recitent, diſſimulato nomine: mittam ſubinde aliqua; nunc amiciſſimam ſalutem. Vale. Mediolani XIII. kalen. Octobr. MDCLX.

Flauio Turriano S. D.

EPISTOLA LXXXI.

SIgnificant mihi humaniſſimæ æquè ac elegantiſſimæ tuę literæ aduenisse Romam Aubertum, germanum fratrẽ tuum, ab egregia sanè indole, atque ab ingenij præstantia mihi commendatiſſimum. Gratulor, familiare tibi acceſſiſſe curarum leuamentum à summæ spei Iuuene, quem germanitate quidem consanguineum, affectu verò vnanimem, & amari à te vnicè, & amare te cum primis, scio. Inſunt fratribus ingenerata à parentibus arcana vi ſanguinis mutuæ ſemina charitatis. Quòd eisdem deindè cunis excipi; eodem in ſinu educari, eoſdemque appellare parentes, ac maiores agnoscere, contingat, nihil, herclè, est, quod arctiùs eos illiget. Quid illa conciliatrix animorum ſimilitudo? Enimuerò ea ſunt illis interdum externi vultus, orisque lineamẽta, vt non vtcumque ſimiles, ſed eosdem fermè dixeris: atque adeò complecti ſe ſe mutuò, ac peramanter oportet, quos tot amoris argumenta fibula nectunt veluti adamantina. Quamquam, quid cauſæ id fuerit, non raro accidit, vt, lusa vi naturæ, & vultu, & moribus fratres discrepent: eòq; interdum, quæ diximus, amoris ſemina degenerant, vt affectus locum occupet contumaciùs, quàm inter iuratos hoſtes, odium. Non eſt, cur è priſcis hiſtorijs paria infenſiſſimo-

ſimorum fratrum producam, inſtar omnium fuerint, qui principem gentium populum, Romamque fundarunt: cùm interim vſus probet, rixari eos pugnaciſſimè, ac iugulum perſæpè mutuo petere. Sed piget, hæc tibi memoraſse, cui frater contigit alter ipse; probi oris, probi moris, factusque ad genium fraternæ charitatis. Certatis quidem inter vos ipsos, ſed officijs, affectu, ſtudio, qua nulla amicior, nulla ſuauior æmulatio. Iam, Romæ quid rei aget Aubertus tuus? Aulæ se ſe mancipauerit? pulchrè: plena quidem dignitatis, grauitatis, ſapientiæ Romana Aula eſt. Flos hic Italicæ indolis, ac ſanguinis: in inſigni hac ſchola excitantur mirè ingenia, ac mutuo quodam attritu ita elimatur prudentia, vt nullis non rerum maximarum momẽtis ſufficiat. Ad hæc, inter Principum clientelas facili negotio fatalem illum crinem arripimus, quẽ tenniſse, hoc demum eſt consensu mortalium ſuprema felicitas: hinc honeſtiſſima virtutis authoramenta: hinc Infularum ſplendor: hinc præſidia fortunarũ. Mores deinde, lingua, officia nullibi melius excoluntur: officiorum quippe, facundiæ, morumque rudis Romã quisquis acceſserit; ita ſubindè expolitur, vt ſtatim agnoscas, quid aula afflauerit vrbanitatis, ac elegantiæ. Comperta hæc paſſim decora, ac nihil profectò externa hac aulæ fronte intuẽti ſpecioſius: cui nihilominùs ſi perſonam hanc detrahas, non eos ſanè vultus reperies, eamque oris tranquillitatem, quę velificationem, curſumque adpromiſerat auspicatiſſimum. Latent ſub vndis criſpantibus ad inſidias ſcopuli, ac pleraque in receſsu aſpera. Si candor ineſt mentis, à te ipso primùm, tuaque diſcedendum indole eſt, ne candor ipse ingenuus, ac ſimplex animus lædat. Suſpecta omnia, ac plena timoris: ſtandum, eundum ſuspenſis ſemper veſtigijs, ac auribus. Principe nil fragilius: cauendum, ne quam diutiùs gratiam deſudaſti, momentò pereat: hinc graues animo curę: hinc vigiles plerumque noctes, ac ſomnus inquies. Vultum ſcitè adgubernare eius nutu; metiri eius guſtu tua commoda; vitam, ac momenta ipsa vitæ diſpenſare ad eam normam oportet: ac parum ſanè eſset ab

vnius ſupercilio metuere, eoque regi: eſt à fronte, à latere, à tergo, quod timeas. Liuor ille, familiare, atque ingens monſtrum aulæ, non terret? Graſsari ad Principis gratiam, eius beneuolentia dignari, hoc capitale inter aulicos facinus. Traducunt, carpunt, diſcerpunt; atque in id maximè incumbunt, vt à noxio afflatu in flore ipso, ac in herba ſurgentes ſpes decidant; & quæ erexerat fauor vota, interdum non ſine famæ dehoneſtamento fruſtrentur. Mortalium hi mores, qui fortunam ſuam in aliorum ruinis ſtruunt. Igitur ſeriò expẽdat Aubertus, neceſse eſt, an plenam aleæ vitam deligat, [illegible]endo tranquilliùs Romæ agere, ac ſanctiùs poteſt. Si for-[illegible] pectus cupit: exprimat mores tuos: abſit à calamo meo [illegible]: à te ſolo diſcet, citra illa, quæ modò memoraui, incommoda, quicquid docuerit Romana aula. Porrò, antequã Roma diſcederem, orationes efflagitaſti, quas in Pontificio ſacello die Cinerum, primam ad Vrbanum Octauum annis ſuperioribus: alteram ad Innocentium Pontif. X. tertiam hoc anno ad Alexandrum VII. dixi. Subitus ab Vrbe diſceſsus, ne tibi impartirem in cauſa fuit. Oratiunculæ eæ ſunt, quæ neque id nominis merentur. Scis, in quam temporis anguſtiam adducta res eſt: numerantur dicenti, non periodi, aut verba, ſed literæ: vt explicare ſe ſe eloquentia, ſuumque decurrere ſpatium nequeat. Quid in re tam exigua pulchri, & magni? Gemmis duntaxat id à natura prærogatiuæ contigit, vt paruæ ſint, & pulchræ: vt dixerit de vnionibus Plinius: contractã ijs eſse in anguſtum maieſtatem: cætera verò, ſi cõmendari à forma, à cultu, atque integram promereri laudem velint; ſuam habeant molem corporis, & membra, & partes, neceſse eſt. Mitto nihilominùs; modò tuis cũ lituris redeãt. Habes hic tui ſtudioſiſſimos, qui te conſalutent, Baſsos, Rubeos, Vicecomites: inter hos ego non ſanè poſtremus. Vale, & Aubertũ à me iube valere. Mediolani prid. Kal. Iun. MDCLX.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio Feria 4. Cinerum

Ad Vrbanum Pontif. Octauum.

SAcrã myſtico Cineri diem, quæ redimẽdæ immortalitati, mortis recordationẽ; lapſæ innocẽtiæ, inſtaurandæ, pœnitẽtiã; refrænandis deniq; ſẽsuũ incitamẽtis, prolixã indicit ieiuniorũ obſeruantiã, ſatis profectò mirari nequeo, B. P. quòd triſti pleriq; flexoq; ad mœrorem animo, vultuq; auſpicentur. Vidimus elapſis hiſce proximè diebus effuſæ gẽtiũ omnium lætitię, genioq; liberiùs exũdãti, vix ſufficere Vrbis fora, theatra, vias, cõpita; ſed cũ Cinerales illuxere feriæ, perinde ac ſi Romanis ſupputari tabulis, faſtisq; cæperint inauſpicati, atrique dies; offuſa illicò pectori, ac ſupercilio mæſtitiæ nubes, ſerenitatẽ prorsùs omnẽ, lucẽq; lętitię à vultu, à frõte, ab oculis eliminauit. Quod quia præclaro ab Eccleſiæ inſtituto alienũ, importunũ tẽpori, pietati diſsẽtaneũ, Chriſtiano homini oppidò indecorũ, edicto cauit Seruator ipse, cũ inquit: Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Hinc delibuta Aſsyrio, fragrãtiq; nardo capita: Vnge caput tuũ. Hinc vultus amœnitas, nitorq; ablutione procuratùs: Faciẽ tuã laua. Nẽpe vt hoc tẽpus acceptabile, diesq; ſalutis expreſsa habitu, cultuque corporis hilaritate excipiamus. Atenimuerò, quid, amabo vos, rei eſt, ad quã in hoc ineuntis pœnitẽtiæ veſtibulo expalleſcere animus pòſſit, terreri, conſternari? An cinis capiti impoſitus, ac ſordidata puluere cæſaries triſtitiam ingenerabunt, quòd decinerandæ humanitatis imaginem, ideamque mortis obiectent animo luctuoſam? Verùm, quid morte ipſa optabilius, quid erga mortales munificentiùs? quæ nos corporis lacinijs expeditos, noſtris tandem aſtris, ac libertati reſtituit, & ſpiritu Cælo recepto, in ipſum ęternitatis, gloriæq; ſinum, lucẽq; inuehit, diuinitate circumfuſos, ac paludatos. Mortẽ igitur tã egregiè de humano genere meritã, malorũ vindicẽ, libertatis

aſser-

aſsertricem,æternitatis arbitram, ſequeſtrem gloriæ, triſtem compellabimus? Ergo pulcherrima mortis analecta, cineres, in quos tandem labimur, vt veluti Olympico è puluere ad quercus, lauroſque nobiliores aſsurgamus; gratiſſimi, inquam, cineres, qui optatiſſimæ mortis memoria hilaritatem afflare animo, ac liquidiſſimę ſenſum voluptatis deberent, mœroris vmbram offundēt animo vel exiguam? Iam, excuſſa penitus ſacro è puluere mœſtitia, ieiunium ſanè, quod auſpicamur, triſtitiam ſqualore, ac fame ſua incutiet. Enimuerò quibus in more eſt, mactatis magnificè victimis, inter fumātia, non thura, ſed fercula immolare gulæ, ac genio; quid triſtius acciderit, quàm abſtinentia? Sed neque iſthęc inurenda ieiunio macula, ac vitium eſt, in quo, & ſi doleat caro, a vt inquit os illud aureū, epulatur tamen anima. O epulas nulli Regum opsonio comparandas: an prolixa illa fercula conferas cum pane arcto, & aqua breui? Deo nanque paſcitur ieiunus, diuinitate alitur, gloria ſaginatur. Quod quidē aptè ingens illud b Africanæ os eloquentiæ de Moyſe pronuntiauit, quem Deo paſtum dixit, cum in Orebi vertice quadragenarius ieiunauit. Quodnam autem condimentum ratius, quàm ipsa Diuinitas? quæ locupletior mensa, quàm quę ampliſſima è Cæli penu? quæ fames ditior, aut illuſtrior, cuius guttur imbuit Deus ipse? aut quomodò ieiunus, opimus, ac plenus Deo? Igitur vniuerſitati Eccleſiæ ieiuuium cùm indicitur; ieiunium ne putatis indici, an conuiuium? Conuiuium ſanè, quod optimatibus ſuis, hoc eſt, nobiliſſimo Chriſti fideliū cœtui æternus ipse parat Aſsuerus, ampliſſimum, regium, ſupra fidem, & votum: cuius ſingula quæque fercula integro ſuperbiunt patrimonio diuinitatis; quòd delicatiùs curat fames, delibat parcè temperantia: adsunt ad conuiuarum ſeruitium caſtimonia, vigilantia, ſapientia, contemplatio: quid magnificentius? Cautum porrò eſt priscis conuiuij legibus, vt nullus mœſta accubare fronte audeat. Scilicet, remiſſior afferendus lautiſſimo huic conuiuio animus, ſoluta mens, frons læta, abſterſa denique lachryma ieiunandum. Itaque nihil animo con-

a Chryſoſt.

b Tertul.

conſternationis auſpicatiſſimo hoc pœnitentiæ tempore indulgendum: nam niſi in cute extima, nihil in pœnitentia asperum, moleſtum nihil: & cùm cineri caput aperimus, aureo proludimus coronamento; cùm ieiunia ritè celebramus, Diuinitatis annona viuimus; cùm lachrymas fundimus, luxuriat irrorata virtutum ſeges; cùm humi cubamus, æquales aſtris gradimur; cùm cilicium induimus, triumphamus paludamento. Eapropter vna nobis alacritas, ieiunium, ac pœnitentiam ineuntibus commendatur, vt quam à carnis afflictatione lætitiam haurimus, ingenti illo, æternùmque duraturo gaudio cumulemus. Dixi.

ORATIO

Habita Feria Quarta Cinerum.

Ad Innocentium Pontif. Decimum.

TRiſtior hodierna luce Chriſtianæ Eccleſiæ facies, inperſa præſertim ſummis, infimis ſacro puluere cæſarie; adeſse pœnitentiæ dies, ac ſolenne, magnumque ieiunium, indicat B. P. Quò verò potiſſimùm quadragenariæ hæ feriæ, ac myſticus cinis collineent, vt paucis hoc eſt, quadam accommodata tempori dictionis parſimonia exponam; ponite vobis ob oculos ampliſſimam naſcentis mundi ſcenam, primumque in ea gentium omnium Parentem, à præclara vi naturæ, à mundi Inſulis, à corporis, animique opibus florentiſſimum: qui quidem, ſuas in eo theatro partes dum agit, idem ipse ſpectator, qui actor; breui ab eo rerũ culmine, ac faſcibus deiectus, fabulam exhibuit, ſibi peracerbam, feris nepotibus luctuosam, orbi condito deplorandam, ipsa Numinis commiſeratione dignam. Quæ dum com-

commemoro,alterum incurrit in mentis oculos triſtius profectò ſpectaculum, quod ipſum cæli proſcenium , ac ſydera funeſtauit. Quid nanque tragico plauſu dignius,quàm ſummum Angelum,Deo proximum, diuinæ paludamento lucis, vnde & nomen inuenit,prænobilem,ab ipſo diuinitatis veſtibulo,poſita trabea,exutoq; principe,ſuis cũ legionibus caſu præcipiti corruiſse?Iã verò,ſi propiùs hinc hominis,hinc angeli exitiũ inſpicias,illum quidẽ comperies,laxato per ſummum intemperantiæ dedecus genio,ac gulæ fræno,ſuo principatu deuolutum: hunc verò quodam ſuperbiæ turbine elatum, actumque ſupra cælum, ac aſtra, grauiore inde lapſu , ac altiùs decidiſse. Gemino huic malo vt occurreret Chriſtiana Eccleſia,inſtituta ſolẽni ritu anniuerſaria Quadrageſimę obſeruantia,hinc Cinere,atterendo,videlicet, propagato ab angelis faſtui,mortalium verticem reſpergit: hinc auitæ intemperantiæ vindicandæ, publicam indicit abſtinentiã. Et in cinere quidem diſpertiendo ipſamet eximia quadam oris dignitate , breuique facundia perorat. Auditis? Memento, quia cinis es. Tuus, inquit, te cinis, in quem vitę fax labitur,erudiat. Ne te nimiùm prænobilis, atque hauſtus cælo animus efferat : quando precarij ſpiritus cùm ſis , animatus quidam, atque inambulans cinis appellari potiùs, ac veriùs debes. Struantur lautiùs epulæ, aurum indue, aut congere, capeſse honorum infulas : ſi neſcis, alendo, ornandoque cineri deſudas. Huic ingenium, forma, opes, faſces vectigales ſunt. Huc rerum humanarum apparatus , ac pompa : huc domorum , quas incolis , laxitas ; vrbium ſpatia, quibus dominaris; quę aras,camporum iugera; ampliſſima, per quæ peregrinaris,mundi climata degenerant:officiorum, votorum ,operum meta vrna eſt, in qua cinerem componas tuum. Igitur, vt inſitam humano capiti ſuperbiam frangas ; vt elatos nimiùm ſpiritus , ac ſumma veluti papauera decutias; vt intra nubes, ac aſtra te, volatuſque tuos contineas ; Memento,quia cinis es.Quid ſolidum,aut ſplendidum in cinere?Quid aureum ſuperbit ſimulacrũ,cui pedes lutei? Quid per aſtra ineptus philoſophus peregrinaris , cui tàm propè

in

in foueam, ac cinerem caſus ? Quid denique mundicijs, atq; elegantijs vitæ perditè delectaris, tàm alto, tàm intimo puluere ſordidatus ? Hæc obterendæ ſuperbiæ Eccleſia; quæ modò vt gulam, mundo veluti coæuam, ac collactaneum emendet; ijs nos Prophetæ adhortamentis ad abſtinentiam prouocat: Sanctificate ieiunium. Noſtis malorum Iliadem à gula: noſtis nonniſi ea aurigante, inuecta in Orbem tot calamitatum portenta: fœderatas in genus hominum ſyderum poſitiones, Cæli minas, terrarum hiatus, bellorum impetus; peſtilitates, famem, morbos à gula noſtis: ſanctificate igitur ieiunium, ad vitæ nempè fauſtitatem, felicitatem, ad morũ formam, ac decus; ad incrementa virtutum, ad ſanctimoniæ laudem: cui alimentum Cæli nectar; cultus animi candor; comes ſapientia; famulitium pietas, religio, fortitudo, æquitas. Planè non hic auream illam, ac ſeueriorem priſci æui ieiuniorum obſeruantiam Eccleſia præcipit imitandam: verùm quòd neſcio quid intempeſtiui ſplendoris, ac magnificentiæ irrepſiſſe in ipſas pœnitentiæ cœnas aduertit, hoc maximè monet, vt conſecrari ad ſanctiorem quandam normam ieiunia, contingat. Sanctificate, inquit, ieiunium. Sic veſtris non modò ratio, ac menſura menſis, ſed ſanctitas. Diſcite, proſcripto deliciarum vſu, veſtrum nonnihil fraudare genium: non ea ſit in ſqualore ieiunij mundicies, ac pretiũ: non adeò excitando guſtui ingenioſæ terantur, ac deſudent manus: Valeant epulæ Saliares: abeant à Chriſtiana temperantia irritamenta, illecebræ, ſplendor omnis. Sic perſanctè ieiunium inſtituimus: ſic cineri, quem capiti imponimus, aptè reſpondet abſtinentia; ac Regem illum longè ſanctiſſimum imitamur, qui ad ſuæ pœnitentiæ corollarium, ſanctificato ritè ieiunio, Cinerem tanquam panem manducabat.

Dixi

ORATIO

Habita Feria 4. Cinerum

Ad Alexandrum Pontif Septimum.

SOlemne, ac repetitum ſtatis hiſce anni ferijs ieiunium,
cùm indicitur, B. P. quo vitæ, ac morum cultu excipien-
dum, ſeruandumque mortalibus ſit, ipſa, quæ iubet, Chri-
ſtiana Eccleſia, externa oris ſpecie, atque habitu docet. Squa-
let à cinere capillamentum, vt mentem erudiat mortalitatis
recordatio. Alius eſt matronali in ſtola color, vt pœni-
tentiæ moneat triſte ſyrma. Grauior quidam inductus ſa-
crorum titus, ad ſeuerioris quoddam virtutis inuitamẽtum.
Denique vbique luctus, vbique lachryma: In fletu, & plan-
ctu. Scilicet, hoc apparatu ineunda publica isthæc temperan-
tia, ac fames: ea mente ieiunium auſpicandum, vt ſimul, &
opes corporis atterat adſtrictior annona; & vtiliore quadam
à noxis abſtinentia animum, moreſque emendet ſanctior di-
ſciplina. Itaque geminatum ieiunium, alterum mulctando
corpori, expiandæ, exornandæque menti alterum, breui qui-
dem, ac pro temporis ratione strictim explicandum. *P*lanè
præſtantiſſimum ex ſe ieiunium cùm ſit; vt quod in ipſis na-
ſcentis mundi cunabulis ſuos inter hortorum delicias, ac flo-
rum areolas natales habuit, iuſtitiæ, gratiæque primigeniæ
penè collactaneum; tùm hoc præſertim Quadragenarium,
quod ab vniuerſitate Eccleſiæ eximia religione vſurpatur,
amplitudo, dignitas, ſplendor, fructus nimiùm, quantum
commendet. Etenim quando ſuum cuique operi pretium,
ac decus auctor ipſe operis facit; quantùm hauſerit pulcher-
rimæ laudis anniuerſaria, ac prolixior hæc noſtræ abſtinen-
tiæ periodus à Saluatore ipſo Deo, qui ieiuniorum hunc cur-
ſum eſuritione, fameque ſua inſtituit, ac dedicauit? Viſus
profectò ieiunus Dominus pręclaro ſui exemplo, ac veluti
attactu, non vtcumque eduliorum hanc parſimoniam cõſe-
cras-

craſse; ſed quandam etiam illi afflauiſse diuinitatem: atque adeò imbuiſse cælesti quodam nectare inemptas dapes; famem, ſitim delicijs largiùs reperſiſse, ac ſupra quicquid est peregrini gustus, quæſitæque voluptatis condiuiſse. Enimuerò ab ieiuno Christi ore, quod diuinum, quod aureum; vbi fauus distillans; vbi lilia diſtillantia myrrham primam; vbi Suadę medulla, ac flos; vbi vitæ æternæ verba; vbi diffusa amœnitas, & gratia; à ieiuno, inquam, Christi ore quidni amęnitatem, gratiam, vitam, fauum, nectar Christiana abstinentia delibauerit. Hinc ampliſſimo licet struantur luxu epulæ triumphales, ſi cum hoc ieiunio conferantur, ieiunium triumphabit. Cumulent pelagi opulentia, ac strage nemorum menſas ſuas Mæcenas, Apicius, ſummi gulæ proceres; quantò lautius ieiuno opsonium è Cæli penu? Nulla quidem nostris apponuntur ieiunijs scitamenta; non Siculæ dapes; non pretioſè innutritus domeſtico lacu piscis; non margaritum ſuperbè eliquatur; non per alieni Orbis prouincias peregrinatur guſtus: attamen nihil quadragenaria hac temperantia ſplendidius, nihil ſumptuoſius: nempè inſtar omniũ eſt Chriſti ore, ac vsu ſancitum, nobilitatumque ieiunium. Cui nihilominùs niſi alterum, quo à vitijs abſtinemus, innectimus; nihil inde, inquit magnus Pontifex Leo, conformandis moribus emolumenti, ac fructus. Nam quæ demum Chriſti Fidelibus abſtinentia ea eſt; quæſitiores ablegare cœnas; ſi alienas deindè opes animo, ac ſpe vorent? metiri pocula, ſi aurum ſitiant? tolerare famem, ſi petant peracri dente mortalium famam, ac decus? Quid? à ieiunio palleſcimus? quid hic ad ornatum animi pallor? eſurimus? quid inde alimenti, ac frugis ad incrementa virtutum? vires atterimus? quid ſi ſuus adhuc eſt corruptæ menti vigor? Igitur ita affli-ctando corpori vacet abſtinentia, vt ſuam etiam famē condiſcat, quæ potior eſt, atque excellentior animi pars: ne illo à ieiunijs arido, pingueſcat ſubindè à ſagina vitiorum mens. Sic à geminato hoc ieiunio, & affulſiſse fauſtè, & effulxiſse perſanctè, fructuoſèque Quadrageſimæ dies probè intelligemus. Dixi.

Simoni Rao, Epiſcopo Pactenſi S.D.

EPISTOLA LXXXII.

PEregrinari longiùs literas ad me tuas oportuit, Antiſtes Illuſtriſs. nam qui Romæ eram, cùm in Siciliam, atque ad Pactenſis Eccleſiæ tuæ curas velificaſti; Mediolanum non ita poſt multò arripere iter debui, ac ſequi Sermonetæ Ducem, qui Inſubriam ſummo nunc iure adminiſtrat. Plenæ beneuolentiæ, atque elegantiarum hæ literę: nempè ab humanitate, ac ingenio tuo: ab hoc cultum, & quicquid eſt mundiſſimæ dictionis; ab illa affectum, amoriſque ſignificationem habent planè ſingularem; vt neſciam, an elegantiorem vnquam, atque humaniorem epiſtolam legerim. Memoras Quirinales identidem ſermones in pulcherrima noſtra ea ſilunla ad aquarum bellè ſalientium murmur. Non æſtiuus hic canis allatrat, abrumpitque quietem ſecreti nemoris: ſcilicet, innexis, conſertiſque pulchrè ramis, & coniuratæ veluti lauri faceſsere hinc iubent Apollinem ſuum: & ſi, inuita luci, ac loci vmbra, aderat Phœbus, cùm tu aderas, ac teſtudinem auream pulsabas. Hic nanque tu, aut de ſcripto, aut memoriter recitare tuas, an Pindari? odas ſolitus eras, eo quidem nitore carminis, atque ingenij magnificentia expolitas; vt non certè limatiùs, ac profundiùs eximius ille Thebanæ Fidicen, atque arbiter Lyræ pangeret. Videbaris tu mihi vtrumque Parnaſſi verticem occupaſse: ſorbuiſse, quicquid facundi laticis elicuit mendax vngula: aptaſse tuis humeris Pegaſi alas, ac pręteruolaſse Helicona. Neque mirum profectò erat, prænobilem illum impetum, ac furorem tuæ mentis mirari me; quando auritum ipſum nemus admirationem ſuam ſilentio teſtaretur. Quod me potiſſimùm ſtupore defixum incredibili non ſemel detinuit; ea fuit, quam moliris, de Chriſti Domini cruciatibus tragœdia. Alibi alios, hic te ipſum planè ſuperas. Nactus in cœſo Numine argumenti granditatem, loqui grandiùs, ac penè di-

diuiniùs minimè poteras. Solymæ olim Deo morienti ſcena fuit: theatrum tu illi amplificas: orbis quippè, & quicquid ſtylo tuo plaudet, proſceniũ erit. Proh! quæ cothurni maieſtas, quæ pompa ſyrmatis, quæ grauitas ſententiarum, ac pondus, quæ lima, qui cultus! In luctu ipſo flos quidam dictionis ridet: in ipſo gemini ſolis deliquio, facundiæ ſplẽdorem, lucemque adauges: in tam luctuoſo hominis Dei caſu, carmen ita erigis, vt nihil ſupra: nihil in re tam perturbata incomptum: nihil in peracerbo hoc funere non viuidũ. Cogis iterum illachrymari Conditori ſuo naturam: iterum ſaxa, ac rupes ſcindit rediuiuus dolor: qui ſemel expalluit ad Dei ſanguinem Golgota, denuò exhorreſcit ab actuoſa tua Muſa: quæ diuinam exprimit ad viuum necem; nec repræſentat modò, ſed renouat ipſam lictorum rabiem, emotæ plebis conuicia, cruciamenta Numinis. Expectant cupidè tragicum hoc Opus theatra, ac proſequi tantum funus tuis lachrymis, tuo luctu, ingenio tuo incomparabili peruellent. Impone ſummam manum, ac pulcherrimam pulcherrimo Dramati coronidem: nam quamuis ſucceſſerint grauiores Sponſæ tuæ curæ; debes hoc etiam ſtudium Sponſo ſanguinum: neque par eſt, conſumatum olim à Seruatore opus, imperfectum deſtitui à tua manu. Hoc ipſe intimè voueo, ac ſpero ad tui æternitatem nominis.

Vale. Mediolani IV. Non. Quint. MDCLX.

Mi-

Michaeli Abbati Iuſtiniano S.D.

EPISTOLA LXXXIII.

ET valere te Romæ, & eſse apud ampliſſimum Cardinalem ſummo loco, vtrumque tibi nimio quidem opere gratulor, Iuſtiniane ornatiſſime. Quòd valeas non tua ſolummodò intereſt; ſed literarum etiam; quas ſtylo, atque eruditione tua oppidò amplificas. Quòd præclara magnæ Purpuræ conſuetudine vtaris, nihil profectò nomini, famæque tuæ ſplendidius. Nouimus Bernardinum Cardinalem Spadam, qui vt regia verè fronte, ac ſtatu corporis auguſtis eminet Romanæ aulę Patribus, ita præire ingenio, facundia, ſtudiorum quà grauitate, quà elegantijs, magnique animi indole videtur. Quocirca fieri vix poteſt, quin ſibi quiſque perſuadeat, illum doctrinarum laude, ac cæteris animi partibus præſtare, quem tantus intimè adamauerit, atque honeſtauerit Princeps: planè, ille te dignus, tu illo: accipis ipſe enimuerò magna; reddis neque parua, neque pauca: quippè vt tu ab eo inclyti Capitis ſtudio, affectuque inclareſcis: ita cum te ille, tuique ſimiles beneuolentia complectitur, ſplendorem adauget ſuum; ac ceu purpuram attexit purpuræ. Age, Vir fortunatiſſime, ſequere ſpartam, quam nactus es. Iam, quòd ais, moliri te opus, quo id maximè euincere contedis, rectè nimirùm ſua quempiam, ac ſuorum res præclarè geſtas ſcribere; pretium quidem operæ facis; at in lubrico verſatur calamus. Rarus nanque, quem non ita vellicet, abripiatque affectus, vt vbi de ſe commentari, aut ſuis contingat, non ſibi aliquantò liberaliùs indulgeat, ac velificet ambitioſiùs gloriæ. Natura comparatum eſt, vt quiſque mortalium ſua optet bono in lumine collocari, vt niteant: incorruptè autem id fiat, an ſecùs, nihil plerumque penſi habent. Polygnotum illum pingendi artificem libentiùs imitantur, quem aiunt, id potiſſimùm ſtuduiſse, vt quorum vultus exprimeret, non tam ſimiles, quàm meliores efficeret.

Ni-

Digitized by Google

Nihilo tamen minus rem eam eſse ex ſe honeſtiſſimam, atque ingenijs, officio, moribus, Maiorum gloriæ, poſterorum documento, ac fructui non incongruam, neminem puto eſse, qui id iure negauerit: & modò ſua hiſtoriæ fides conſtet, haud planè video, quo literatorum conſulto, ac lege cautum ſit, ne quis auorum facta memoratu digna, ac familiæ ſuæ decora poſteritati commendet. Hiſtorico id in primis propoſitum, vt perſanctè veritati litet, hoc eſt, ne quid falſi ſcriptioni appingat; ne tempori, aut auribus ſeruiat; ne in conſilium affectus vocet; ne quæſita curioſiùs dictio legentibus imponat; ne quid à mendaciorum bracteis accerſat lucis; ne diſſimulet; ne ſupprimat; ne minuat; in his vel leuiſſimè quiſquis peccat; is ille, ceu violatæ hiſtoriæ reus, communi gentium, ac præcipuè ſapientum ſuffragio meritò vapulat. Cæterùm aliena commentari, aut ſua, liberum puto ſcriptoribus, quibus, quicquid eſt ex ſe egregium, ac pulchrum; quicquid informare hominum indolem, ſtudia, ingenia, mores poſſit, ea demum peridonea ſcribendi materia, ac ſeges eſt. Coam Venerem, magnumque Alexandrum tanto cum orbis plauſu efformauit argutè Apelles: ſed neque minore quidem cum artis, ac nominis fama ſuos ipſe vultus delineaſset. Quid? pictori licuerit fluxam ſui oris ſpeciem coloribus exprimere; ſcriptori animi ſui vultus, æternamque mentis formam ſtylo repræſentare minimè licuerit? Non id vetitum ſibi voluit ex noſtris quidem Guido Bentiuolus, nitor ille, ac flos purpuræ; qui perindè Belgicus enſis exacuit calamum, vt eximia cum laude ad domeſtica etiam, ac priuatam rem ſuam ſcriptione diuerterit: ex priſcis verò Iulius Cæſar, inclytus clarorum operum auctor, ac ſcriptor, qui ſui vim pectoris, peracre ingenium, ſuſceptas feliciter expeditiones, momenta bellorum, ſuperata locorum ardua, domitam Galliam, expugnationes, palmas, triumphos ſuis ipſemet literis conſignauit: vt ſimul & fecerit ſtrenuè, quæ ſcriberet; & ſcripſerit eleganter, quæ fecit, diuiſo ex æquo munere enſi, & ſtylo: planè vt neſcias, vter eius ſeruierit opportuniùs, ac magnificen-

cen-

Digitized by Google

centiùs famæ: quando ſua Cæſarem facta fortiſſimum prædicent; Commentarij verò & ipsum,& fortia eius facta æternitati tranſcribant. Certè, ſi eadem hac eloquentiæ,ac ſtyli facultate Curij, Camilli, Scipiones, Fabij, aliaque romanæ virtutis lumina valuiſſent, haud quidem exterorum vigilias, ac decora ingenia expectaſſent: ſua ipſimet lucubraſſent, vberiùs profectò, ac diligentiùs. Siquidem eo præſertim nomine domeſtica quisque, ac ſua congruentiùs explicat, quòd cum res ſuas nouerit ad vnguem omnes, neque initia ipsa rerum, cauſæ, conſilia, tempus, locus illum lateant; ita narrat,vt nihil in eius deſideres commentarijs: perenni narrationis filo, ac ſerie, rerum nempe ſuarum ſcientiſſimus, hiſtoriam contexit: nullus ibi hiatus, lacunarum nihil, nihil emancum, intercisum, mutilum. Id quod in exteris plerumque ſcriptoribus ſecus accidit. Nam cùm aliena ſcire omnia perdifficile omninò ſit; deſtitui rerum notitia, atque arcanorum præcipuè conſcientia, neceſſe eſt: eòque omittere coguntur nō pauca,aut è vulgi ſermonibus, triuijsque infarcire annales ſuos. At,inquiunt, Cicero,ſummus ille facundię artifex, ſua conſcribere non eſt auſus: vt propterea Lucæium,illuſtrem æui ſui ſcriptorem prolixè rogauerit, rerum ab ſe geſtarum commentarios adornaret. Planè, non ea eſt hiſtoriæ maieſtas, ac dignitas, quæ abſterrere virum, in eiusmodi dicendi, ſcribendique palęſtra exercitatiſſimum potuerit: igitur indecorum, certè ſuſpectum putabat, verſari in proprijs calamum: At enim rectiùs, herclè, alij, non auſum hanc tentare aleam Tullium, ne qui iudicijs, cauſisque perorandis, hoc eſt, in vehementiſſimo dicendi genere linguam elimauerat; atque adeò contorquere fulmina, ac detonare pro roſtris conſueuerat; eadem deinde verborum copia, amplitudine, ardoreque dictionis in molienda hiſtoria vteretur: quod quàm grauiſſimæ ſcriptioni ſit diſſentaneum,nulli meliùs perſpectum, quàm Ciceroni ipſi, qui, quid quemque ſcriptorem deceat, quis ſit cuiusque orationis character, idea, forma apprimè ipse nouerat, & docuerat accuratè alios. Sed exceſiſſe officij sui

par-

partes epiſtola hæc mea videri poteſt, nimis profectò auſa in eo argumento, quod tu diſertiſſimè ſtylo tuo verſas. Libaſſe nihilominùs, haud ſanè piget: atque interim perſuaſũ habeo, fore, vt tu, qui tuus eſt in ſcribendo candor, emunctique iudicij vſus, ſiue aliena, ſiue tua commenteris, æquè poſteritatis fructum, famamque nominis colliges. Vale diù. Mediolani. Id. Februar. MDCLXI.

Bernardino Camerario S.D.

EPISTOLA LXXXIV.

TErrent nos hoc anno, præſtantiſſime Camerari, à quadam naturæ malignitate prodigia. Quidam hic è patricio Ordine Mediolanenſis horum mihi elenchum propinauit, in Germania typis conſignatum, atque inde huc poſtea latinis exceptum literis, miſſum. Non pauca ea quidem: idque oppidò mirandum, eueniſſe omnia intra dies non ſanè multos. Nihil in ijs non tragicum, dirum, horridum, & quod decumanam aliquam cladem non apertè mortalibus intermineturꝰ. Viſa mihi profectò è tot monſtris multiplex exiſtere ærumnarum ſeges, ac non vna aperiri feralis ſcena: planè vt illa percurrere ſine ingenti quadam animi conſternatione, metuque vix potuerim: veluti non tam portenta, hoc eſt, ſigna impendentium malorum, quàm mala ipſa forent. Quid nanque inauſpicatius, ac triſtius, quàm momentò enormes fieri terrarum hiatus, atque immenſa inde ſtagna erumpere, ac euomi? patere ſepulcra, mutuiſque ardere odijs conſepultos Manes, ac pugnaciſſimè decertare inter ſe ſe in ipſo quietis ſinu oſsa? Cometem, præter ferale ſyrma, ſolutoſque ad horrorem crines, colore etiam ſubfuſco rerum funus, aut portendere, aut celebrare atratum? Solem nocte intempeſta ita Cælum exhilarare, vt teterrimam mortis effigiem, igneis etiam ſerpentibus implicitam, exprimerent radij? Funeſtari Thieſtæis epulis

 ge-

geniales menſas, atque abire in humanos artus cibos, defixi horrore commenſalibus? Quid cruentam lapidum grandinem? quid veſpillonibus, armatiſque viris inſtructas acies? quid Turcarum acinaces, fulgurranteſque in aere mucrones? quid complorantium voces, quid horribiles viſu laruas, atque omnigena interdiù, noctuque ſpectra? Sed mitto, quē dixi, elenchum, ne aliquem à meo calamo, ac metu fucum ſuſpiceris. Neſcio, an ea tibi circa pectus tunica adamantina, vt vultum legendo non mutes. Aueo ſubinde à te ſcire, vir doctiſſime, præter animi tui motus, quid ipſe hac tota de re ſentias. Sunt, qui ab teterrima hac rerum facie vltima humano generi metuant. Vnum, inquiunt, eiuſmodi oſtentum, vnumque in Cæli theatro caudatum ſydus miſcere regna, ac populos gens mortalium putat: quid hæc portentorum congeries, & confertiſſima vbique monſtra? Turcarum præſertim in Tranſiluania alluuio, eorumque innumeræ, diræque ſub ſignis phalanges immane, quantum timoris incutiant, ne perruptis ſuperioris Pannoniæ clauſtris, in Germaniam inuolent; factoque propiùs gradu, in pacatas etiam, ac florentiſſimas Italiæ regiones ferrum, & ignem vis illa barbarorum inferat. Sed fuerint hæc vilium animarum, terriculamenta; ſunt, qui generoſiùs ſpirant, ac ſentiunt. Nos, inquiunt, metu noſtro armamus monſtra: nos Cælum, terraſque nocentes facimus: laruas infantium ritu formidamus. Quid ſtrictos, ſuspenſoſque medio in aere mucrones, faceſque tàm longè poſitas timemus? Ludit natura aliquando, aut illudit; interdum etiam, concepta intimè lue, ægreſcit, ac per has veluti morborum criſes malum egerit, profligatque. Igitur, argumenta ſalutis, non indices calamitatum prodiere. Et verò, quòd ad cometem attinet, qui frequentior eſt, ac primarum partium actor in hoc proſcenio, ex eruditorum cenſu plerique tantùm abeſt, vt ceu triſtem nuntium carpant, ac damnent, vt quoties capillatum pulcherrimè, atque ad omnem elegantiam cirratum ſydus prodire in publicum viderint, illud veluti auſpicatiſſimum, ac fauſtitatis argumentum conſalutauerint: affirmantque,

com-

compertum ſibi hiſtoriarum fide, fauſtiſſima ſemper præfari ſolitam diſertiſſimam illam Cæli linguam. *Per* reliqua deinde prodigia non eſt, cur eat ſtylus. Vnum duntaxat non diſſimulauerim, quod pridem nos ipſi oculis vſurpauimus. Noſtra hac tempeſtate neſcio, an aliquid animos occupauerit luctuoſius, quam Veſuuij eruptio. Portentum id fuit, an portenta? cum noua ſubindè monſtra illa montium Lerna, ac fertilis terrorum hydra ederet. Viſa tellus aſſiduo, ingentique motu horridè trepidare: Cælum ipſum, adducto deſiſſimarum nubium ſipario, intueri atrox adeò ſpectaculum renuit; neque ea pelago tolerantia, quin retroactis mirè vndis, peſtem fugeret. Detonare horrendum in modum montis viſcera: ardere inter fumi volumina exitiali flamma vertex: defluere ad camporum vaſtitatem non vno flumine præceps ignis: vis cinerum, orbi contumulando, fœdare aerem, ac terras, atque ad extremas Neapolitani Regni partes, ventis aurigantibus, aſportari: grandes, combuſtæque eiaculatæ huc illuc cautes: exciſæ funditùs villæ, domus, templa, pagi, oppida. Sed, age, è tot prodigijs, præter ipſa prodigiorum incommoda, quid poſtmodū infortunij, ac cladis accidit? Malè quiſque Neapolitanæ rei ominari: actum de Campania: depoſitum florentiſſimum Regnum: hoſtes, excidia deprædicabant: cùm tamen eò minæ, ac monſtra euaſerint, vt aucta in circumiecta regione felicitas, ac veluti rediuiua ab eo cinere, lætiorque camporum fertilitas viſa fuerit, vberiore conſequentibus mox annis vindemia, ac ſegete. Excurrit huc haud quidem grauatè calamus: interim quæ mittimus, prodigia, perlege, atque vtinam fauſta mihi accidant ab adaucta beneuolentia in me tua. Vale.

Mediolani X. kal. Maij

MDCLXI.

Portenta viſa à die prima Octobris anni MDCLX. vſque ad diē primū Aprilis per diuerſas Orbis partes.

IN Bulgaria Perniæ hiatus factus eſt in latitudinē ſexaginta milliariorum Italorū: immenſū ibidē emerſū ſtagnū.

Presdæ in Metropoli Saxoniæ in templo B. M. V. plura aperta ſunt ſepulcra, in quibus audita ſūt oſsa mutuò ſe collidere, & quotidiè noua audiuntur monſtra , & lachrymosæ ſtrepunt voces .

Propè eandem Metropolim in flumine Alba viſæ sunt tres inuſitatæ magnitudinis naues, verso flumine, portari in terram: ex prima naui descendebant infantes in albis: ex altera homines cum inſtrumentis, quibus vtuntur vespillones ad humanda corpora : ex tertia homines armati, qui mox sub oculis videntium vnà cum nauibus euanuerunt.

Ambergæ viſus eſt cometes fusco colore.

Porcinæ in Morauia media nocte visus eſt Sol, in cuius radijs deſcriptum mortis ſimulacrum fuit, ignitis ſerpētibus implicitum.

Lutetiæ *Pariſiorum* viſus cometa, cuius cauda extenditur in longitudinem vnius cubiti.

Cuidam ſimplici agricolæ visus fuit terribilis miles, Turcico habitu, ſtrictaque acinace, qui mox euanuit.

In Alsatia fuit grando ingens lapidum adeò durorum, & ſanguinei coloris , vt nec malleis supra incudem potuerint frangi; ſed superfuſa aqua , in ſanguineū liquorem emollijt.

In Regno Poloniæ varijs noctibus viſæ fuere Turcæ acinaces, & tela, caſtella, vrbes, terræ igne flagrare.

In diuerſis Germanię partibus per dies, ac noctes apparēt teterrima ſpectra, & diabolicæ laruæ terrent homines.

In Regno Pānoniæ inter conuiuantes cibi in patinis ſuper mensam conuerſi ſunt in humanos artus, & cruorem.

Hæc ex certiſſimis , & fide dignis hominibus typis Germanico idiomate mādata, trāslata in Latinū ſunt, non tā curioſis, quàm pijs viris, alliciendo illos, vt ſuis precibus cæleſtem indignationem auertere ſatagant.

Ma-

Mariæ Lancaſtriæ de Auero S. D.

EPISTOLA LXXXV.

VT appellare te literis meis auſim, Excell. Domina, ſingularis humanitas tua facit. Dignatus nanque eximia beneuolentiæ tuæ ſignificatione, temperare mihi minimè potui, quin tantæ animi celſitudini, quando ſolutioni ſum impar, ſtylo ſaltem, ac debiti profeſſione responderē. Petrum Caetanum, virum ex noſtris, quà genere, quà eruditione oppidò ſpectatum, me à tuo nomine conſalutasse, nihil enimuerò accidere mihi ſplendidius potuit. Quamquā nunquam ſine verecundia, atque oris purpura contigerit, honeſtari magnificè infimæ notæ hominem à præcipui nominis Heroina, cui præter regij ſanguinis lucem, præſtantium inſunt ornamenta virtutum, ac ſupra fœminam ingenium. Scio, te Ordinem noſtrum, ac Religioſos Matritenſis cænobij noſtri viros intimè complecti, ac fouere patrocinio: quo etiam nomine exhibere Excellentiæ tuæ obſeruantiam meam debui, atque vtinam, quod epiſtolæ permiſſum, præſtare coram, præsentique obſequio poſsem. Certè Dux Sermonetæ, Mediolanenſis rei Moderator, cuius ipse à confeſſionibus, ad regiam iſtam Aulam euocatus, hærere me ſuo lateri voluiſset: ſed vereor, vt à virium imbecillitate, ac ſenio conficere id longioris itineris poſſim. At enim, quæ me regio tenuerit, ſcias, beneuolentiæ, gratiæque tuę memorem ſemper fore Atque interim Excellentiæ tuæ parem meritis felicitatem, felicitati diuturnitatem opto, & voueo. Mediolani VI. Id. Sept. MDCLXI.

Hecto-

Hectori Gallo S. D.

EPISTOLA LXXXVI.

QVòd mittam tibi plurimam ſalutem,
Adſtricta numeris loquutione,
Hector candide, nec pedem ſoluta
Bellè dictio Tulliana currat:
Ardor pectoris impulit, furorque
Mentis Pieriæ, calente Phœbo.
Interdum iuuat alloqui diſertè
Muſarum Lyricis modis Amicos:
Oblectantque animos ſatis, ſuperque,
Si quando Aoniæ canunt Sorores.
Quòd ſi delicias amœniores
Deſcribas, nemorumque, fontiumque,
Et ſpectacula delicata villæ,
Tunc omnes ſimul aduocare Muſas,
Plectra & tangere laureata par eſt.
Ergò & Phocide, & auribus politis,
Et dignum cithara Lacum, Inſulamque
Expono facili tibi Camæna.
Verbanus, leuis alga quem coronat,
Et latos humeros virente muſco,
Humentique tegit comatus auro,
Ingens Inſubriæ lacus, capaci
Alpes ebibit alueo niuales.
Enatum ſiquidem inde, fluctuantem
Ticinum vitreo ſinu hoſpitatur;
Sed mox faucibus euomit ſuperbis,
Ceu diues pelago ſuo, remiſtas
Vndas reſpuat, aduenaſque fluctus.
Magnum quà patet Oſtium, minantur
In Cælum geminæ hinc, & hinc tonantes
Arces: ſic fugat hoſtium phalanges,

Argentoque ſuo excubat liquenti :
Vaſto hinc gurgite longiore tractu
Vndas porrigit, explicatque latè :
Vt dicas meritò lacum teramplum
Ægèo ſimilem, paremue magno.
Tranquillus placido ſinu quieſcit,
Et ceu perſpicuo vitro micantes
Ignes ſyderei refert theatri.
Stagnum cymbula diſsecat ſerenum;
Luditque in vitreis phaſelus vndis,
Dum molli lacus otiatur alga:
Sed ventis hyemantibus, ſuperbit
Interdum, & mariſ inſtar æſtuoſi
Spumat, fluctuat, intumeſcit, atque
Horrendùm rapidis furit procellis.

Eſt & ſquamigerum genus natantum;
Verbani populuſque, vernulæque.
Huc illuc vagus it, reditque piſcis;
Vndaſque exhilaratque, diuitatque.
Sunt, quos retibus extrahis doloſis,
Sunt, quos decipit vncinatus hamus:
Sat digni, pretio ſuo ſuperbas
Qui menſas onerent Apicianas.

Si quas alluit Inſuber virentes
Verbanus, lubet ambulare terras;
Pulchra pulchrius hic nihil videbis
Scena, quam faciunt vtrinque ripæ.
Centum hic oppida, nobileſque centum
Villæ fluctiuagum lacum coronant.
Perbellè hæc refluo imminere ſtagno
Spectas, & tremulis aquis lauari.

Sed quæ nobilitant magis, magiſque
Verbanum, & geminant amœnitatem,
Cerne in fluctibus Inſulas, ſororum
Ceu pulcherrima tecta Gratiarum,
Et conclauia fauſtitatis, atque

Ve-

Veris delicias, lares quietis.
Certant molibus Inſulæ, ſed vna
Harum pulchriùs alteram triumphat;
Et par eſt oculis frui parumper.
Proh, quantum hic operis labor polinit;
Et cura artificum vigil, manuſque.
Non largo Dominus pepercit auro:
Certantque ingenium, nitor, venuſtas.
Cernis? ſydera territant penates
Celso culmine, prouocantque Cælum.
Nempè & marmore, ſplendidoque luxu
Æquant Romula, Cæſarumque tecta.
Par ſplendor riguis vireſcit hortis.
Fontes hic saliunt, ſuisque conchis
Feruet ductilis vnda, murmuratque:
Argentumque vagum huc, & huc pererrans
Pallentes violæ bibunt, roſæque.
Myrtus Cypria, tonſiliſque buxus,
Et Parnaſſia laurus, & cupreſsus
Quàm bellè genium loci venuſtant!
Quid ſpirabilis aura ſiluularum?
Quid mitis nemorum vmbra, quæ furentes
Frangit ſyderei canis latratus?
Quid paſſim aurea mala? citriorum
Dicam penſile, quod vireſcit, aurum?
Non has Maurus Atlas ſuis in hortis,
Ramiſque auricomis opes legebat.
Nec Corcyra ferax nemus vetuſtum;
Aut iactet virides ſuos ſmaragdos.
Hinc Verbanus amans lacu calente,
Allambit cupidè Inſulam decoram,
Et blandè tremula oſculatur vnda,
Et complectitur vuidis lacertis.
Claros quin Dominos amat, colitque,
Gentem ſanguine ſplendidam, ſagatæ
Floremque Inſubriæ, decuſque priſcum:

Quam

Quam cognatio Cælitum per aſtra
Sublimem vehit aureis quadrigis.
Sed tu, Galle, vale, meaque Muſæ
Libatum leuiter lacum intuere;
Et me dilige, quod facis, clientem.
Mediolani VIII. Id. Octob. MDCLXI.

Flauio Turriano S. D.

EPISTOLA LXXXVII.

EAdem me epiſtola ſimul morbi, ſimul incolumitatis tuæ monet. Achilles fuiſti, mi Turriane, cui telum quod imprimat vulnus, & ſanet. Literarum, morum, pietatis intereſt, te valere; planè vt non ſine bonorum ſenſu decumbas. A ſtudijs aliquantulum temperes, neceſse eſt: nam quæ lima ingenium, expolit corpus, atque annos atterit; ipſumque impalleſcere chartis rudimentum morbi eſt: ac veriſſimum illud, curſum à contentione, ac repetitis calcaribus aliquando lentum; quòd defatigari plus æquo, atque interiungere poſtea diutiùs contingat. Scire aues, an Mediolanēſis hæc Academia Faricoſorum eo, quo cœpit ardore animi, ac impetu pergat. Pergit: & ſi, illato non ita pridem vulnere peracerbo, viſa penè exanimis concidiſse, cùm maximè lætiſſima ſibi incrementa, ac fauſta omnia à florentiſſimo Principe gratularetur. Planè, in deligendo ſurgentis huiusce Reipublicæ moderatore, ac Principe diù, multumque deliberauerant: nouerant quippè, quantùm in eiusmodi cætibus formandis, amplificandiſque momenti habeat Principis, quà dignitas, quà virtus. Tandem in Ioannem Comitem Borromæum præclaro ſanè conſilio collimauerant, indictiſque more maiorum Comitijs, communi ſuffragatione, plauſuque omnium delegerant. Nihil profectò hac inclyti Capitis deſtinatione ſplendidius, ac opportunius. Inerant illuſtri planè

 viro,

viro, vt genus, & forma, ita & animi partes, muneri, ac faſcibus pares. Armis quidem à puero innutritus, præliares generoſo in pectore geſtabat ſpiritus; probaueratque non ſemel ſuis, ac hoſtibus in Inſubriæ campis vim quandã acerrimi bellatoris præferuidam. Ferebatur nihilominus impetu quodam in ſtudia literarum. Ingenium illi hiſtoriarum, ac priſci æui eruditione apprimè inſtructum. Æquo pede adire Lyceum, ac Helicona; partirique inter ſeria philoſophiæ ſtudia, ac Muſarum munditias curas ſuas videbatur. Quadam verò mentis celſitudine, ac magnificentia æquabat Reges. Nihil facilius, ac munificentius ea manu: complecti ſingulos: non officijs, non auro parcere. Et quod ad Academiam attinet, delatum ſibi ingeniorum Principatum perindè admiſit, vt eſse, & rectione, & loci cultu Princeps vellet. Enimuerò, aſsuetas ſiluis Muſas, quadam veluti in Regia collocare quàm ſplendidiſſimè apud animum ſuũ ſtatuerat. Laxare areã, atq; ornare quà picturis, quà ſtragulis parietes cogitabat. Cathedram, vt aureæ par eſset oratorum eloquentiæ, nitere ab egregio artificum opere, ac manu volebat. Subſellia, ac cæterum Academiæ inſtrumentum ſupra vulgarem modum deſignauerat. Symphoniacos etiam, ſtudijs exhilarandis, adeſse concentu ſuo iuſserat. Ergo nacti hunc maiorum gentium Principem Academici, in id incumbunt, vt illum ſolenni ritu, & pompa inaugurent. Inſcriptiones, elogia, verſus, panegyricum meditantur. Ne multis: dum feruet opus, redibat is curru vectus è quodam Ditionis ſuæ oppido Mediolanum; correptusque in itinere præcipiti morbi genere, in curru ipſo inter lectiſſimæ Coniugis, quæ aderat, manus, ac lachrymas expirauit. O iacturam, cladem que Academiæ planè luculentam. Verſa confeſtim in luctum cithara, acclamationesque abiere in næ-nias: atque id quidem potiſſimùm exulcerauit, quòd diuerberauerit vix oculos breuis ea lux, poſitis nempè faſcibus, quos nondum capeſſiuerat. Indicta mox parentalia, ac perſoluta pro modo magnificè. In atrata ad mœroris ſpecimen aula pleràque pro parietibus virtus ſeſsum fecere; collachry-

ma-

mari Muſarũ chorus: diſſipata per omnes angulos trophæa mortis; atque inter hæc expreſſa omnigenis numeris elati Principis laudes: demum dicta panegyrica Oratio, quæ memorata regia Viri indole, deſiderium acriùs excitauit. Contigit mihi, neſcio quid pangere. E multis, ne ſim faſtidio, Odem tantùm mitto. Academia ipſa Faticoſorum loquitur. Scilicet, ingentem animi mœrorem non ita omnes abſorbuiſſe lachrymas oſtendit, quin aliquas per hanc effunderet Næniam. Stimulos, vt vides, addo, vt tua viciſſim mittas, pro æneis nempè aurea. Salutem, quam tibi plurimam dico, vt germano fratri nunties à meo nomine, etiam atque etiam rogo. Vale. Mediolani Non. Nouemb. MDCLXI.

In Funere Ioannis Comitis Borromæi Faticoſorum Academiæ Principis.

O D E

Academiæ Proſopopæa.

DVcem Lycèi deſtinat Inſubrum
  Te docta pubes, vnaque pronior.
  Politioris tu Mineruæ,
    Imperij & cape fræna noſtri.
Hæc ipſa paucis: Principis annuit
Suffuſus oſtro vultus amabili,
  Et fronte, quam fingit venuſtas,
    Sceptra capit, dominoſque faſces.

viro, vt genus, & forma, ita & animi partes, muneri, ac faſcibus pares. Armis quidem à puero innutritus, præliares generoſo in pectore geſtabat ſpiritus; probaueratque non ſemel ſuis, ac hoſtibus in Inſubriæ campis vim quandã acerrimi bellatoris præferuidam. Ferebatur nihilominus impetu quodam in ſtudia literarum. Ingenium illi hiſtoriarum, ac priſci æui eruditione apprimè inſtructum. Æquo pede adire Lyceum, ac Helicona; partirique inter ſeria philoſophiæ ſtudia, ac Muſarum munditias curas ſuas videbatur. Quadam verò mentis celſitudine, ac magnificentia æquabat Reges. Nihil facilius, ac munificentius ea manu: complecti ſingulos: non officijs, non auro parcere. Et quod ad Academiam attinet, delatum ſibi ingeniorum Principatum perindè admiſit, vt eſſe, & rectione, & loci cultu Princeps vellet. Enimuerò, aſſuetas ſiluis Muſas, quadam veluti in Regia collocare quàm ſplendidiſſimè apud animum ſuũ ſtatuerat. Laxare areã, atq; ornare quà picturis, quà ſtragulis parietes cogitabat. Cathedram, vt aureæ par eſſet oratorum eloquentiæ, nitere ab egregio artificum opere, ac manu volebat. Subſellia, ac cæterum Academiæ inſtrumentum ſupra vulgarem modum deſignauerat. Symphoniacos etiam, ſtudijs exhilarandis, adeſſe concentu ſuo iuſſerat. Ergo nacti hunc maiorum gentium Principem Academici, in id incumbunt, vt illum ſolenni ritu, & pompa inaugurent. Inſcriptiones, elogia, verſus, panegyricum meditantur. Ne multis: dum feruet opus, redibat is curru vectus è quodam Ditionis ſuæ oppido Mediolanum; correptusque in itinere præcipiti morbi genere, in curru ipſo inter lectiſſimæ Coniugis, quæ aderat, manus, ac lachrymas expirauit. O iacturam, cladeinque Academiæ planè luculentam. Verſa confeſtim in luctum cithara, acclamationesque abiere in nænias: atque id quidem potiſſimùm exulcerauit, quòd diuerberauerit vix oculos breuis ea lux, poſitis nempè faſcibus, quos nondum capeſſiuerat. Indicta mox parentalia, ac perſoluta pro modo magnificè. In atrata ad mœroris ſpecimen aula pleràque pro parietibus virtus leſsum fecere: collachry-

ma-

Digitized by Google

mati Muſarū chorus: diſſipata per omnes angulos trophæa mortis; atque inter hæc expreſsa omnigenis numeris elati Principis laudes: demum dicta panegyrica Oratio, quæ memorata regia Viri indole, deſiderium acriùs excitauit. Contigit mihi, neſcio quid pangere. E multis, ne ſim faſtidio, Odem tantùm mitto. Academia ipsa Faticoſorum loquitur. Scilicet, ingentem animi mœrorem non ita omnes abſorbuiſse lachrymas oſtendit, quin aliquas per hanc effunderet Næniam. Stimulos, vt vides, addo, vt tua viciſſim mittas, pro æneis nempè aurea. Salutem, quam tibi plurimam dico, vt germano fratri nunties à meo nomine, etiam atque etiam rogo. Vale. Mediolani Non. Nouemb. MDCLXI.

In Funere Ioannis Comitis Borromæi Faticoſorum Academiæ Principis.

O D E

Academiæ Proſopopæa.

DVcem Lycęi deſtinat Inſubrum
  Te docta pubes, vrnaque pronior.
 Politioris tu Mineruæ,
   Imperij & cape fræna noſtri.
Hæc ipsa paucis: Principis annuit
Suffuſus oſtro vultus amabili,
 Et fronte, quam fingit venuſtas,
   Sceptra capit, dominosque faſces.

viro, vt genus , & forma , ita & animi partes , muneri , ac
faſcibus pares . Armis quidem à puero innutritus , prælia-
res generoſo in pectore geſtabat ſpiritus ; probaueratque
non ſemel ſuis , ac hoſtibus in Inſubriæ campis vim quandã
acerrimi bellatoris præferuidam. Ferebatur nihilominus
impetu quodam in ſtudia literarum. Ingenium illi hiſto-
riarum, ac priſci æui eruditione apprimè inſtructum. Æquo
pede adire Lyceum, ac Helicona; partirique inter ſeria phi-
loſophiæ ſtudia, ac Muſarum munditias curas ſuas videba-
tur . Quadam verò mentis celſitudine , ac magnificentia
æquabat Reges. Nihil facilius , ac munificentius ea manu:
complecti ſingulos : non officijs, non auro parcere. Et quod
ad Academiam attinet , delatum ſibi ingeniorum Principa-
tum perindè admiſit, vt eſse , & rectione, & loci cultu Prin-
ceps vellet. Enimuerò , aſsuetas ſilnis Muſas , quadam ve-
luti in Regia collocare quàm ſplendidiſſimè apud animum
ſuũ ſtatuerat. Laxare areã, atq; ornare quà picturis, quà ſtra-
gulis parietes cogitabat. Cathedram, vt aureæ par eſset ora-
torum eloquentiæ, nitere ab egregio artificum opere, ac ma-
nu volebat. Subſellia , ac cæterum Academiæ inſtrumentum
ſupra vulgarem modum deſignauerat. Symphoniacos etiam,
ſtudijs exhilarandis , adeſse concentu ſuo iuſserat. Ergo na-
cti hunc maiorum gentium Principem Academici, in id in-
cumbunt , vt illum ſolenni ritu , & pompa inaugurent. In-
ſcriptiones, elogia, verſus, panegyricum meditantur . Ne
multis: dum feruet opus , redibat is curru vectus è quodam
Ditionis ſuæ oppido Mediolanum ; correptusque in itinere
præcipiti morbi genere, in curru ipſo inter lectiſſimæ Con-
iugis , quæ aderat , manus , ac lachrymas expirauit . O iac-
turam , cladem que Academiæ planè luculentam . Verſa
confeſtim in luctum cithara, acclamationesque abiere in næ-
nias : atque id quidem potiſſimùm exulcerauit, quòd diuer-
berauerit vix oculos breuis ea lux, poſitis nempè faſcibus ,
quos nondum capeſſiuerat . Indicta mox parentalia, ac per-
ſoluta pro modo magnificè. In atrata ad mœroris ſpecimen
aula pleraque pro parietibus virtus ſeſsum fecere: collachry-

ma-

Digitized by Google

mati Muſarũ chorus: diſſipata per omnes angulos trophæa mortis; atque inter hæc expreſsa omnigenis numeris elati Principis laudes: demum dicta panegyrica Oratio, quæ memorata regia Viri indole, deſiderium acriùs excitauit. Contigit mihi, neſcio quid pangere. E multis, ne ſim faſtidio, Odem tantùm mitto. Academia ipsa Faticoſorum loquitur. Scilicet, ingentem animi mœrorem non ita omnes abſorbuiſse lachrymas oſtendit, quin aliquas per hanc effunderet Næniam. Stimulos, vt vides, addo, vt tua viciſſim mittas, pro æneis nempè aurea. Salutem, quam tibi plurimam dico, vt germano fratri nunties à meo nomine, etiam atque etiam rogo. Vale. Mediolani Non. Nouemb. MDCLXI.

In Funere Ioannis Comitis Borromæi Faticoſorum Academiæ Principis.

ODE

Academiæ Proſopopæa.

DVcem Lycēi deſtinat Inſubrum
  Te docta pubes, vrnaque pronior.
 Politioris tu Mineruæ,
   Imperij & cape fræna noſtri.
Hæc ipsa paucis: Principis annuit
Suffusus oſtro vultus amabili,
 Et fronte, quam fingit venuſtas,
  Sceptra capit, dominosque faſces.

 Hinc

Hectori Gallo S. D.

EPISTOLA LXXXVI.

QVòd mittam tibi plurimam ſalutem,
Adſtricta numeris loquutione,
Hector candide, nec pedem ſoluta
Bellè dictio Tulliana currat:
Ardor pectoris impulit, furorque
Mentis Pieriæ, calente Phœbo.
Interdum iuuat alloqui diſertè
Muſarum Lyricis modis Amicos:
Oblectantque animos ſatis, ſuperque,
Si quando Aoniæ canunt Sorores.
Quòd ſi delicias amœniores
Deſcribas, nemorumque, fontiumque,
Et ſpectacula delicata villæ,
Tunc omnes ſimul aduocare Muſas,
Plectra & tangere laureata par eſt.
Ergò & Phocide, & auribus politis,
Et dignum cithara Lacum, Inſulamque
Expono facili tibi Camæna.
Verbanus, leuis alga quem coronat,
Et latos humeros virente muſco,
Humentique tegit comatus auro,
Ingens Inſubriæ lacus, capaci
Alpes ebibit alueo niuales.
Enatum ſiquidem inde, fluctuantem
Ticinum vitreo ſinu hoſpitatur;
Sed mox faucibus euomit ſuperbis,
Ceu diues pelago ſuo, remiſtas
Vndas reſpuat, aduenaſque fluctus.
Magnum quà patet Oſtium, minantur
In Cælum geminæ hinc, & hinc tonantes
Arces: ſic fugat hoſtium phalanges;

Ar-

Argentoque ſuo excubat liquenti.
Vaſto hinc gurgite longiore tractu
Vndas porrigit,explicatque latè:
Vt dicas meritò lacum teramplum
Ægèo ſimilem, paremue magno.
Tranquillus placido ſinu quieſcit,
Et ceu perſpicuo vitro micantes
Ignes ſyderei refert theatri.
Stagnum cymbula diſſecat ſerenum;
Luditque in vitreis phaſelus vndis,
Dum molli lacus otiatur alga:
Sed ventis hyemantibus, ſuperbit,
Interdum, & maris inſtar æſtuoſi,
Spumat, fluctuat, intumeſcit, atque
Horrendùm rapidis furit procellis.
  Eſt & ſquamigerum genus natantum;
Verbani populuſque, vernulæque.
Huc illuc vagus it, reditque piſcis;
Vndaſque exhilaratque,diuitatque.
Sunt, quos retibus extrahis doloſis,
Sunt, quos decipit vncinatus hamus:
Sat digni, pretio ſuo ſuperbas
Qui menſas onerent Apicianas.
  Si quas alluit Inſuber virentes
Verbanus, lubet ambulare terras;
Pulchra pulchrius hic nihil videbis
Scena, quam faciunt vtrinque ripæ.
Centum hic oppida, nobileſque centum
Villæ fluctiuagum lacum coronant.
Perbellè hæc refluo imminere ſtagno
Spectas, & tremulis aquis lauari.
  Sed quæ nobilitant magis, magiſque
Verbanum, & geminant amœnitatem,
Cerne in fluctibus Inſulas, ſororum
Ceu pulcherrima tecta Gratiarum,
Et conclauia fauſtitatis, atque

Ve-

Veris delicias, lares quietis.
Certant molibus Inſulæ, ſed vna
Harum pulchriùs alteram triumphat;
Et par eſt oculis frui parumper.
Proh, quantum hic operis labor polinit;
Et cura artificum vigil, manuſque.
Non largo Dominus pepercit auro:
Certantque ingenium, nitor, venuſtas.
Cernis? ſydera territant penates
Celso culmine, prouocantque Cælum.
Nempè & marmore, ſplendidoque luxu
Æquant Romula, Cæſarumque tecta.
Par ſplendor riguis vireſcit hortis.
Fontes hic saliunt, ſuiſque conchis
Feruet ductilis vnda, murmuratque:
Argentumque vagum huc, & huc pererrans
Pallentes violæ bibunt, roſæque.
Myrtus Cypria, tonſiliſque buxus,
Et Parnaſſia laurus, & cupreſsus
Quàm bellè genium loci venuſtant!
Quid ſpirabilis aura ſiluularum?
Quid mitis nemorum vmbra, quæ furentes
Frangit ſyderei canis latratus?
Quid paſſim aurea mala? citriorum
Dicam penſile, quod vireſcit, aurum?
Non has Maurus Atlas ſuis in hortis,
Ramiſque auricomis opes legebat.
Nec Corcyra ferax nemus vetuſtum;
Aut iactet virides ſuos ſmaragdos.
Hinc Verbanus amans lacu calente,
Allambit cupidè Inſulam decoram,
Et blandè tremula oſculatur vnda,
Et complectitur vuidis lacertis.
Claros quin Dominos amat, colitque,
Gentem ſanguine ſplendidam, ſagatæ
Floremque Inſubriæ, decuſque priſcum:

Quam

Quam cognatio Cælitum per aſtra
Sublimem vehit aureis quadrigis.
Sed tu, Galle, vale, meaque Muſa
Libatum leuiter lacum intuere ;
Et me dilige, quod facis, clientem.
Mediolani VIII. Id. Octob. MDCLXI.

Flauio Turriano S. D.

EPISTOLA LXXXVII.

EAdem me epiſtola ſimul morbi ; ſimul incolumitatis tuæ monet. Achilles fuiſti, mi Turriane, cui telum quod imprimat vulnus, & ſanet. Literarum, morum, pietatis intereſt, te valere; planè vt non ſine bonorum ſenſu decumbas. A ſtudijs aliquantulum temperes, neceſse eſt: nam quæ lima ingenium; expolit corpus, atque annos atterit; ipſumque impalleſcere chartis rudimentum morbi eſt: ac veriſſimum illud, curſum à contentione, ac repetitis calcaribus aliquando lentum; quòd defatigari plus æquo, atque interiungere poſtea diutiùs contingat. Scire aues, an Mediolanēſis hæc Academia Faricoſorum eo, quo cœpit ardore animi, ac impetu pergat. Pergit: & ſi, illato non ita pridem vulnere peracerbo, viſa penè exanimis concidiſse, cùm maximè lætiſſima ſibi incrementa, ac fauſta omnia à florentiſſimo Principe gratularetur. Planè, in deligendo ſurgentis huiusce Reipublicæ moderatore, ac Principe diù, multumque deliberauerant: nouerant quippè, quantùm in eiusmodi cætibus formandis, amplificandiſque momenti habeat Principis, quà dignitas, quà virtus. Tandem in Ioannem Comitem Borromæum præclaro ſanè conſilio collimauerant, indictiſque more maiorum Comitijs, communi ſuffragatione, plauſuque omnium delegerant. Nihil profectò hac inclyti Capitis deſtinatione ſplendidius, ac opportunius. Inerant illuſtri planè

mati Muſarũ chorus: diſſipata per omnes angulos trophæa mortis; atque inter hæc expreſsa omnigenis numeris elati Principis laudes: demum dicta panegyrica Oratio, quæ memorata regia Viri indole, deſiderium acriùs excitauit. Contigit mihi, neſcio quid pangere. E multis, ne ſim faſtidio, Odem tantùm mitto. Academia ipsa Faticoſorum loquitur. Scilicet, ingentem animi mœrorem non ita omnes abſorbuiſse lachrymas oſtendit, quin aliquas per hanc effunderet Næniam. Stimulos, vt vides, addo, vt tua viciſſim mittas, pro æneis nempè aurea. Salutem, quam tibi plurimam dico, vt germano fratri nunties à meo nomine, etiam atque etiam rogo. Vale. Mediolani Non. Nouemb. MDCLXI.

In Funere Ioannis Comitis Borromæi Faticoſorum Academiæ Principis.

O D E

Academiæ Proſopopæa.

DVcem Lycèi deſtinat Inſubrum
Te docta pubes, vrnaque pronior.
Politioris tu Mineruæ,
Imperij & cape fræna noſtri.
Hæc ipsa paucis: Principis annuit
Suffuſus oſtro vultus amabili,
Et fronte, quam fingit venuſtas,
Sceptra capit, dominoſque faſces.

Hinc Pimpla tanto, Phocis & ardua
Inaugurato Principe, geſtijt
Plauſere Libetræa olorum
Agmina,& Aonidum manipli,
Quæ literarum iam ſeges aurea
Surgebat ! ô quas Pegaſus vngula
Sublimis vndas erudita
Pollicitus potiore vena !
Iam noſtra Phœbi tecta Sororibus
Deuota, doctæ Palladis artibus
Exculta florent ; iam diſertis
Ingenijs reſonant Athenæ
Inſubrum. It vrbes fama per Italas ,
Vulgatque , pridem Marte ſub aſpero
Quà ærata meſſis fluctuabat ,
Cecropias viruiſſe lauros .
At fluxa noſtri gaudia pectoris ,
Difflata ſæuo votaque turbine ,
Quid vana iacto? quid ſuprema
Sceptra breui moderata nutu ?
O dira fati non ſuperabilis
Ærumna : amores ô nimiùm breues?
Vix fulſit ardens, vanuitque
Dulce meum, Patriæque Sydus.
Ceu fulgur, eheu, luce volubili
Euerberauit lumina ; nec ſatis
Agnouit obtutus decoram
Magnanimi effigiem Parentis?
Quæ blanda vultu gratia ! comitas
Quæ fronte dulcis ! luce ſupercili
Nil blandius : ſtat gratus ore
Ingenuo rigor, & venuſtas.
Sinu at ſupellex maior in intimo,
Auriga morum relligio, fides ,
Amorque recti , lex honeſti ,
Conſilium , niueuſque candor :

Nec

Nec cedit impar largior indoles:
Nam ſceptra Regum pectore diuite
Æquabat, ingens ſuetus aurum
Largiflua dare ſæpe dextra.
Quid Pallas ęrea culta ſub ægide?
Quid rauca Martis cornua, tibijs
Immixta Muſarum? ſeueri
Quid chalybis, calamique nexus?
It ille Pindi per iuga Theſsala,
Legitque flores prata per Attica:
Et priſca peruoluit, teritque
Aſſiduus monumenta rerum.
At ſi Gradiui claſſica perſtrepunt,
It præliari fronte minacior:
Laceſſit vltrò, vultu & enſem
Fulmineum rotat irretorto.
Equo inſidentem Gallus, & Allobrox
Videre celso tela per horrida.
Hic cædit, hic ſternit, fugatque
Caſtra ſupercilio, manuque.
Hunc falce dira meſsuit Atropos,
Virentis æui ſtamina & aurea
Abrupit immitis, dolore &
Inſubria immaduit perenni.
Quæ dum reuoluo, me miſeram, truci
Manu retracto vulnera. Siſtimus.
Ah, pectus impar concitatis
A lachrymis nimiùm laborat.

Nicolao Antonio Belmontio S.D.

EPISTOLA LXXXVIII.

QVi exactis iam iuris prudentiæ ſpatijs, præclaro, viuidoque illo ingenio, ac naturali quadam vi facundiæ ingentem ſui ſpem concitauerat filius tuus; miror vehementer, aduertiſse aliò animum, ac ſtudium. Meritò tu illi ſubiraſceris, qui fructum ab eius vigilijs præceperas non mediocrem; ac fore, putabas, vt ſi in foro velificaret, luculentas afferret domum merces; opeſque, ac lucem familiæ adaugeret. Illud fortaſse maiore dignum admiratione, quòd mentem, ac ſtylum ad familiarum hiſtorias appulerit. Quod pretium inde operæ? quid hoc ad doctrinarum laudem, ad ingenij cultum, ad fortunarum incrementum, ad mortalium commoda, ad famam nominis? Si parietinas, ac rudera antiquitatis accuratè is recognoſcet; ſi marmorum reliquias, inſcriptoſque ſemilatinè lapides loqui coget; ſi corroſa annis volumina, fugienteſque, ac mutilas interpretari eorum literas voluerit; ſi ſua per veſtigia peruenire ad ipſa rerum cubilia contenderit; offendet ſanè multa, quæ offendent multos: & niſi bellè diſſimulauerit, nil propius erit, quàm tragædias excitare, iras, diras, ac ſuprema interdum mala. Inſita hæc planè mortalibus generis ſuperbia; vt quisque longo cenſeri ſanguine, tradita per manus lampade nobilitatis, cum primis appetat. Et quarundam quidem familiarum comperta origo; atque ab illuſtri domo ſcatebra: quas oſtentare magnificè ſurgentes per inclyta auorum nomina ſuos truncos, ramoſque alios ex alijs, abrupta nunquam aurea nepotum ſerie, non ſanè indecorū. Quibus verò obscurum, ceu Nilo caput, proh Deum! quem ſibi Conditorem generis fingunt! Ad Ninum, Belum, & quicquid eſt in hominum, æuique memoria vetuſtiſſimum, recurrunt. Sunt qui prisco è Latio, Latijsque Regibus originem repetunt. Hi ab domo Aſsaraci reliquiæ Troianorum

Digitized by Google

ſunt: hos Græcus heros proſeminauit, Exarcharum alij, ac Cæſarum ſanguine purpuraſcunt; ac nullus non auguſti nominis abauos, ac tritauos appingunt ſtipiti: planè vt peregrinis, quæſitisque hisce inſitionibus alieno renidens cultu truncus, non ſe agnoſcat,

Mireturque nouas frondes, & non ſua poma.

Iã, quæ illorũ ridenda prorsũ ambitio, ac leuitas, qui è vulgi fæce tranſcribi in inclytas ſtatim familias contendunt? Horum non auus, non atauus, ſed pater ipse in foro notiſſimus, thus vendidit, & piper, & quicquid chartis amicitur ineptis. Hac arte patris, quod non rarò accidit, aucti diuitijs; vbi lucere ſplendore auri cœperint, obliti foro, & pipere, id ijs primum, vt generi conſulant. Neque mora: abraſa, aut inducta cognomini literula, à quadam vocabuli ſimilitudine, volente ſic auro, ſuam cum priſca quapiam heroum ſerie genealogiam pulchrè innectunt; ſtatimque prænobili caudici adnaſcitur nouus hic ſurculus: audentque terræ filij Ducum trabeis inſeri; Anicijs proximè accedere; miſcere cum Regibus natales ſuos: veluti ea ſit auro vis, vt quos opulentos facit, faciat nobiles; idemque ſit nitere opibus, ac ſanguine; ac mereatur Cęlum aries, aureo ſi fulgeat, ac ſuperbiat vellere. Quid tam monſtri ſimile, quàm à non ſuis auis progigni abnepotes? inſilire prælta arborum clariſſimarum cacumina inſtructas alienis pennis corniculas? ab aratro ad faſces tranſire nouos Quintios? Purpurarum conſanguineum fieri vile ſtragulum? At enim in hiſce genealogijs quid aget filius tuus? veritati ingenuus litabit? caueat: fauebit proniore calamo impudentiæ? quid turpius? In id igitur, mi Belmonti, etiam, atque etiam incumbe, vt ad ingenium redeat, eaque perſequatur ſtudia, quæ ſint honori, ac fructui: maturiùs ſapiat: ſubſellia illũ, ac roſtra; æqualium in forenſi hac paleſtra progreſſiones, ſpes ſuæ domus, amicorum vota prouocant. Porrò breui te à morbo conualuiſse, ſuaſque redijſse corpori opes, ac vires, maximoperè gratulor: habenda nunc victus ratio: nihil adeò ſaluti infeſtum, quàm lautior menſa, ac repetitus

ſæ.

ſæpe calix: his adhibendus omninò modus, ſi viuere, ſi vacare prolixiùs ſtudijs volumus. Vale. Mediolani VI. Id. Nouemb. MDCLXI.

Hieronymo Solliano S.D.

EPISTOLA LXXXIX.

QVocumque te conferas, ſequor, mi Solliane, affectu, literis. Nam quæ tam diſſita regio, quæ flumina, qui montes animum abſtineant, quominus eò peruolet, vbi amat? Negotia te Neapolim, an videndæ ampliſſimæ Vrbis cupiditas impulit? A negotijs scio, te non minimum adhorrere, vt quem Muſarum otia, operosa ea quidem, iam diù occuparunt. Fama certè pulcherrimæ Ciuitatis è ſinu te Romæ auulſit. Vereor tamen magnoperè, vt aſsuetus Romanæ maieſtati, ac ſplendori res Neapolitanas haud valdè probes. Eo quidem fato condita Vrbs Roma eſt, vt veluti gentium omnium Domina, magnitudine, cultu, fascibus, Infulis, rerumque geſtarum gloria reliquum orbem ſuperaret. Quicquid vsquam regnorum, ac prouinciarum eſt, ornandæ æternæ huic Vrbi vectigales fecere opes ſuas. Vndique ſigna, tabulæ, gemmæ, aurum. Ad theatra, ad thermas, ad fora, ad Cæsarum Xyſtos Numidicum, Lesbium, Parium aduectum marmor. Adnauigarunt Memphi pyramidum, & columnarum miracula. Prodigia quædam artis, recusante pelago, atque vndis tumentibus penè indignante, eius humeris impoſita: Romam nempè asportanda; vt quæ foris fama nominis explendesceret, niteret domi. Quid plura? à publico, priuatoque magnificentiæ luxu appellaſse Vrbem Regum, ſat fuerit. Decuſſit hanc quidem operum ſuperbiam, ac elegantiam Vandalorum,

Go-

Gothorumque identidem rabies: planè vt teterrima barbarorum alluuione corrupta pulcherrimæ vrbis facie, ac forma, nil reliquũ tantæ maieſtatis fuerit, præter quędã à molibus, quà dirutis, quà nutantibus efferatiſſimarũ gentiũ veſtigia, ac monumenta ſæuitiæ. Verùm, quæ nata æternitati erat, cladibus, ac ruinis ſuis maior, nouis ſemper ſubſtructionibus per interualla temporum caput extulit: vt inſtaurata vetere magnificentia, exædificatis baſilicè templis, extructis Principum ædibus, excitatis ſplendidè theatris, laxatis foris, deductis ad populorum hilaritatem, & commodum fontibus, villis, hortiſque regium in morem conſitis, videatur profectò, non tàm è ſuo buſto rediuiua, quàm ſuperſtes adhuc vetus Roma. Non alibi excellentium hic operum ſplendor, certanteſque Cælo moles; quas quidem ſi ſpectes, nulla non Vrbs Romæ aſſurget, ſuoque hęc in Capitolio triumphat. Itaque nihil inſignis magnificentiæ, ac artis Neapoli, Solliane, offendes, quod te vehementer capiat, cùm maiora videris Romę. Quamquam frontem inclytæ iſtius Vrbis, formamque, ac ſitum ſi contempleris, dices enimuerò, ipsam ſibi theatrum eſse longè nobiliſſimum, naturali quadam collium amœniſſimorum columnatione inſtructum. Arces deinde, Prętorium, gymnaſia, templa, mole ampla, cultu marmorum, ſacrorum ſyrmatum opulentia, atque omni opum, ac mũdiciarum genere ornatiſſima, quantum illi dignitatis addunt? Quid ſuis diſtincta ſedibus nobilitas, opibus, titulis, armorum laude inclyta? quid ille populorum numerus, ac ritu pelagi æſtus? Ad hæc, ſoli genio nihil amœnius; aere, Cęloque nil purius; nihil proſpectu maris lętius, iucundius. Quantum è cratere iſto Neapolitano hauries deliciarum? quàm bellè muſcoſa vbique littora, ac nobiles piſcatu ſinus oculis, animiſque lenocinantur? Mitto Cocceianam oram maritimam, à qua in ſumma ipsa hyeme hyems exulat: mitto laſciuientis naturæ opus, Pauſilypum, vbi ſub ęſtiuo ipſo ſydere nihil æſtiui ſyderis latrat: mitto Mergellinem, colleſque Antonianos, ac reliqua volupta-

tum illicia, quæ veram fecere Sirenum fabulam. Sed fruſtra excurrit huc ſtylus; neque enim erat, cur delicias orbis, ac laudatiſſimam ex ſe quidem Ciuitatem anxiùs tibi commẽdarem, quando ipsa nunc oculorum fides monet te, eſse isthic, quod valdè probes. Reuerſurum te breui Romam, mihi perſuadeo, & voueo: nam neſciò quid reculæ meæ tuum ibi ſtudium, ac operam poscit. Deum Maximum precor, vt te communi bono incolumem ſeruet, ſeruesque tu mihi, adaugeasque humanitatem tuam. Vale. Mediolani kal. Decemb. MDCLXI.

Ludouico ab Aquila S.D.

EPISTOLA XC.

QVæ noua Romanus dederit ſpectacula Circus,
Vt tibi perſcribam, dulcis amice, rogas.
Exequar, & quicquid poſt attulit hora, diesque,
Euoluet preſso carmine Musa breuis.
Sit quamuis atrox, inamœnaque fabula: ſæpè
Ordine ſi narres, facta inamœna iuuant.
Percitus hinc æſtro Gallus Corſum impetit: ira
Percitus hinc rabida Corsus in arma ruit.
Rixa modum exceſſit: plusquam ſeruilia præceps
Mars odia accendit, tela acuitque furor.
Quid ſceleris tentet, violet quæ publica iura,
Haud pendit ferro Corsus, & igne ferox.
Itque ſuis actus furijs, & verberat audax
Galli fulminea grandine tecta Ducis.
Coniugis & lectæ currus dum terret, Ephebum
Innocuum, heu, plumbum miſſile dilacerat.
Flos hic ſucciſus tantæ nec ſufficit iræ:
Pergitur, atque nouo ſanguine feruet opus.
Ad facinus ſtupet attonitus Dux Criquius: ardet,
Inclamat, queritur, miſcet & ore minas.

Illu-

Illuſum Regi, læſum ius, faſque, potentum
Gallorum ſpreta eſt Infula, ſceptra, decus.
Sic ait : at proh! Romulidum quàm perculit aures,
Atque animum Patris Martius ille furor.
Aſsuetus Reges, atque ipſa vicaria Regum
Nomina pro meritis condecorare ſuis,
Horruit, vt viles animas per tela, per ignes
Audit, inacceſsas impetijſse domos.
Et patraſse neces, tum nobilis Heroinæ
Auribus igniuomos adſtrepuiſse tubos.
Nec mora : facundum lingua iubet ire Nepotem,
Qui perculsa Ducum pectora voce leuet.
Teſteturque ſuum vulnus ; lachrymaque tepenti
Indicet, auguſtas immaduiſse genas.
Concilium tum ritè vocat ; diſcrimine rerum
Adſit vt in tanto mens operoſa Patrum.
Sublimi ſedet ipſe gradu, loquiturque; ſed hæret
Vox lenta : haud ſolito flumine verba fluunt.
Nempè, vbi cura grauis, torpet facundia; triſtis
Lingua nec in voces cernitur ire ſuas.
Ergo breui facinus libat, paucisque perorat.
Nanque euulgarat garrula fama ſatis.
Idque vrget, fulmen vibrandum vindice dextra,
Expiet vt Nemeſis iuſtior ira nefas.
Par eſse, vt meritas pendant capita impia pœnas,
Sequanicum & placet victima cęſa Iouem.
Hæcque palam : priuata dein Comitia inſtit,
Promptior vt tantis ſit medicina malis.
Nam melius paucæ, propiùsque negotia mentes
Inſpiciunt, nodis expediuntque ſuis.
Criquius at dubia curas in mente volutat :
Nulla quies animo, pectore nulla quies.
Hæret ſcena oculis, ſpretique iniuria Regis,
Et cruor, & diræ plurima imago necis.
Hoc primum ; facti Gallos, Dominumque monere:
Hinc cita per volucres litera currit equos,

 Mi-

Milite tum ſcripto, cautè Prætoria munit,
Prouida ceu præsens poſceret arma metus.
At Romæ in medio, tantoque in turbine, ſtare
Dum putat intuto seque, ſuoſque loco;
Quadriiugos iungit currus; inopinus & Vrbe
Erumpit Latia, tectaque Tuſca petit.
Conſtitit hic; inter curaſque, & pectoris æſtus
Principis expectat iuſsa verenda ſui.
Lutetiæ at quantus furor arſit: vt Aula repentè
Ferbuit, eſt lingua maius, & ingenio.
Rex fremit, ora minas ſpirant: par ira Senatum
Corripit, ardeſcit vulgus & igne pari.
Fama auget facinus, gliſcitque à murmure murmur,
Serpit & in faciles flamma agitata ſinus.
Protinùs hoc anulo ſignatur, vt exeat Aula
Romulei Interpres, certaque lingua Patris.
Hoc Regi fixum: ſtat mens immota; nec aures,
Pectora nec mollit: nil valuere preces.
Exulat Antiſtes, ſtipatur & Infula multo
Milite: tutelam hæc arma, viroſque vocant.
Quin noua mox vrgent Aulæ mandata, nouoque
Turbine iactatus, cogitur ire procul.
It Ligerim, Rhodanumque vltrà, & trans Gallica Regna;
Dira cohors ferro hinc cingit, & inde latus.
Stant aures circum bibulæ, vigileſque phalanges:
Libertas, fandi & copia nulla datur.
Sic metitur iter: longa & per tædia tandem
Excepere ſuis finibus Allobroges.
Acriùs hinc coquitur, rerum & momenta profundo
Librat Alexander pectore, mente graui.
Curas ſepè agitat prudentum Curia Patrum:
Itur & aſſidua in vota, nec vrna vacat.
At dum conſulitur, fit Criquius arbiter ipſe
Tantæ molis: ſic Aula Aquitana iubet.
Ilicet Auguſtus, Legato Præſule, Præſul
Paci prona ſibi pectora ineſſe monet.

Edi-

Edicat, petat ipſe suo pro Rege, quod æquum,
Quod ſanctum, recti & ius, ratioque probet.
Olli mens acris, dictis petit ardua factu.
Audit, nec nimiùm Romulis Aula probat.
Itque, reditque, nouos obſignat epiſtola ſenſus,
Molliùs vt ſensus temperet ille ſuos.
Luditur aſt opera: alta mente tenaciùs hæret
Conſilium Regis: quæ velit, illa velit.
Sicque diù pendent infecta negotia: & arma
Neſcio quis rumor murmurat, æra, tubas.
Dij meliora: ſacrę nam quid funeſtius Vrbi,
Quam bibere Auſonium Gallica caſtra Tybrim?
Hęc habui. incomptæ, fateor, nec gratia Muſæ,
Nec verbis nitor eſt. Dulcis amice, Vale.

Petro Antonio Riccardo S.D.

EPISTOLA XCI.

TAndem ſoluimus Puteolis, mi Riccarde, ac breui Panormum tenuimus. Menſem integrum propiore ſemper ſpe velificandi Baijs dum attinemur, nũquam viſa aspirasse aura, quę vela impelleret. Excubamus votis: animo penè ad deliquium ſuſpēſi, aſtra conſulimus: at recurrentes mentiuntur lunę, falluntque ſæpiùs ventorum vices. Si quid proſperę tempeſtatis affulgeret, difflabat mox improuiſus turbo: quieſceret, ebulliret pelagus, æquè erat nauigationi incommodum: Cæli neque ſerenitas, neque inclementia durabat diù: planè vt in tanta aeris inconſtantia abieciſse ſpem omnem emergendi è Baiano eo ſinu videremur. Mitto reliqua in tam diuturna ſtatione incommoda: vigiles nempè, inſomneſque perſępè noctes; nautarum, ac ventorum inter ſe ſe rixantium turbas; ab vndis, à Claſſiarijs ſtrepitus; afflatus ab ea hominum, ac rerum fęce;

à ma-

à maris quà otio, quà motu laborem ſtomachi, ac nauſeã. Quid plura? longe profectò moleſtior lenta in eo portu quies fuit, quàm quælibet medio in pelago fluctuum arietatio, ac pertinax lucta. Illud enimuerò in longa ea mora operæ pretium fecimus; quòd oram illam maritimam, ſummis olim viris, ac Cæſaribus commendatiſſimam; tum circumiectæ regionis admiranda, magnorumque operum reliquias, ac veluti fragmenta quædam romanæ maieſtatis oculis vſurpauimus. Exſcendebamus identidem, cùm id permitteret pelagus. Baias, celebrem, amœniſſimamque olim vrbem in Baijs quærebamus; occurrebantque hic illic, quà exeſa, quà diruta ea ſubſtructionum monumenta: vt Romæ eſſe inter conſepulta, atque arroſa æuo marmora videremur. Littus iſtiusmodi magnificentiæ veſtigijs longè, latèque prætexitur. Tepentes vbique fontes; ſed quos vetuſtas corrupit, vt videantur ipſimet deflere caſus ſuos. *Præter ſitum*, ac leuem quandam vmbram nominis nihil hic eius villæ reliquum, quam Seuerus Cæſar Iuliæ Mammeæ parenti inclytæ excitauit. Sua hic deliciarum Prætoria Iulius Cæſar; sua Caius Marius, quæ hominum capita! habuere. Ad has vndas peramœni littoris, ad has thermas ſoliti militarem puluerem, hauſtumque hoſtibus ſanguinem detergere: nunc pro molibus, pro hortis, pro balneis loci ſqualor, atque horrens vbique rerum facies. Excurrimus non ſemel ad Miſeni promontorium. Alteræ hic Romanorum deliciæ. Neronem, Lucullum, Agrippam hoſpitalis genius perquàm ſplendidè hic excipiebat. Horum modò villas, ſumptu, atque artificum ingenio verè regias, fruſtra etiam quærimus. Ad ſpecimen cæteræ magnificentiæ, ſiue ad euertentis cuncta æui documentum, extant hic piſcinæ, quam admirabilem vocant, veſtigia. Pendent ingentes planè fornices, pilisque ad quinquaginta innituntur. Agrippæ, aut Luculli opus putant: digna profectò hiſce nominibus moles. Miſeno, vt ſitu, ita & ſplendore, ac delicijs proximi, lautitias, amœnitateſque iactabant ſuas Bauli: Percelebris hic Quinti Hortenſij villa, & hoſpitia illa murænarum, quarum vnam

quòd

quòd intempeſtiuè deceſserit, dicitur, illuſtris Orator obortis lachrymis defleuiſse: planè vt neſcias, ſplendidius fuerit murenæ fatum ab Hortenſij fletu; an fletus Hortenſij, à murænæ fato amentior? Hoc deerat, vt pro roſtris etiam Vir facundiſſimus piſcem dilaudaret. Baulis item Agrippinæ horti, & domus fuere. Hic illam, quòd Baianus ſinus, diſsuta naui, non merſerat; ferrum tandem abſtulit; mulctauitque Nero Matrem, quòd Neronem peperit. Iam, Puteolana, quæ celebrioris famę ſunt, mira, non diſſimulauimus. Illud hic cum primis viſu dignum, nempè ingentes in mari pilæ non ſanè paucæ, quæ videntur, aut portum ſinuaſse nauium ſecuritati, aut pontem efformaſse, vt ſinum illum iungeret: perſimile Xerſi operi opus, qui, iniecto ponte, Helleſpontum ſubiecit, triumphauitque. Tullianæ villæ parietinæ, ac nomina vix ſuperſunt, non longè à Toletanis ædibus, ac hortis. Academiam ipſe Cicero appellauit: nempè dum procul negotijs philoſophatur alacriùs proſpectu maris, id efficiebat, vt Puteoli abirent in Athenas. Lucubranti verò neſcio quid cultioris eloquentiæ excidebat, dum ruſticatur. Illud, herclè, inſanum opus, Neronis videlicet Foſsa. Id nanque monſtri conceperat diſcinctus Cæſar, vt ab Auerno lacu patiens nauium mare ad Oſtia Tyberina, ambitioſiùs planè, quàm vt res exitum haberet, deduceret. Extant hæc interfuſi pelagi, an dementiæ rudimenta, quibus nec Romanus cenſus longè ſuffecerit. Vaporaria deindè, thermaſque Puteolanas adiuimus. Nihil ad naturæ miraculum grandius; nihil ad corporum incolumitatem ſalubrius. Quid Vulcani forum, ac fumariola? Æſtuat hic ſolum, immixtum, ſubactumque ſulphure; & quòd innumeris penè morbis prodeſt enaporatio, non modò è Regno Neapolitano, ſed ab vniuerſa fermè Italia eò conuolant, qui diù cum ærumnis ſuis luctati, immedicabile tandem, ac pertinax malum ſulphureo hoc ſpiritu profligarunt. Per hæc rerum pulcherrimarum monumenta, ac æui damna fefelliſse in Baiano portu tempus, iuuit. Vbi verò à puppi ventus velificationem ſuaſit, ſubduci confeſtim anchoræ; exertare

la-

lacertos remex ; pandi vela, atque intra biduum feliciſſimo planè curſu Panormum arripuimus . Occurſus procerum, qui Sermonetę Ducem , atque ornatiſſimam Coniugem Pimentellam, Sicilię Proreges , deceret. Ayalæ Comes, qui Regnum adminiſtrauerat, Archiepiſcopus , Senatus , ac reliqui Magiſtratus lembis, cymbis,myoparonibus conſalutatum aduenere , deduxeruntque omni officiorum genere ad arcem. Panormus neque paucis dilaudari poſcit,neque multis poteſt. Geminę decuſſant vię , peręquè amplę, ac rectę. Quam Caſsarum vocant à ſplendidis vtrimque ędibus , à templis, ab officinis, ab occurſu, concurſuque mortalium , pręnobilis. Frequens in foris , in compitis aquarum perennitas. Ad Prætoris ędes fons manat, cultu marmorum,forma, ac ſtatuarum tum numero, tùm pręſtantia longè pulcherrimus ; fluitque ambitioſiùs multiplici riuo vnda . Aſsurgunt ad Vrbis coronam montes continenti quodam ſerto : quod abrumpit mare , vbi portus , & nauium ſtatio, ac percommodum geſtationibus , ac deambulatiunculis littus. Quos etiam montes altera Panormi mœnia appellaueris, pomœrijs longè ampliſſimis, quę Bacchus , Pomona , Flora incolunt , excoluntque , diſſeminatis vbique villis , hortis, templis, ędibus, ad Ciuium quà delicias , quà diuitias. Nobilium ęquè domi , & foris cultus: fœminarum pręſertim curribus,ſellisq; geſtatorijs nihil magnificentius, quas acu phrygio,auroque, ac ſui pelagi corallijs,vermiculato opere , atque ad omnem oculorum illecebram diſtinguunt. Mitto reliqua inclytę Vrbis decora, illud duntaxat innuerim : in Caſsari medio , vbi , quas diximus , ſe ſe vię diſsecant , noſtrum Diui Ioſephi templum cernitur , inter delubra Panormitana idea, ſitu , area non sanè vltimum . Columnarum maculoſo è marmore ordo hinc inde geminus recurrit : octonę verò tholum fulciunt , binæ videlicet ad angulos ſingulos , ea quidem magnitudine , vt non mediocri admirationi deſeruiat ingens earum moles. Sed hactenus hęc. Vix Panormi ſubſiſtit , cum Meſſanam cogitat Prorex:ſic Aula iubet;

O na-

Digitized by Google

O nauis, referent in mare te noui
fluctus.

At eundum. Interim ſi tu precibus, ac litationibus iuueris, vbique portus mihi, & ſecuritas. Vale. Panormi VII. Id Mart. MDCLXIII.

Leonardo Cappello S. D.

EPISTOLA XCII.

Diù eſt, Leonarde, cum de vitæ inſtituto ſecum ipſe deliberat ornatiſſimus planè Iuuenis, ſobrinus tuus; ac tandem non ſine Numine ad aulam viſus animum appulìſse. A florenti ingenio, ac indole dignus ille quidem aula: quam laceſſire lingua, ac ſtylo, ac dilacerare immeritò quidem audent plerique viri; perindè ac ſi forum aliquod ea ſit, vbi præcone contemptù, ad publicæ haſtam infamiæ exiſtimationem, ac fortunas ſuas aulici auctionentur. Itane? Vapulat à malè feriatis ingenijs dirè aula, quando vix eſt, qui illam abundè dilaudare, ac pro dignitate queat? An aliquid honeſtius, illuſtrius, magnificentius? Eò & virtus ducit, & excipit peramicè, ac liberaliter fortuna: duæ videlicet rerum humanarum arbitræ: quas enimuerò neſcio quæ mutua exercere ſimultas videtur: & aduerſarias quidem inuicem alibi dicas; ſed in aula, iunctis pulchrè dexteris, perindè ſe ſe complectuntur, ac munera, partes, nomen miſcent, vt non alia illic dominari fortuna, quàm virtus; non alia profectò virtus, quàm fortuna ipſa videatur. Lucet hic à purpura, ab auro, fortunæ nempè ſpolijs, probitas: ſua hic meritis authoramenta, ac præmia: triumphat magnificè mens bona: adeò vt inauſpicata ipſa vitia, ſi quid hic aucupari gratiæ, ac fortunæ velint, virtutem mentiantur, eiusque ſpeciem, ac vultus induant, neceſse eſt: vt vel ipſa virtutis larua, ac vmbra in aula animos capiat. Nam de prudentia quid elo-

quar? Suam hęc habet in aula ſedem, an palęſtram? Exercetur, expoliturque hic mirificè mentis ſolertia: inter grauiſſima momenta rerum ſapientia, virente adhuc æuo conſeneſcit: conſilio inducitur, non capillamento canicies: iudicio, non annis ſua adrepit maturitas: cumque nunquam non præclara aulico exempla obijciantur, erudiri à magnis illis operum, actionumque ideis, ac documentis, formarique egregiè animum, oportet. Ingenia verò an alibi pulchriùs inclareſcunt, quàm in aula, ad lucem, ac vmbram Principum? quorum nunquam non pronior excolendis literarum ſtudijs manus: idque ijs cum primis curæ, vt in eruditis aliorũ vigilijs ſuũ nomen extẽdãt, eorũq; laurũ ſuo auro irrigent. Hoc ipſum Mechanicis ab aula compendium, fructus, decus. Perpetuum pulcherrimarum harum artium domicilium magnorum Principum domus. Feriari nunquã hic vides: aut marmora vulneribus animant: aut æra ſpirantes in formas emolliunt; aut hiſtoriarum monumenta parietibus, ſcitè appingunt; aut aurum tectis induunt: hortos, theatra, porticus excitant: planè vt exire aula artes hæ neſciant, quas adeò ſplendidè alit magnificentia. Quòd ſi conformari mores, ac perfici ad omnem elegantiam cupis, quænam opportunior officina? Agendi modus, ac ratio, vrbanitas, affabilitas, habitus ipſe vultus, oris dignitas, geſtus, inceſſus non alibi ſanè & docentur meliùs, & expeditiùs addiſcuntur. Quæ præcipua eſt mortalium facultas, ac munus, eloquentia, quàm bellè hic etiam expolitur? Nihil quippè facilius, quàm à facundis ingenijs, eorumque conſuetudine, ac vſu accedere verbis limam, cultum, gratiam, pondus: planè vt quos aula infantes acceperit, dederit ſubindè diſertiſſimos, ac penè Tullios; veluti magiſtra quædam dicendi, ac verborum artifex. Quid plura? priſcorum temporum memoriam, aut noſtram ſi excutimus, nulli herclè, occurrent egregij pace, belloque viri, quos non aula ediderit. Quisquis ſuis in hiſtorijs, aut poeſi floruit; quisquis artifici lingua, aut manu valuit, aulæ ſinus aliquando educauit, à qua cum & grandia Heroum facta,

& vtriusque documenta fortunæ, & meditamenta virtutum, & paludamenta honorum, & Inſularum maieſtas, & ſplendor nominis, & famæ decora, & monimenta gloriæ nunquam non extiterint, reliquum eſt, vt, mutata tandem mente, parcant viri argutuli ſuis ſatyris, ac dignam meliore facundia aulam honeſtent ſua laude. Illud hic porrò non diſſimulandum (litandum nanque verò eſt) duo videlicet monſtra, ac geminum veluti ad Heſperidum hortos draconem metum in aula, terroremque incutere. Hinc adblanditur adulatio; hinc admordet inuidia: altera Principibus, altera Aulicis vitanda. Quot illa Principes ſerena fronte merſit? quot hæc aulicos peſtilentiſſimo afflatu perdidit? Adulatio bonam in ijs indolem corrumpit; inuidia in his famam bonam. Aulicæ adulationis trophæa ſunt, amotæ, captiuæque Principum mentes, luſa maieſtas, regnorum clades, felix improbitas. Inuidiæ verò manubiæ, Burræ, Criſpi, Belliſarij, ac triumphata cum ijs virtus, commaculata innocentia, inumbrata bonorum exiſtimatio, eorumq; ruinæ, caſus, infortunia. Duos hoſce ſcopulos, hanc ſcyllam, hanc Charybdim quiſquis in hoc aulæ pelago prætervehitur, næ ille ſub auratis Principum tectis neſcio quid aurei ſeculi tranſigit. Sobrinus verò tuus, quando complecti hoc honeſtiſſimæ, ac ſplendidæ ſeruitutis placuit; nullus dubito, quin hæc atterat monſtra, nouus aulæ Hercules: in promptu claua eſt, nempè à cunis prudentia: hæc neque alios ſuis circumuenit blanditijs, neque circumueniri ſe ſinit ab aliorum inuidia; ignara falli, ac fallere. Vſu etiam diſcet, quibus has peſtes artibus ſapientes in aula viri ludant: per hæc ille veſtigia tutò ibit, & quos modò innui, aulæ fructus decerpet. At tu cura, vt valeas, & quibus te ſydera cumulauere animi, fortunæque opibus, fruere. Panormi

IX. Kalend Iun.

MDCLXIII.

Odoardo Sanctacrucio S. D.

EPISTOLA XCIII.

SIgnificas mihi, amiciſſime Odoarde, perlegiſse te, quos pridem de Purgatorio igne, deque ope pijs Manibus ferenda ſermones Romæ edidi. Miror,tantum otij viro occupatiſſimo ſuperfuiſse,vt verſare manu id iniucundi argumenti, &, ſi ſcribentis infantiam ſpectes, exhaurire tantum nugarum potuerit. Delibaſse, abundè videri poterat; integrum verò quadam animi contentione volumen percurriſſe; ſine faſtidio, ſine eximiæ patientiæ laude fieri profectò vix potuit. Certè laborem, ac tædium legendi vicit beneuolentia in me tua.Hanc deindè quàm luculenter commonſtras,& cumulas, dum laudas? Agnoſco, nullam eſse elimatam adeò, incorruptamque vim iudicij, quam non aliquando affectus,ac amor fallant. Tu,qui tuo illo acumine, ardoreque ingenij eſse acerrimus ſcriptorum cenſor ſoles,videris in me ornando tui, tuæque cenſoriæ oblitus virgulæ: probas, commendas, quod in alio fortaſse peracri ſtatim vngue preſseris. Quid? fugit te illud Sidonij.

Dura fronte legit mollis amicitia?

Sed hæc mitto; indulgentior quippè eſt amor, quàm vt regi iudicio, ac fide poſſit. Cæco Numini nunquam ſua fax proderit. Eam nihilominus tuæ laudis partem non diſſimulauerim: ais nempè, rariores in meis hisce lucubrationibus argutias, ac ſtricturas illas orationis, quas hodieque,& oratores affatim ad concionem propinant, & excipiunt auidè auditores: & quòd valdè probas, non longiùs quæſitas; ſed ſuo veluti in ſolo natas, atque indigenas. Fateor,in hoc me genere facundiæ liberaliùs olim efferbuiſse: adhibuiſse verò frænum, cùm ab æuo, vſuque indoles acceſſit, ſtylusque maturior.Monuit me Picus ille,omnigenę eruditionis Phœnix,qui eiusmodi argumenti auream ad amicum conſcripſit epiſtolam. Non is conuellere floridam, ac peracutam hanc

eloquentiæ partem conatur. Sciuerat quippe hiſce dictionis aculeis erigi, excitarique magnoperè ingenia; ac ſatis inde exiſtere ornamenti, & cultus: at modum ſtatuit; ne dum intemperanter effertur, ac vibrat, ſuis ſe ictibus, atque acuminibus feriat, conficiatque oratio: eòque ſententiolas ſeriò carpit, prolixiore manu fuſas; illas præſertim, in quibus eruendis, & quàm longiſſimè asportandis, anxiùs desudaſse ingenium videtur. Inerit, inquit, ſua ijs venuſtas, gratia ſi naturæ quadam fertilitate, ac sponte ſua, nõ improbo conatu, ac vi proueniant; ſi non putidè accerſiueris; ſi sua veluti in areola naſcantur, ac floreant; ſi parcè, ſi ordine, ſi tempore diſſeminaueris. Hinc, vir prudẽtiſſime, intelliges, quid de ijs ſentiendum, qui non modò in Academijs, feſtiuisq; ſermonibus (quod vtcũque ferẽdũ) ſed in ſacris etiã orcheſtris, atque ad piarũ aurium concionẽ (quod omninò dolendum) hoc ſententiarũ ſchemate plus æquo ludunt; ſuãque orationẽ iſtiusmodi argutijs vſque adeò infarciunt, vt niſi ſingulæ, ne dũ periodi, ſed mẽbrorũ etiã particulæ, ac dictiones ſuã habeãt cuspidẽ, qua pungãt; fraudari ſe prorsùs multitudinis plausu putent: veluti id demum ſit eſſe disertum, ac dominari in ſuggeſtu, ſi hiſtricis in morẽ id genus tela, & nugas comminùs, & eminùs, & cõfertim fundãt. O Demoſthenes, ò Tullij ò Græci, Latiniq; Chriſoſtomi, immeritò veſtrã ſuspicimus eloquẽtiã: illã ſi cũ noſtrorũ Oratorũ facundia cõparamus, parcite, infantes eſtis. Vbi illæ in ſingulis penè verbis beatæ paſſim punctiunculæ, ac fulgurationes? vbi nouæ sẽper, atq; argutiſſimæ admotæ animis faculæ? vbi acris illa nullibi non fulgurans, ac vibrans vis ingenij? paucis hi; ac ſtrictis in omni ſyllaba pugionibus; raſis nempè antithetis, alluſionibus, agnominationibus, æquiuocis, alijſq; dicẽdi delicijs rẽ conficiunt; quod vos laxatis eloquentiæ frænis, pondere ſententiarũ, per momẽta rationũ; cõtortis argumẽtorũ telis, verborũ grauiſſimorũ delectu, ac flumine; arietatione, & cõcitatione animorũ vix impetratis. Nos miſeros, qui veſtris diù præceptionibus, ac ſtylo veſtro decepti, ſerò hãc veræ eloquẽtiæ ideã, hanc peregrinæ dictionis admirabilitatẽ, florida

hæc

Digitized by Google

hæc ſpicula agnouimus. At fallitur profectò, quiſquis ſe-
cum hoc reputat, ac loquitur. Enimuerò qui indulgere huic
ſeculi genio, hoc eſt, æternis hiſce tropis, continuatiſque,
atque innexis inuicem argutijs voluerit, inumbret ſpiſſiore
lumine orationem, neceſſe eſt; neque enim perſpicuè vnquā
orator dixerit, qui non tam fundere, quàm confundere copiā
conceptus ſuos videtur. Cruciari præterea, aut obrui multi-
tudine auditores contingit; qui dum ab vna ad aliam rapi
ſe impetu quodam ſententiolam ſentiunt, atque immorari
ſingulis nequeunt, angi vehementer videntur, quòd fugiant
Parthorum more acumina, dum feriunt: cumque nullum
integrè percipere rerum ſenſum curſim valeant, dum ſin-
gula anxiè perſequuntur, omnium guſtu carent. Ad hæc,
ludere, alludere, atque improuiſis, acutiſque ſenſiculis, nec
tamen veris, nugari ſemper; quid eloquentiæ maieſtati, di-
gnitatique magis diſſentaneum? Quid illa à ſimilitudine
ſatietas? quid? quòd verſare, concitare, propellere, quo-
cumque libuerit, auditorum animos adſtricti, abruptique
hi verborum aculei nequeunt? Scimus namque triumphan-
dis mortalibus ea in primis idonea inſtrumenta eſſe, nempè
à quodam ceu flumine, fuſaque per omnes numeros ora-
tione impetum, ac vim dicendi: planè vt niſi vbertate, &
copia, atque explicatis veluti phalangibus, à fronte, à ter-
go, à latere auditores impetas, ac circumuenias, ſubire
eorum animos, aſſenſumque declamando rapere, ac potiri
victoria nunquam poteris. Velitantur quippè argutuli hi
ſophiſtæ; nunquam iuſto rem prælio decernunt: admordent
leuiter, non vulnerant: micant, non ardent: auribus leno-
cinantur, animum non informant, non vrgent, cutem velli-
cant, nihil ijs cum medullis, ac fibris: denique theatri plau-
ſus, non lachrymas, non præclaros ad virtutem impetus ex-
citant. Adde, quòd cum huiuſmodi declamatores in eo
toti ſint, vt acuminum multitudine extaſim pariant, id acci-
dit, vt in ijs inepta, illepida, friuola, ac niue Gallica frigi-
diora perſæpè excidant: quæ quidem eo excipiuntur plau-
ſu, quo excipi meræ nugæ ſolent. Igitur vt acutis hiſce ele-

gan-

gantijs dictionem leuiter inſpergere, dictionem ipſam exhilarat, amœnatque; ita ſi liberaliùs fundas, ſi toto pectore incumbas torno, vt ſententias quàm plurimas elabores; ſi vbique ſit argutijs locus; vulgi quidem admurmurationi deſeruies; nunquam verò hoc ipſum viri graues probauerint. Id quod, quia tu in hac arte ſummus ita ſentis, animoſiùs ipſe affirmare non dubito; atque hac me frugalitate, cætera ineptiſſimum, mea exaraſſe, non ſanè piget. Sed hanc ipſam materiam fortaſſis reponam examinandus nãque eſſet vterque Seneca, quorum ſiue ſoluta, ſiue illigata numeris oratio nunquam ſine aculeis. Deus bone, qui ſales! neruorum nempè pleni, operoſi, ab intima rerum natura facili quadam vena eruti; & qui, vt ſemper mirificè oblectant, ita nunquam non in virtutem, moreſque collimant. Sed hæc alias. Interim dum hanc mihi iudicij tui laudem effuſè gratulor, perge tua me beneuolentia dignari. Vale. Panormi X. Kal. Iun. MDCLXIII.

Ferdinando Coruino S.D.

EPISTOLA XCIV.

SCribis, appetente iam autumno, villam de more cogitare. Planè id aſſiduæ occupationes tuæ poſtulant, ne vires nimia curarum contentio conficiat. Studia deindè, quę neſcio qua lima facultates corporis, animęque atterunt; ſubleuanda profectò temperamento aliquo ſunt; atque erigenda mens, vbi diutiùs in literario puluere deſudauit. Sufficit nempè rebus ingentibus animus, ſi ſuę ſint identidẽ ferię, ſuus in agendo modus, viciſſitudo, ac tempeſtiua quędam otia. Vides in circo currentes equos? nihil, herclè, generoſius: verùm, vt ſtadio, ac plauſibus redeant, ſuumque inſtaurent alacriùs curſum, quies facit. Vides athletas in arena? qui lacertorum iis vigor, qui ardor! at nulli firmę,

ro-

robuſtæque adeò vires, quas aſſidua lucta non frangat: ita, remittendæ aliquantulum fides, vbi citharam diù pulsaueris: neque ea telluri fertilitas, niſi ſubindè quieuerit, atque otio quodam vegetauerit. Natura, videlicet, comparatum eſt, vt quemque iuuet aliquando feriari: cæleſtia duntaxat corpora aſsidua interdiù, noctùque circumrotatio, ac labor non laſsat: ea nempè vis ineſt, vt nullus abſorbeat pertinax motus. Cæterùm, quæ infra lunam ſunt, niſi ſua reparet quies, breui fatiſcunt: mortalibus præſertim, ſiue armorum alea, ſiue literæ, ſiue regnorum illos curæ exorceant, danda intercapedo, & ceſsatio, ni deſtitui ſuis neruis velint. Narratur & priſci Catonis ad animi laxamentum ſæpè mero caluiſse virtus. Scimus, magni nominis viros ad amœnam maris oram legere littoris conchas ſolitos. Hinc Puteolanæ, ac Baianæ, exædificatæ à Romanis deliciæ, ac villæ. Ruſticari Pompeius, Cæſar, Marius, aliæque animæ magnæ ſolitæ erant; vt quos domi, foriſque grauiſſimæ exhauſerant curæ ſpiritus, reficerent. Quid Ciceronis villam memorem, quæ ſuis in ruderibus memoriam adhuc, ac penè vultus tanti Viri Puteolis repræſentat? Otiari hic ille certis anni ſpatijs, atque exacuere ingenij, ac linguæ aciem conſueuerat in ſinu tranquillitatis: planè vt quicquid deinde neruorum intenderet in roſtris; quicquid robuſtæ eloquentiæ Romæ cuderet, Puteolano huic receſsui deberet: ab otio ſiquidem operoſior inſurgebat, ardebatque acriùs Orator ab ijs hortorum vmbris. Itaq; & ſtudijs, & incolumitati tuæ autumnalibus hiſce ferijs opportunè conſulis, mi Ferdinande. Porrò, ſcio villam, ac peramœnum loci genium: ſcio, quantùm ibi deliciarum vernet, ac recreet. A proſpectu maris, à Xyſtis, à ſilulis, à mutuò complexu arborum, ab excultis topiario opere areolis, ab admurmurantium aquarum perennitate nihil profectò iucundius, ac magnificentius. Ædes ſolem hinc excipiunt, hinc excludunt: nihil æſtiui ſyderis lædit: nihil hyemantis Cæli diem aſperat: auræ, nonniſi quæ ſaluberrimæ, curas difflant: aues, vbi detinuere concentu aures, ſinunt ſe inſidijs decipi, ac

 pe-

penè manu capi : lepuſculos etiam curſu, ac metu ſuo celeres, huc illuc inſequi, quam feſtiuus labor ! quid ille pellucidior vitro lacus ? fluctuat hic mœror, ac mergitur. Innatant turmatim piſces: hi auro, illi neſcio qua purpura diſtinguuntur, capiuntque intuentium animos, antequam ipſi capiantur. O tranquilliſſimam voluptatis ſedem ; ô inuidenda nimis otia. Inuolabunt haud grauatè huc Muſæ, ac Phœbus ipſe, ſi inuitaueris : non Phocis, non Parnaſſus amœnior. Horum contubernio, afflatuque Numinum, atque in tanta rerum beatitate quàm culta, quàm nitida effundet ſtylus : neque enim perindè quieſcere vis illa, atque ardor ingenij tui poterit, quin aliquid commenteris. Magnis nauigijs perſimilem tuam mentem affirmauerim : dum ſtare hęc putas ; ſemper aliquid pelagi emetiuntur : is idem aquilis, atque auibus generoſioribus mos : quodam ſui libramento dum ſiſtere videntur, mora ipsa peruolant. Me quidem, fateor, neſcio quid pulcherrimæ inuidię vellicat. Tecum, & cum Muſis tuis tam eruditè, tàm ſplendidè cuperem ruſticari : dum longè alia diſtinet me officij mei ratio, diſcrucior. At enim corpore licet abſim, animo, tuique cultu ſemper adero. Interim vale, & fruere. Panormi Prid. Kal. Iun. MDCLXIII.

Rodulpho a Montibus S.D.

EPISTOLA XCV.

TRimeſtre vix integrum morati Panormi ſumus, flauitque mox alius Catholica ab Aula ventus, qui veliſicare Meſsanam Proregem iuſſit. Huc verò appulimus sub ipsum Marianæ Epiſtolæ feſtum, quod Meſsanenſes, incredibile dictu eſt, quo ſtudio, quo cultu, qua pompa celebrent. Tantùm pientiſſima in Vrbe ardoris,ac plauſus; tantum in publico ornatu ſplendoris vſurpare oculis, planè iucundiſſimum: vt pretium certè fuerit, ampliſſimũ iſthuc pietatis, ac magnificentiæ theatrum, dedita opera, vti è circumiecta regione, ac littorali Calabria plerique omnes faciunt, adire. Nam gratulabundæ Ciuitatis faciem, ac nocturna præſertim ſpectacula quis vnquam, niſi qui præſens viderit, animo conceperit? tantum abeſt, vt exæquari ſtylo poſſint. Subdiales vbique aræ,ſplendidiſſimæ eæ quidem, oſtentandæ religioni, excitantur. Pendent non vna quidem in area ſumptuoſi veluti ad triumphum arcus. Sua domibus ſtragula, sua feneſtris vexilla, ac diſcolores flammulę. Nullæ non ædes, ac porticus feſta coronantur fronde. Intendentibus verò ſe ſe tenebris, collucent vbique lychni: fora, vias, tectorumque ima, ſumma perindè illuminant, vt dicas, non occidiſse, ſed perſtare ad id ſpectaculi ſolem; ac ſimul à pietate, ſimul à confertiſſima face ardere Vrbem. Admirationi præſertim ſpectantium deſeruiunt artificum officinæ, in quarum ſingulis ſingulas vides rerum pulcherrimarum ſcenas. Ludit in ijs mirè ingenium multiplici quodam ſchemate, atque idea operum. Effictis ad viuum ſimulacris, animari bellè vides hiſtoriarum monumenta, ac Mariana ipsa myſteria vi gemmarum, ac vermiculato paſſim opere efformari. Miraris anguſtos inter parietes ampliſſima explicari atria, ac tecta; quorum fronte nihil magnificentius: cum interim receſsu, ac porticibus introrsũ

actis,

aċtis, oculos in intima quædam ſacrorum adyta ducant, ac trahant. Quid Attalica in ijs ſyrmata? quid intextos auro, argentoque flores? quid luminum ſerta? Hic enimuerò populorum vltrò, citròque cõmeantium ad multam noctem concurſus; hic æſtus, hic plauſus. Mitto princeps templum, in quo ornando non vnus deſudare artifex ſolet. Dicata hæc olim Aula Deiparæ, eiusque Literis; atque adeò, excitata ad omnem artis magnificentiam mole; conueſtito elegãtiſſimè ſupra, infraque pariete; ſparſis huc illuc figuris, ſymbolis, parergis, picturatas inter tænias, infulas, bracteas, expoliri ad vnguem, ac respondere ſacrorum dignitati, ac flagrantiſſimæ religioni debuit. Porrò, hilaria hæc dices, an Marianæ Epiſtolæ triumphum? Visa hæc olim à malè feriatis ingenijs, linguis, ſcriptionibus impeti. Tantum extare in Meſsanenſes magnæ Matris amoris pignus; inclytũ id beneuolentiæ monimentum, hanc gratię teſseram, hæc ſymbola charitatis, indignatus liuor; adlatrare, obloqui, ſtylum exacuere, iniectaque veluti manu, discerpere Virgineos auguſtæ manus characteres, conniti. Nullo ſcilicet negotio exsufflandam tenuem papyrum; facilique delendas spongia notas illas, ac literarum apices ad vnum omnes, perſuasum habuit. Profligandæ autem veritati quid centuriari militum potuit? Authorata videlicet, ac visa ſub ſignis ſupputata malè tempora, corrupta hiſtoriarum fides, detorta auctorum sensa, elumbes oppidò rationes, ſophismata, mendacia, conuicia, nugæ. His armis inſurgunt egregij paleſtritæ? His euerti Epiſtola illa potuit, quam illibatæ Virginis anulus obſignauit; tradita per manus, cõmendanit poſteritati communis mortalium perſuaſio; ſancinere tot ætatum volumina; meminere annales temporum; excepit ſeculorum conſensus; monumenta literarum adprobauere; propugnauere ſtrenuè ingenia; obfirmarunt rationum momenta; enicere mira; euulgauit latè fama; colit pietas, ſeruant ſcrinia pectorum, animorum ſtudia complectuntur? Vicit igitur impreſſiones eiusmodi omnes, ac tentamenta hoſtium cæleſtis Epiſtola. Eapropter, bonum factum,

tum, Senatus, Populusque Meſsanenſis immortali quodam fœdere pietatis ſolennem hunc illi triumphum decreuere, atque anniuerſariam quotannis pompam ritè inſtaurant. At, ò beatiſſimas literarum notas, ò longè fortunatiſſimos, quos dignari diuina hac ſcriptione, contigit. Quid hac pretioſius Epiſtola, quam Virginea exarauit manus? aurum profectò fuit, ac gemma, quicquid illa ſcripſit. Quid grandius, quàm ea conſignari dextera, cui temperandas permiſit Deus ipse mundi habenas, naturæ fasces, elementorum vices, fati iura, Cæli ſceptra, syderum conuerſiones, momẽta temporum? Quid ſpecioſius, quàm quod pulcherrima Virginum dictauit? Quid ſuauius, quàm quos imbutus nectare charitatis characteres efformauit ſtylus? Annon multum adderet ponderis calamo tanta gratiarum mole Dei Mater? Quis non candor verbis à candore lucis æternæ? quis non dictioni ſplendor ab ea, quam fœderatis ſplendoribus ſol veſtit, coronant aſtra? Planè, ſi fas hic coniectari, cæleſtes ipſi Orbes plicatilem abire in papyrum, vt Marianam exciperent Epiſtolam, non detrectaſsent. Eliquari, dilui, misceri pyropus, ſmaragdus, adamas peroptaſsent, vt dictanti Diuę Virgini calamum imbuerent. An ſuam denegaſset atramentario purpuram Erythræa concha? an exacui in ſtylum ſolis radij? an illigari, nectique in ſillabas sydera? an commodare recenti ſcriptioni arenas Ganges, ac Tagus? an tabellarij fungi munere ipse Zephirorum animę respuiſsent? Quòd ſi imago quædam animi cuiusque ſcriptio eſt; ita vt, non tam ſcribat calamus, quàm ſcribentis indolem, moresque delineet; quanti æſtimanda epiſtola ea eſt, quę Deiparam, æternamque eius mentis formam, ac lineamenta virtutum exprimit? Non hanc Animæ magnę effigiem Apelles vnquam, aut Zeuxis descripſerit. Spirat ſuis in literis, atque à ſuamet manu auguſtiſſima Dei Mater. Dũ legimus, ipsam cernimus, ac ductos germaniſſimis coloribus vultus. Dum notas percurrimus, obijcit ſe ſe nobis non aureum capillamentum, ſed mens aurea: elegantiſſimi oris non purpura, ſed verecundia: frontis non lilia, ſed candor

vir-

Digitized by Google

virgineus: non oculorum gratia, ac fax, ſed modeſtia: non labra, ſed taciturnitas. Planè, poſt acceptam à Paulo Chriſti fidem nullum omninò præſtantius, atque auguſtius contingere Meſſanenſibus munus potuit, quàm hæc à Deipara Virgine Epiſtola, an Effigies? Meritò illam præſigni religione, ſtudijs incitatiſſimis, cultu quàm ſuperbiſſimo, feſtis ignibus, acclamationibus, plauſibus, triumphis ſuis celebrant. At, non ego cæleſte autographum pro dignitate exornandum ſuſceperim. Ingenium, facultas, ſtylus longè impar. Iuuit nihilominùs delibaſse, vt ſatis pietati meæ facerem. Tu, qui inter literatos viros meritò numeraris, colere Meſsanensem Virginem à Literis iure debes. Foue Marianis hisce literis tua ſtudia, ac ſub Virginea hac vmbra vale. Meſsanæ V. Id. Iunij MDCLXIII.

Nicolao Rogerio S. D.

EPISTOLA XCVI.

POſtridie quàm Meſsanam cũ Sermoneta Prorege appuli, allatæ mihi fuere tuæ literæ, quas impetu quodam reſignaſse, ac legiſse idem penè fuit: nempè vt confeſtim tu mihi occurreres, certioremque me incolumitatis tuæ faceres; ac ſcirem, an Roma, vti ſignificaueras, diſceſseris; & quæ te pars Ciſalpinæ Galliæ, quam cogitabas, nunc teneat. Quòd Bononiæ ſubſtiteris, gratulor. Italiæ vmbilicus Vrbs eſt, planè ornatiſſima, ſi templa, ædes, porticus; ſi ciuium numerum, cultumque nobilium ſpectes. Quæ quidem dilaudanda præcipuè in ea cùm ſint, illud omninò splẽdidius, diuerſorium nempè bonarum artium eſse, atque alteras Europæ Athenas, quò paſſim diſciplinis quà docẽdis, quà diſcendis vndique gentium florentiſſima peregrinantur ingenia: vt dicas, media in Italia Græciam ipſam

cum

cum Academijs, ac Lycèis ſuis penè rediuiuam. Videre mihi videor, per iſthæc te erudita conclauia cum Philoſophis Philosophum, cum oratoribus oratorem; ac ſiue diſceptandum, ſiue ſit perorandum, adeſse te ignea vi mentis, ac ſplendore linguæ. Addes profectò tuis ſtudijs aliquid doctrinarum percelebri huic Athenæo; agnoſcetque Bononienſe Gymnaſium, eſse aliquid, quod diſcat ab ingenio ne dicam, an viuo, ſpirantique Musæo tuo? cum interim tot excellentium virorum vsu, ac veluti attritu quodam eruditionem ipſe tuam non minimùm expolias; gliſcetque à communi plauſu ſapientia, ac fama nominis. Iam, dum tu Bononiæ agis, me tenet Meſsana, non ſanè inuitum. Ea quippe hęc Ciuitas, vt cùm nullum detineat inuitum, detinere vel inuitos poſſit. Prona ad pietatem gentis indoles: à nobilitate, à titulis ſplendor illi non mediocris: Cælum apprimè ſalubre, æſtate præſertim, quę pars anni moleſtior, ventorum afflatus perinde temperant, vt nullum ab æſtiuo ſydere incõmodum, ac morſum timeas. Tuentur hinc montium ſupercilia, ac rupes; hinc mare: munimenta videlicet, quæ natura excitauit: & ſi propugnandæ inclytæ Vrbi, iunctis vnà viribus, coniurauerit cum natura ars ipsa, extructa in montibus non vna arce, quę quicquid huc vnquam Helleſpontiacæ claſſis, audaciæque adnauigaſset, fulminibus ſuis peterent, ac perderent. Illa etiam abundè nota poetarum carminibus monſtra, Charybdis, Scylla propè latrant ad excubias. Quod verò Meſsanam ad Orbis inuidiam ſummoperè nobilitat, is eſt celeberrimus in ea portus, atque imminens portui theatrum, ædificiorum forma, ſplendore, elegantia longè magnificentiſſimum. Exporrectum terræ brachium pelagus ita claudit, vt Scyllæum fretum, procellas, ventum excludat; moranturque ſine metu, ſine motu nauigia in ſinu ipso tranquillitatis. Vides hic eadem ſuis cum puppibus nauigia in theatrum ipsum excurrere, ac ſpectare propiùs, quicquid in eo eſt geſtationum, ac commeantium populorum; planè vt confundi, miſcerique cum curribus roſtratæ ipſæ naues videantur. Ab ipso verò portu peramœnſ

Ca-

Calabri colles tàm propè abſunt, vt, interfuſo licet pelago, manu tangas. Procurrunt hi quidem colles in mare, ac penè velificant, vt theatrali pulcherrimę Vrbis facie, ac magnificentia & ipſi fruantur. Eſset porrò, cur Meſsanenſi in freto, quod vtramque alluit Siciliam, ab accessu, receſsuque celebre, tantiſper adhuc immoremur. Nam piſcoſum id quidem, atque hac potiſſimùm anni tempeſtate piscem hospitatur, cui nomen Xiphias, ab enſe videlicet, quem pręfert. Magnitudine thynnum æquat: forma item haud diſſimilis, niſi quòd illum natura militarem in modum oblongo, duroque adeò mucrone, quem diximus, obarmauit, vt cymbas interdum transuerberauerit. Iucundiſſimum ſui ſpectaculum prębet, cum capitur; accurruntque paſſim ex omni gradu viri, fœminæ, vt tantum peregrinæ voluptatis capiant. Armatum mirè piscem armis etiam adoriuntur; ac fuscina res agitur, cui non vna cuspis, perindè conformata, vt, impreſso vulnere, hæreat lateri lethalis arundo. Ergo, partito munere, plures huc illuc discurrunt cymbæ. Qui ſpeculatorem agit, vbi Xiphiam aduertit, nescio quid Græcè, vt aiunt, admurmurat, vt alliciat, euocetque: atque interim admonitus, eò conuolat piſcator, factoque cominùs gradu, collimat: tùm quanta maxima vi poteſt, triſulcum telum iacit. Accepto ille vulnere, mirum, quo ſe ſe impetu inde proripiat: planè vt tùm quidē expiscari, atque extrahere, fruſtra eſset. Funem, qui ligat fuscinam, indulgere, ac sequi curſu quàm rapidiſſimo fugientem, neceſse eſt, quoad ab ictu vis langueat; ac tùm recusantem, minitantemque non ſine grato quodam intuentium horrore extrahſit, agnoſcuntque generoſiorem piſcis indolem, qui diſtrictum enſē moriens adhuc vibrat; veluti vlciſci mortem ſuam, vel extinctus velit. Sed longius abripuit me Scyllæum fretum: vela contraho; repetita priùs eximia voluntatis in te meæ ſignificatione, quam nunquam ſine ſoſpitatis tuę voto expreſserim. Vale. Meſsanæ. Prid. Kal. Iul. MDCLXIII.

Tho-

Thomæ Summi Cl.Reg.S.D.

EPISTOLA XCVII.

AVctum purpuris auguſtorum Patrum Senatum, attulit huc præmaturè miſſus Roma nuntius, qui commutatis ad celeritatem equis, intra dies non ampliùs ſeptem, non curſu, ſed volatu quodam Meſſanam attigit: vt nihil ſignificauerint deindè noui tuæ literæ; quæ mihi perlatæ, cũ deferbuiſse iam hic lætitia videri poſset. Erat profectò,cur feſtinaret adeò nuntius; nempè vt quàm poſset citiùs, fauſta iſthæc comitia ſignificaret Simeoni Carafæ, ex noſtris Archiepiscopo Meſsanenſi, & Fortunato Carafę, quorum hic germanus frater, ille Patruus Caroli Carafæ, Episcopi Auerſani, atque Apoſtolici ad Cæſarem Nuntij, qui nunc eſt ſapientiſſimi Pontificis iudicio,atque ampliſſima Infula cohoneſtatus. Æquè optata, atque inopinata res contigit: atqueadeò nescio quid acrioris ſenſus habuit lætitia. Planè, cum ab eximia vitæ innocentia, atque ab inſita quadam morum ſuauitate commendatiſſimi Meſsanenſibus ſint Archiepiſcopus, & qui Vicarias eius curas adminiſtrat, Fortunatus; quæ illos intimè affecit hilaritas, communis Vrbi fuit, effuſis in gratulationẽ certatim omnibus:neque defuere teſtandæ lætitię æra ſacra, lucentesque ad Meniana, ac feneſtras lychni. Ædes hę noſtræ, quæ proniori tanti Antiſtitis munificentię ſubſtructionem, ac splendorem ſuum debent, viſæ ad rei nuntium præ gaudio ſubſilire: neque latere id ſtudij potuit, intermicantibus per ima, per ſumma facibus. Præterquàm quod par fratrum lectiſſimorum ex noſtris itẽ id effecere,vt vniuerſæ Theatinæ familiæ addita hæc tot Carafarum purpuris purpura acciderit iucundiſſima. Quid Paulum Pontificem Quartum Carafam, noſtri Ordinis Conditorem, ſumma virtute, ac ſumma Infula Maximum, memorem?Fecit is, vt addictiſſimi Carafis ſint Theatini nominis viri; addicti Theatinis viris Carafæ: eòque

gra-

gratulandum magnoperè hoc potiſſimũ nomine nobis fuit. Ipſe verò Carolus Cardinalis tanto omnium plauſu quã dignus! Ita nunc ad purpuram eſt euectus, vt longè antea id præcipui gradus, ac Tyrij velleris promeruiſse viſus ſit. Ab ipſo iuuentæ flore Romæ, hoc eſt, in ampliſſimo mortalium theatro partes egit planè rosciè; indolemque, magno generi parem; inſtructũ domeſtico ſplendore animum; pectus quantæcũque fortunæ capax; in agendo ſolertiam, mores aureos Romanæ Aulæ cùm primis adprobauit. Munera verò alia ex alijs domi, foriſque egregiè cum obijſset, facilis illi fuit ad purpuram gradus, quam ipſemet ſibi textu quodam clarorũ operum lucubrauit, imbuitque, non conchylij minio, ſed colore virtutis. Porrò, cæteros, quos ad hunc rerum apicem Alexandri Optimi Pontificis beneficentia extulit; non eſt, cur ipſe recenſeam: ſua quiſq; luce nitet. Boncompagnus, Bononiẽſis Antiſtes quantũ hauſit à magno Pontifice Gregorio præclaræ indolis, ac lucis! Bonellus apud Catholicũ Regem Nuntius, quàm bellè à Pij Quinti Sãctiſſimi Pontificis sanguine purpurascit! Piccolomineo Galliarum Legato ſui ſunt etiam Pij Pontifices, qui genus inaugurãt. In Celſo Romanæ virtutis, ac ſanguinis viro, nihil humile. Sabellum, priſca è gente Principem, domeſtica item Pontificum ſceptra, ac ſpiſſior ſuorum purpura nimium, quantùm nobilitent. Atque hos quidem felici nunc puerperio edidit ſemper enixus, nunquam effœtus Pontificis ſinus. Interim arrecti in ſpem alij, qui id vehementer cupiunt, vt è magno illo pectore erumpant, ac lucem aſpiciant purpuræ, quæ illis aurora, & ſuus ſol. Sunt, quos hæ ſpes non afflant, nec lancinant: his menti, ac oculis quies: nã illis ab æſtu quodã animi nulla cõmoto in pectore tranquillitas: insomnia ſomnos abrumpunt, ac asperant: suspensæ ijs aures, quòd nihil non in aula ſuspectum habeant: non alijs, non ſibi credunt: mentiri vultus putant, ac fallere: lætitiam, ſi qua oboritur animo, depascit ſtatim mœror; ſuisque ſe ſe discruciant votis, lictores ſui; nempè qui eiuſmodi ſpes alunt, ſuum circumferunt Phalaridem, ac ſuam crucem. Immunes ab hac

nos laniena: puriſſimi decurrunt nobis ſoles: tranquilliſſima lenocinantur oculis quies. Valeant, quę tanti conſtant, honorum inſignia: ſi vota ſemel paupertas farta fuerit, ac tecta; in noſtra modeſtia, humilitateque triumphamus. Scio, hanc ineſse bonis omnibus mentem; vt eam tibi Deus ſeruet prolixiùs precor. Vale. Meſsanæ IV. Id. Maij MDCLXIV.

Franciſco Antonio Romano S. D.

EPISTOLA XCVIII.

TAm cupidè, quem promiſeras, libellum expectabam, vt ſolito tardiùs allatas mihi literas tuas putem. Acre nempè deſiderium id efficit, vt nulla non videatur tabellariorum velocitas lenta, ac nunquam non claudicet, quod eſt ex ſe rapidiſſimum, tempus. Sic naſcimur, Franciſce Antoni: cùm quid cupimus, nihil infeſtius mora. Addi, ſi fieri id poſset, præferuidis ipſis ſolis equis ſtimulos, vellemus, vt Cælum curſu vorent. Itaque accepi librum, quem paucos intra dies ita percurri, vt exhauſerim. De illo quid ſentio, dicam ingenuè. Non ea intus ſuppellex, quàm fronte adpromittit. Accerſita putidè eruditio, eaque mediocris: ingenio haud reſpondet iudicium: idonea interdū confirmandæ rei momenta affert; ſed cùm maximè contentionem, ac robur poſcere videtur oratio, neruis deſtituitur. Cultus deinde eloquentię comptior, quàm grauior; diceres prodire in publicum medicato liberaliùs vultu, cincinnatulam, ac diſcolore palla, propiorem nuptijs puellam, non matronam, cui ſuus quidem ornatus, ſed longè frugalior, & quem depaſci videtur matura honeſtas. Legi nihilominus non illibenter; nam ſui ſunt identidem arguti ab inge-

nio ſales, atque in ipſo luxu, ac flore dictionis eſt, quod legentes oblectet. Agnetem, ſororem tuam nupſiſse iam Chriſto, intimè gratulor. Pulchrè Agnes, ſuſceptis ritè votis, in complexum, ſinumque Agni inuolauit. Illigari pretioſiore compede; ardere puriore flamma; nobiliori tradi Sponso; Sanctius inire connubium non potuit. Pronuba hic anteſignana illa Virginum, ac magna Mater: anulus è diuini Sponſi manu neſcio quo ſydere prænitet: tædam accendit, quaſsatque diuina charitas: flammeum oppandit virgineus pudor: ſyrma, pictamque adlaborat chlamydem vota paupertas: thalamus à Chriſti purpura ſplendidus, Crux eſt: Epithalamium canit ſapientiſsimus Regum Salomon: Cęlū, Cælites plaudunt. Procul hinc profanus Hymen: procul Feſcennina propudia: procul illa virtutū, piorumque operum ſterilis plerumque fœcunditas. Scio, non parentum reuerentia, ac metu, ſed afflatam diuinitùs, ac ſua ſponte id pręclarę mentis ſuſcepiſse Agnetem. Hinc perſuaſum habeo, leue admodùm delicatiori ceruici iugum fore; crinemque ideò generoſiùs pręcidiſse, vt aureis ijs nexibus ſe Deo, Deum ſibi deuinciret. Compertum nanque vſu eſt, quos parentum blanditię, ac artes in eiusmodi gynecèa compulerint, illas, ceu recuſantes lora, tacitum retinere cum mundo fœdus. Deo dicatæ ſeculum non abdicarunt: ab rerum humanarum guſtu diuina non ſapiunt: abſonus earum auribus Cęli concentus, ac psalmodia: in commune penſum raptantur, non eunt: velum capitis, quod ſanè leuiſsimum, nimiùm, quantum ijs graue: efferatis belluis perindè ſimiles, vt ijs cuſtodiendis ferrea vix ſufficiant clatra: admordent, penè frangunt; animoque transfugę foras erumpunt. Vides prætereà corporis munditias, & cultum, argumentum videlicet, ac teſseram ſeculi arridentis. Vides renaſci comam, ceu fallere labyrinthum, ac carcerem queant ea fila. Vides exteras conteſserari amicitias, easque alloquutionibus, atque vltrò, citròque muneribus ali. Niti deindè in vetitum: ſemper negata cupere: indignari fræno: fruſtra contubernalium obiecta oculis virtus: fruſtra disciplinę do-

cumenta, adhortamenta; atque ipse non raro frangendæ contumaciæ pœnæ rigor. Diſcant parentes, in re tam ardua non re, non verbis delibandam ſuarum Virginum libertatem: lubentibus, volentibus aperiri clauſtra curent; ne dum ijs patere Cælum putant, pateat Herebus: id cæleſtis connubij niſi aſsensu mutuo ritè non contrahi; piaculum eſse, eò puellas compingi, quò non indoles, non genius, non Deus propellit: è puppi incidat in vela diuinior aura, neceſse eſt, vt portum hunc teneant: vbi nunc Agnes trãquilliſſimè feriatur, beatoque fruitur otio, procul mortalibus, Deo propior: paupere ſub tecto, ac tunica, virtutum poſseſſione diues; per ſummam morum innocentiam gloriæ candidata; ſine capillamento, non ſine corona. Hanc tu illi ſortem meo nomine gratulare, eiusque me precibus etiam commenda. Tibi verò ſicubi eſse vſui poſsim, iube, ac Vale. Meſsanæ X. kal. Apr. MDCLIV.

Digitized by Google

Leonardo Landio S. D.

EPISTOLA XCIX.

FVnus optimi Patris accidiſse tibi quàm moleſtiſſimum, nullus dubito: accepto videlicet vulnere, qua parte mortaliũ animus acerbiùs dolet. Imprudens proindè ſim, ſi altũ adeò vulnus perſanari, & coire momentò velim; & quæ maximè ſunt filiorũ in eiuſmodi parentalibus ſolatia, nempè lachrimæ, exſiccandas e veſtigiò, ac ſtatim duxerim. Scio naturæ leges, ac impetus: ſcio vnanimes, atque adamãtinos parentum, ac filiorũ nexus, qui diſsiti, ac diſcindi ſine grauiſſimo humanitatis ſenſu nequeunt. Scio iſtiuſmodi lachrymarũ venas in exteris etiam infortunijs cum laude fluere; quid in domeſtica clade? quid in affini adeò luctu? quid in ipſo amantiſſimorũ parentũ caſu? Eapropter intempeſtiuus, puto, eorũ labor, qui id euellere adhortamẽtis ſuis è cõſanguineorum fibris conantur, quod familiare eſt, quod ſolenne, quod inſitum hominibus; nẽpè pietatis ſenſum, deſiderij acerbitatem, atq; ipſa intimi doloris irritamenta, quibus naſci nos homines, non brutas animantes, nõ cautes, nõ trũcos, probamus. Fuere quidem, qui in chariſſimorũ pignorũ morte ea pectus obfirmauere cõſtantiæ laude, vt obliti ſui generis, naturæque videri poſsent. Comperta eius viri virtus, qui, audito filij funere, ita nullus libauit animum dolor, vt incredibili ſtatim vultus alacritate, firmitateque lateris publicè perorauerit. Par illi robur, qui, dum ſacra Dijs faceret, eodem elatæ ſobolis nuntio percuſsus, nihil de grauitate oris, nihil de ſacrorũ religione, & cultu remiſit, proſecutus intrepidè litationem, dolore inuictus. Eiuſmodi cõſtantiæ ne dicã, an ſtuporis viros alios obtrudit Græcia, Roma alios, quos enimuerò ferreã quandam geſtaſse animã, iure dixeris, quãdo hi caſus, hæc tela non illam exulcerauerint; ac nulla manauerit oculis lachryma, cùm mergi fletibus naturam, haud, herclè, indecorũ videri poſset. Cauendum ſanè, ne dum

depluunt infortunia, ipſa nos frontis ſerenitas in ſtipites transcribat, ac ſaxa: ne exuto communi ſenſu, immanitatē quandam, non ſapientiam pectus induat: ne dum eſse, viderique viri volumus, belluas, quibus nullę lachrimę, imitemur: ne ſanguinis iura violentur; dum dignitati conſulimus: ne lachrymis temperemus cum vulnere, cōuicioque naturę. Itaque iure quàm qui optimo parentum Manes peracerbo doloris officio cohoneſtamus: quid tu, cui eximij patris non tam virtus, quàm illuſtre quoddam virtutum exemplar ereptum? Ipſa cunarum infantia loqui de eo poſset: cuius deinde iuuentus, dum ardore quodam indolis rapitur ad armorum ſtudia, literis egregiè informatur. Certare cum genio oportuit: ſimul pręliari in gymnaſio, ſimul erudito in puluere inſtructus, viſus armatę Palladi nupſiſse, ac miſcuiſse pręclarè belli, ac pacis artes. Foris cum primis ſtrenuus, nulli fortiſſimi, quà militis, quà Ducis parti defuit. Domi verò ita nihil Martij, ac prę ferocis ingenij oſtentabat, vt factus ad modeſtiam, humanitatem, officiorum cultum, atque otia literarum videretur. In acerrima indole nihil moderatius: affabilitas illi ſupra caſtrenſem virum: perindè ad elegantiam expolitus, vt nihil militaris pulueris adhęſerit moribus. Laudes cumulabat pietas, quam ad ipſam Martis aram coluit; eratque exemplo cęteris armata religio. Mitto reliqua virtutum pręſidia: neque enim conſilium hic mihi, elogium magno viro conſcribere: pręſertim quòd aſperare vehementer deſiderium, ac mortis vulnus hoc eſset. Huius tu parentis fata excipere ſicco prorsùs ſupercilio, ac vultu poteras? Ergo gratulari tibi felicitatem, resque eius geſtas licuit, lamentari ad buſta non licuit? an ita conformatum tibi pectus, vt perfundi lætitijs, affundi mœrore non poſset? Quem mihi ex omni dabis antiquitate, cuius lachrymis defuncti parētis vultus, ac cineres non immaduerint: denique ita natura comparauimus, vt, cùm ſuo naſcātur, moriantur ſuorum fletu homines. Illud ſolummodò curandum, ne modum excedat lachryma, exundansque latiùs, animum fletu mergat. Prolixiùs, & non ſine aliqua capilla-

men-

menti, ac pectoris iniuria dolere fœminas, fortaſse non dedecet: vt quibus mollior indoles, ac ſenſus penè intractabilis. Viris nonniſi viriliter dolendum. Eluceat in ipsa conſternatione conſtantia, atque erecta quędam mens, nulla fati acerbitate, nulla mortis clade, nullo vnquam fortunę turbine obruenda. Lugeat non tam amor, quam honeſtas, ac ratio: breues ſint, & quę citò exareſcant, lachrimę: ſic extincto patri ſuperſtes filij grauitas, ac generoſitas: non orbitatem, ac iacturam ſuam, ſed parentis memoriam, virtutem, decus lugubri proſequatur officio ſoboles: denique ita mœreat, vt nullã ſibi mœroris partem affectus vendicet: iſque ſit dolor, qui non expectet à mora temporis præſidium, ac opem: qualem fuiſse tuum audio, mi Leonarde, in quo viſus ſapientis iuxta, atque amantiſſimi filij partes egiſse, ac reſpondiſse egregiè, & promeritis patris, & dolori tuo.

Quod ad me attinet, vt amiciſſimi capitis funus, ac iacturam tuæ domus intimè dolui; ita ſummoperè gratulor, te non modò fortunis, ſed eximię eius succeſſiſse virtuti: Deinque etiam, atque etiam precor, vt quos illi annos abſtulit, tibi adauctos velit, ſeruetque incolumem & te, & lectiſſimam ſobolem.

Vale.

Cæſari Portio S. D.

EPISTOLA [illegible]

HÆremus adhuc Meſſanæ, mi Cæſar. Poſt æſtatem hyemauimus; nec vnquam putaui, fore, vt hæc etiã nobis recurreret hic æſtas: reclamante præſertim altera Siciliæ Metropoli, quæ, vt ęgrè auelli à ſe Principem tulit; ita diutiùs hic immorari, mirũ, quantũ moleſtè ferat; curatq; omni ope, vt poſtliminiò redeat, eripiatque ſe ſe hinc; perindè quaſi in medio ipſo Meſſanenſi freto Prorex fluctuet; aut in Charybdis, ac Scyllæ faucibus, quæ propiora hic monſtra, agat. Pulcherrimarum hoc certamen, ac diſſidium Vrbium: illa, repoſcit, hęc detinet. Nos interim alteram hic bombycum vindemiam agimus; nam hęc potiſſimùm Meſſanæ, ac circumiacentis regionis autumnitas, hi prouentus. Non opulenta flaueſcit hic ſeges; rara item vineta, nec larga oliuitas. E reliqua Sicilia, ac propiore Calabria, quæ feraciſſima longè Prouincia eſt, adnauigat huc annona, & quicquid Ciuibus eſt vſui, ac alui. In re verò ſericaria ita penè toti ſunt Meſſanenſes, vt Seres Itali dici iure queant. In ſuburbanis pagis, ac oppidis feruet hoc opus; & quod eſt in Vrbibus ſplendidiſſimum indumenti genus, ruri nent, non attrito pollice, ac facili manu virgines, ſed operioſiores vermium vigiliæ, ac labor, quos lucubrandę mortalium pompę natura deſtinauit. Cunas hi habent in mulierum plerũq; ſinu; tumulum verò ſuomet in ſerico ſibi ipſi adlaborant: planè vt neque naſci, neque conſepeliri molliùs poſſint. Enatos, quis [illegible] virente coma, quę mox eorum in ſinu flau[illegible] fuluumque capillamentum frondes. Hiſce affatim veſcuntur; ſed vbi diù vorauerint, euomunt ſubindè, quę minimè vorarunt; nempè auri, argentique *fila*. Hoc ſanè mirum, pretioſam adeò viſcerum opulentiam vltrò exponi, ac penè proijci. Scilicet, nulli meliùs humanas opes æſtimant, quàm hi vermes, qui

con-

congeſtas ſinu diuitias, expuunt; ac penſa illa aurea nihil penſi habent. Sed age, intentas ſumptuoſo opificio erucas aſpice. In tenui quidem labor; ſed nihil iis operoſius. Ceu quid altius, ac grandius meditentur, aſſurgunt, librantque ſe ramis. Vides ab exigua quadam pectorum aurifodina extrahi, ac trahi quàm ſubtiliſſimè in fila aurum. Ipsæ ſibi citra colum, ac fuſum fatales Parcæ, ac penè ſeipſas nent. Inſiſtunt ſplendido certatim lanificio. Eunt, redeunt ſua per ſtamina ſericariæ funambulæ. Quæ ducunt deindè fila, ſuſpendunt, decuſſant, glomerant, torquent, retorquent. Diceres, occurſu, recurſuque liciorum Mæandrum innecti, aut labyrinthum, vbi ſuo se se filo magis implicant. Quid? cò tandem cura illa vermium ſpectat, vt addensato, intortoque mirè ſtamine, folliculos conſtruant, an tumulos? Moriuntur hic magnificè; ac ne quid alieno ſepulcro debeant, ſua quiſque operosa in vrnula contumulatur. Vide, quot hinc exiſtunt genti mortalium documenta. Quid à pompa, ac faſtu ambitioſiùs superbis? Ornaméta vitæ ſaliua, aut fæx erucarum ſunt; Quicquid in veſtibus lucet, affine ſepulcro eſt, atque inde pectitur: nullus diuitum thalamus, niſi à tumulo vermium: vt magnificè niteas, exhaurienda viſcera ſunt: quæ ea dementia eſt, intimè conſumi, vt hæres ſplendeat? Quorsū ille in congerendis opibus auaritiæ æſtus, ac labor, quando propior illi tumulus? An cuipiam proderit, diuitijs ſuis immori, ſuoque in luxu conſepeliri? Si nescis, ipsæ ſuæ opes diuitibus exitio ſunt: implicant, ac tandem conficiunt. Quāquam dilaudanda hic maximè diuini Numinis Sapientia, quæ id exiguæ tineæ facultatis ingenerauit, tantùmq; indidit opum ad maieſtatis ſplendorem, ad templorum cultum, ad nitorem procerum, ad fœminarum ornatum, ac pompam. En quàm multiplici opere in quot ſpecies, formaſque abit diurna, nocturnaque manu oloſericus pannus. Vides vndantem, criſpantem, villoſum, intertraſum, belluatum, vernantē floribus, emblematis picturatum, craſſiorem, tenuem, leuiſſimum, ac ventum ferè textilem per anni vices, ac tempora. Quid colores, quos ebibit? vides candidum, aquilum, muri-

 ri-

ritum, cyaneum, conchyliatum, luteum, praſinum, venetum, dilutum, ſaturum, ſurdum, bicolorem, diſcolorem, multicolorem. Hinc ſua templis ſuppellex: hinc aris vela, ornatus aulis, aulæa domibus, paludamenta Regibus, Ducibus chlamydes, matronis ſtolæ, Virginibus pallæ. Proh quãtum in tantula eruca operum! quæ deinde ſibi ſuperſtes, ſuique hæres, ac ſoboles, rediuiuam repubeſcit in volucrem, ſericatus phœnix; ſuique generis ſtirpem per ſeminum traduces mirè inſtaurat, extenditque. Sed longiùs prouexit ſtylus: non ea profectò mihi mens: accidit non rarò, vt calamum ſequar, ſi quem aliquando impetum conceperit. Habes interim à me curſim, quod ad omnem carminis elegantiam cecinit olim Hieronymus Vida, qui Sericariam in Parnaſſum intulit, vt ſua Muſis ſplendida eſſent indumenta. Quem mihi cõmodaſti libellum, libenter legi: redit nunc nõ ſine fœnore gratiarum, atque eximia mei in te ſtudij ſignificatione. Cum eo carmen mitto, quod ad Andreæ Cirini, viri ex noſtris erudiriſſimi Commentaria de Vrbe Roma lucubraui. Rogatùs cecini: mitto, vt limam addas, ac polias. Sic verò ipſamet Roma loquitur.

Illa ego Martigena quondam fundata Quirino,
Terrarum domina, & domitrix; mundique ter ampli,
Et Regum terror; fortuna maior, & aſtris,
Et maior fatis; bellorum, atque arbitra pacis,
Sum Roma: occiduo cui lambit Atlanticus olim
Oceanus fluctu chlamydem; quam lumine primo
Sol oriens, Pyroisque afflat propiore fauilla.
Illa ego Regina Auſoniæ, quæ vecta curuli,
Indum vltra, Tanaimque vltra nomenque Latinum
Prorogo, & Æneadum faſces, & Romula fræna.
Me bellatricem Curij fecere, maresque
Fabricij, Paulusque ferox, & fulmina belli
Scipiadæ, & duri Mauortis lumina mille.
Commodat ipſe etiam cæleſtia Iuppiter arma,
Fulmineamque Aquilam perſtare ad caſtra minaci

Vn-

Vngue iubet, flammas atque intentare triſulcas.
Hinc altum ſpiro: hinc vigor, hinc mihi pectora magna.
Plena animæ; ſpes hinc, & vota capacia mundi.
Non ſatis eſt Latium Romæ, non Itala Regna:
Vicimus Herculeas Gades, Calpemque ſuperbam,
Et galea victrice Tagi fuluum hauſimus aurum.
Nil iuuere hyemes Germanis; nil ſua Gallis
Geſa: & diuiſos penetrauimus orbe Britannos.
Caucaſeæ & patuere fores, domituſque Niphates,
Fractique Arſacidæ, & ceu compede vinctus Araxes.
Nec Libycas numero clades, & Punica damna,
Atque pharetrati mihi ſubdita regna Syphacis.
Non capit exuuias orbis: Tarpeia rupes
Eſt ſpolijs impar: numero mea bella triumphis,
Denſaque in immenſas creſcit mihi laurea ſiluas.
At ſenui tandem: ſquallens incanuit alto
Puluere cæſaries: non ardet fronte Gradiuus:
Non animat, validoſque armat vis illa lacertos.
Victrices ſenuere Aquilæ: non vnguibus arma
Suſpendunt; non pila timet mea barbarus hoſtis.
Maieſtas & vultu abijt. Quæ pompa Latinis
Collibus eſt reliqua? inſculptis vbi priſca theatris
Aut Paros, aut Nomas, & ſaxis pendentibus arcus?
Quæ fora Phidiacis animantur ſplendida ſignis?
Nempè abijt ſpecies; cecidere cadauera Romæ,
Triſtis & in paucis vix oſſibus vmbra ſuperſum.
Attamen affulſit poſt ſecula longa iuuentæ
Spes animo, & Latio micuit lux alma ſepulto:
Cernitis? euoluit tabulas reuolubilis æui,
Itque sagax mente ad ſecreta cubilia rerum
Cirinus; cogitque loqui monumenta vetuſta,
Et fractos lapides, mutiloſque, & marmora muta.
Hinc facili dextra, calamoque nec impare faſtos,
Annaleſque meos ornat; Romanaque facta,
Romanumque decus ſtudio complectitur omne.
Credite; fracta licet ſenio, longæuus & ardor

Lan-

Languit , & robur; videor tamen altera : priscus
Flos redijt membris, rediuiua & pectore virtus.
Eſt mihi Cirinus velut alter nempè Quirinus :
Natalesque meos , excepta volumine docto,
Hinc viuax renouo, vt Phœbi reparabilis Ales.
  Incipiunt iterum facundo hoc auspice fauſtè
Ire mihi prono victricia secula cursu.
Nunc iterum Fabijsque meis, rigidisque Camillis
Bella gero ; dominoque Tybri captiuus Orontes
Subditur : & Gallos iterum, Pœnosque triumpho.
Egregius Scriptor, peperi quę fulmine dextro,
Nunc reparat ; sum Roma iterum : rediere triumphi ;
Et latus redijt clauus , trabeæque ſuperbæ.
  Eſt, Cirine, tibi merces , pretiumque laboris,
Et deſudatis respondent præmia chartis.
Mutuus eſt nobis splendor, par gloria vtrique.
Ipsa tuis viuam monumentis clara disertis :
Inclytus æternùm tu viues nomine noſtro.

FINIS EPISTOLARVM.

EPIGRAMMATVM

CENTVRIA PRIMA

DE CHRISTO IN GETHSEMANI HORTO.

Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis.

EPIGRAMMA I.

QVà violis hortus vernat; quà murmure leni
Alluit vmbriferum fuſilis vnda nemus;
Angitur en Dominus, palleſcit, mœret, anhelat,
Et deſudato rore cruentat humum.
Non placidæ Zephyrorum animæ, non agmina florum
Picta laboranti pectora anhela leuant,
Is labor eſt Domino, facilem quando excolit hortum?
Cum colet abruptum Golgotha, qualis erit?

Pater ignoſce illis.

EPIGRAMMA II.

ME dirè excruciat ferrum penetrabile, & artus
Aſperat immeritos cuſpis ahena meos;
Quod tamen, ò Genitor, mea pectora diriùs vrget
Supplicium, ſontum crimen, & ira tua eſt.
Hinc dolor infandus, nulla medicabilis arte:
Hęc me cura grauis vexat, & hinc pereo.

Proijce tela manu, Pater alme; ignoſce: dolorem
Lenire hæc poterunt balſama ſola meum.

Mulier, ecce filius tuus.

EPIGRAMMA III.

CRux me ſponſa tenet: viden vt sua brachia caros
Soluat in amplexus, me foueatque ſinu?
Hærere hinc cogor ſponsæ, & te linquere, Mater,
Scilicet, hæ leges, hæc rata iura tori.
Tu parce at lachrymis: proles nempè altera prolem
En reparat, pulchrà reſtituitque vice.
Quàm fœcunda Crucis ſint hæc connubia, cerne,
Quæ ſobolem tantam tàm peperere citò.

Ecce Mater tua.

EPIGRAMMA IV.

HInc me Diuus Amor, Pater hinc me robore duro
Figit, & hinc acuit ſpicula dira manus.
Iam morior, noua tu ſoboles complectere Matrem
Exanimem; illi tu filius, illa parens.
Si nescis, dum magnæ inter conuiuia menſæ
Suprema in noſtro pectore nocte cubas;
Admotus velut vberibus, tunc altera crescis
Tu Matri ſoboles, tunc aluique ſinu.

Hodie mecum eris in Paradiſo.

EPIGRAMMA V.

VLtricem meritus Nemeſim, ſtat penſilis alto
Stipite: ſic pendit publica furta Latro.
At piget exacti ſceleris: tum ſupplice vultu

Orat

Digitized by Google

Orat, & extinĉto à Numine poſcit opem.
Nec mora: mutato Superum patet aula Latroni,
Inuolat & felix in noua furta manus.
Cerne opus hoc mirum: non illi libera dextra eſt:
Affixa at potuit ſic rapuiſse manus.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.

EPIGRAMMA VI.

PVgnatum, Genitor, nec vulnere ſaucius vno,
Clara, triumphato Dite, trophæa tuli.
Nunc redeo: victricem animam complectere blandè,
Excipe & in manibus poſt fera bella tuis.
Aſpicis egregiam morientis Numinis artem,
Ludat vt irati fulmina dira Patris?
Poſcit nempè manus: bellè ſic impedit illas,
Ne ſueta implicitę tela vibrare queant.

Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?

EPIGRAMMA VII.

HInc me dira canum rabies: hinc aſpera tigris,
Hinc & Marmaricus me petit vngue leo.
Diſcerpunt, laniant; creſcit furor ipſe nocendo,
Vulneribus cumulat vulnera ſæua manus.
Tu, Pater, in media exanimem me linquis arena?
Dum furit in Sobolem tàm grauis ira lates?
Diſcite; quàm triſtis noſtri ſit ſcena doloris,
Et duræ facies quàm truculenta necis.
Vt vidit Pater, vt latuit: luctamque cruentam
Intrepido nequijt pectore ferre meam.

Sitio.

EPIGRAMMA VIII.

CVi rigui fontes, manat cui ductilis amnis,
Fuſile cui Cælum depluit, ille ſitit.
Ille ſitit, dire ſciſſo cui corpore, mille
Flumina ceu viua è rupe cruenta fluunt.
Nec bibit: ipse ſuæ Dominus fit Tantalus vndæ,
Et docet, arenti gutture quid ſitiat.
Nos ſitit illa ſitis: cur non liqueſcimus vltrò
In lachrymam, vt noſtra nos bibat in lachryma?

Conſumatum eſt?

EPIGRAMMA IX.

IAm cruor exhauſtus venis per vulnera mille,
Improba quod feriat iamque habet ira nihil.
Conſumpta eſt rabies vulgi; facinusque cruentum
Perfecere rubi, ſpicula, flagra, chalybs.
An conſumptus amor? quæ formidanda malorum
Ilias eſt votis pectoris æqua mei?
Herculeas tenui metas: nec ſufficit: vltra
Credite inexpletus velificauit amor.

Stabat Mater iuxta crucem.

EPIGRAMMA X.

FErali æternum pendet dum ſtipite Numen,
Et luit immerita crimina noſtra nece.
Atratum triſti mœret ferrugine Cælum,
Sol luget, ſquallent aſtra, elementa labant.
Stat fronte immota Genitrix in funere tanto,
Et rigat intrepidas lachryma nulla genas,

Non tibi, Diua Parens, certet Rhodopeia quercus,
Quam dira aſſiduo turbine vexat hyems.
Magnum illi robur; nutat ſed vertice ſaltem,
Auſter vbi ſpirat turbidus, aut aquilo.
Te vis nulla mouet, Virgo: ſpirante vel ipſo
Numine, defixo ſtas generoſa gradu.

De Chriſti Domini ſepulcro.

EPIGRAMMA XI.

NOn Memphis, non ſculpta Paros, non picta Caryſtos
Exanimi Domino culta ſepulcra parant.
Sat rupe excisum monumentum flebile: magnis
Sat facili exuuijs ſaxa cauata manu.
Nam fuerit cùm plena Deo rudis vrna, quid illa
Dixeris à tanto pignore ſplendidius?
Ipſa ſibi Memphis, pretioſior ipſa Caryſtos,
Ipſa fuere ſibi membra ſepulta Paros.

De eodem ſepulcro ad Principes.

EPIGRAMMA XII.

COnditus hac olim rerum pulcherrimus vrna:
Hoc voluit ſaxo delituiſſe Deus.
Afflauit decus, & pretium miſerabile Numen,
Hæſit & à grandi funere grande iubar.
Captiua at ſquallent monumenta hæc magna, Tyrannus
Iſmaricus duro ſeruitioque premit.
Vos hæc, magnæ Animæ, vos Reges, cura laceſſit;
Inclyta vos tacita voce ſepulcra monent.
Torpent arma manu? virtus deferbuit? ille
Veſtrum non acuit ferrum, animoſque lapis?
Ergo animet tumulus vires. & fœdere pulchro
Nectite, magnanimi, pectora, & arma ſimul.

Si

Si caditis, functis en nobile Mauſoleum:
  Vincitis? hoc ſaxum ſculpta trophæa notet.

De eodem ſepulcro.

EPIGRAMMA XIII.

Exuuiæ hic magnæ æterni iacuere Tonantis:
  Condidit hæc olim flebilis vrna Deum.
Haud iacuere diù immortalia pignora; at inde
  Immortale hauſit nobilis vrna decus.
Vile abijt ſaxum peregrinam in Iaſpida, & vmbra
  Fulſit ab exanimi Numine ſole ſuo.
Hoſpes, quiſquis es, in vacuum ſuccede ſepulcrum:
  Dulce erit hoc tumulo viuere, dulce mori.

De alapa Chriſto Domino inflicta.

EPIGRAMMA XIV.

Qvis nouus Enceladus magni metuenda Tonantis
  Impetit, excuſſo fulmine, & ora ferit?
Magnum hoc, ſacrilegum vultus temeraſſe verendos;
  Maius at incolumi contemeraſſe manu.
Muti, olim tua dextra arſit, quòd falleret ictus:
  Quæ ferit, haud atrox arſerit illa manus?

Vapulat ad Columnam Chriſtus.

EPIGRAMMA XV.

In Dominum, duræ hærentem, vinctumque columnæ,
  Durior inſani militis ira furit.
Flagra ardent, ictusque ruunt dum grandinis inſtar,
  Diſſecta irriguo ſanguine membra pluunt.
Ad ſcelus erubuit roſeo ſuffuſa columna

San-

Digitized by Google

Sanguine, & in lachrymas fuſile marmor abit.
Cerne vices : rigidæ Dominus dat flere columnæ,
Duritiem Domino mutuat illa ſuam.
Aſpera totque inter flagra emollita columna eſt :
Mollior & Dominus dura columna fuit.

Reſplenduit facies eius ſicut Sol.

EPIGRAMMA XVI.

VT ſe ſe pandat Soboles æquæua Parenti,
Cernis in auguſta fronte micare iubar.
Nempe Deus rutilat vultu ſub imagine Solis ;
Æternumque nouo in lumine Numen habes.
Aſpicis hinc bellè radiata Parelia; & alter
Sol Cælo eſt, alter Numinis ore micat.
Conde diem, Cælum qui ſol metiris ; ab aureo
Numinis exoritur clarior ore dies.

Veſtimenta eius ſicut nix.

EPIGRAMMA XVII.

SOle ſub ardenti, rutilo qui fulgurat ore,
Per Domini exuuias aſpicis ire niues.
Quis credat ? propiore calet nix candida Sole ;
Feruidus atque alget Sol propiore niue.
At candor lucis Deus eſt : miraberis, ille
Nectat ſi pulchro fœdere Sole niuem ?

De Marianis niuibus in colle Exquilino.

EPIGRAMMA XVIII.

EXquilijs hyemat niuibus Roma ardua, flammas
Sydereo rutilas dum vomit ore leo.

Quà

Digitized by Google

Quà Latius niueas euaſit cliuus in Alpes,
Hic ſua templa iubet ſurgere magna Parens.
Ardentes hyemes, glaciales deligit æſtus,
Certet vt in templo cum niue flamma ſuo.
Hoc docuit, dignum fore templum Virgine, quiſquis
Candeat hinc flamma, candeat inde niue.

Ad Diuam Virginem Puritatis Sicut plantatio roſa

EPIGRAMMA XIX.

COncolor argento, niueo ſimiliſque liguſtro
Lacteolo quondam canduit ore roſa.
Saucia puniceo ſed dum Venus irrigat imbre,
Pinxit odoratas purpura fuſa niues.
Nunc redijt candor, mutato murice, quando
Inclyta Virgineæ Matris imago roſa eſt.
Nempè repræſentat magnæ dum Virginis ora,
Eſt niue candidor, quæ modò rubra fuit.

Ad eandem

Sicut lilium inter ſpinas.

EPIGRAMMA XX.

DEcolor his vultus, violiſque ſimillimus olim,
Vernabantque alijs lilia priſca notis.
Imbre ſed inſperſo Iunonis ab vbere, candent;
Imbuit & pulchrè lacteus ora color.
Cerne vices: iterum mutato lilia flore,
Aſpicis in violas nunc abijſſe ſuas.
Virgineo ſiquidem pallent collata nitori,
Quæque fuere modò candida, fuſca vides.

Ad

Ad eandem

EPIGRAMMA XXI.

ILlibata cupis ſi pingere Virginis ora;
Collige Erythræo è littore Margaridas.
Adde ebur, aut onycem, vernis & mixta liguſtris,
Lactea quæ florent lilia vere nouo.
Iunge niues Scythicas, deſit nec candida byſsus,
Nec quæ ſydereo ſemita lacte fluit.
Talia nempè decent niueam pigmenta Parentem,
Exprimit hic puræ Virginis ora color.
Fallor: Virgineos non æquant, credite, vultus
Lilia, margarides, cana liguſtra, niues.
Libandus candor diuina ab imagine: & illam
Si cupis egregiè pingere, pinge Deum.

Aſſumitur in Cælum Deipara.

EPIGRAMMA XXII.

CVr poſitis, Virgo, exuuijs, terriſque relictis,
Æthera ſublimis ſcandis, & aſtra petis?
Nempe ipſa es Cælum, rutilant cui ſydera fronte,
Cui Sol irradiat pectora, Luna pedes.
Adde & cæleſti perfuſam Numine mentem;
Et quæ ſydereo nectare corda natant.
Cælum igitur Cælo cur infers, aſtraque miſces
Aſtris? cur quæris Numina, plena Deo?
I tamen, i fauſtè, Virgo: quid pulchrius vnquam,
Quàm Cælum Cælo poſse beare tuo.

Ficus ſuos fructus decerpendos Deipara tradit, dum fugeret cum Puero Ieſu in Ægyptum.

EPIGRAMMA XXIII.

SYdereum vt ſeruent Puerum Ieſſæa Virgo,
Ieſſæuſque Senex, extera regna petunt.
Quà fugiunt, calatho dat candida lilia pleno,
Et ver omnigenum florida fundit humus.
Laſſatos viridi patulæ ſub tegmine ficus
Excipit, & longam recreat vmbra viam.
Hoſpita quin cumulat mox ficus amabile munus,
Vmbræ & mellitas addere viſa dapes.
Brachia nam curuat, fuluo qui nectare manant,
Porrigit & fœtus officioſa ſuos.
Carpit poma manu Virgo, Sponſuſque iugalis
Carpit virginea dulcia poma manu.
Iſthęc quàm primæ diſpar eſt altera ficus:
Nimirum lęta hæc, lethifera illa fuit.

Ad Infantis Dei aduentum corruunt in Ægypto Deorum ſimulacra.

EPIGRAMMA XXIV.

DVm fugit auguſta auguſtus cum Matre Puellus:
Excipis hoſpitio, dure Canope, tuo.
Vix Puer hæc magnus ſubit horrida regna, tonantem
Cum ſenſere Deum monſtra pudenda Stygis.
Nec mora: plena Herebo, laruiſque animata Deorum
Marmora, cumque ſuo Numine ſaxa ruunt.
Hic diffracta Iſis iacet hic latrator Anubis,
Corruit & Pharius Bos, mutiluſque draco.
Supplice nempè ſuum vultu ſic Numen adorant,
Et iuuat ad Pueri procubuiſſe pedes.
Vel quia, cùm facili ſemper ſint prona ruinæ,
Cælo olim, hic iterum monſtra ſuperba ruunt.

D.Ioan-

D. Ioannes Baptiſta ab infantia Eremi cultor, Vox clamantis in deſerto.

EPGRAMMA XXV.

CAndida ſugit adhuc lectæ Puer vbera Matris,
  Blandulus & molli in pectore ludit adhuc,
Vmbras cum nemorum in gelidas, ſyluasque ſilentes,
  Se maior, mundi transfuga, adultus abit,
Vbere pro pleno ſuccedit ſuſile marmor,
  Imbre ſuo, & truncis mella liquata cauis.
Cœcum antrum Puero pretioſa cubilia ſternit,
  Et quæ muſcoſo gramine vernat humus.
Par membris tegmen puerilibus, itque per artus
  Intonſum vellus, pellis & hirta feræ.
Diue Puer, tam dira voras ſine dente? leones
  Lacteus haud horres, ſæua nec ora lupi?
I tamen, i ſyluis: miteſcent, te hoſpite, ſyluæ:
  Tu fies, ſylua hac hoſpite, voce leo.

De Solis Eclypſi in Chriſti morte.

EPIGRAMMA XXVI.

VIdit vt æternum morientem in ſtipite Solem,
  Sol dolet, exanimis vellet & ipse mori.
Et iam nuda cadit gelidæ inter brachia Lunæ,
  Numinis atque ſuo funere funus obit.
Sic gemini cernis deliquia triſtia Solis;
  Pallens ille polo deficit, ille ſolo.
At dum congeminant noctem Sol vnus, & alter,
  Sydera cur Cælo nulla micare vides?
Scilicet, has inter tenebras, noctesque profundas
  Lugent, non lucent ſydera luce ſua.

Ad galli cantum ſua menti redit Petrus.

EPIGRAMMA XXVII.

CVi nox atra oculis, animoque offusa caligo eſt;
Atque ſemel Dominum noſse, iterumque negat.
Peruigil vt monuit gallus, mox diſpulit vmbram
Ex oculis, lachrima diuite largifluis.
Lux redijt menti rediuiua, & pectore Petri
Affulſiſse nouo lumine visa dies.
Nimirum cum voce canit Titanius ales,
Indicat, auricomum non procul eſse Iubar.

Paulus Apoſtolus viperam à ſe repulit.

EPIGRAMMA XXVIII.

VInctus adit Melitam prędura compede Paulus;
Lingua ſed eloquio liberiore fluit.
Grandia dum loquitur, ſinuoſo vipera tractu
Visa catenatam figere dente manum.
Horret, quisquis adeſt; Paulus non horruit; illam
Excutit in medium dextra reuincta rogum.
Sic monſtris Herebi mirè proludit: ab angue
Herculeus cœpit fundere monſtra labor.

Leo magnus Attilæ occurrit.

EPIGRAMMA XXIX.

VIttatam Scythicus dum ſpe vorat Attila Romam,
Præcipitique petit tecta Quirina pede:
Et Latiæ trepidant matres, paſſisque capillis
Illachrymat tanto à funere mœſta nurus.
Non tulit hæc Vrbi magnæ impendentia Magnus
Fata Leo, egregium & pectore voluit opus.

Non

Non oculis ardet, falcato haud territat vngue,
  Non fuluæ horrificant colla ſuperba iubæ.
Ore graui pietas, chlamys, Infula, copia fandi,
  Romulidum Patris hæc arma Leonis erant.
Occurrit, prece luctatur, ſua fulmina mittit
  Lingua, triumphato & Rege trophæa tulit.
Credite, qui fregit, domuitque hæc horrida monſtra ;
  Non Leo, at Alcides verius ille fuit.

D. *Athanaſius in puteo deliteſcit.*

EPIGRAMMA XXX.

IT profugus toto Vir pugnaciſſimus Orbe :
  Magnanimus renouat prælia, dum refugit.
Nusquam tuta fides : ſedes has mutat & illas :
  Nec timet, immota mente, animoque vagus.
Tandem cui magnus fugienti haud ſufficit orbis ;
  In puteo voluit delituiſse diù.
Scilicet, ærumnis grandis dum paſcitur Heros,
  In puteo lachrymas ebibit ipſe ſuas.

Idem in ſepulcro Patris latet.

EPIGRAMMA XXXI.

NE cedat Præſul, ſe celat : Patris in vrna
  Conditur, & viuum contegit vmbra iubar.
Vitalis Diuo tumulus, vitale ſepulcrum eſt :
  Datque ſemel Soboli vitam, iterumque Pater.
At vos ſacrilegas armate in vulnera dextras,
  Impia gens, veſtras; non timet Ille mori.
Cernite, ſponte ſua gelidæ ſe ſe intulit vrnæ :
  Non fugit, at mortem prouocat ille ſuam.

D. Sta-

D. Stanislai diſcerptum corpus aquila tuetur.

EPIGRAMMA XXXII.

SAcra Boleslaus quæ cædit membra minutim,
Proijcit atque auidis lata per arua feris:
Non dentes, non ora vorant: regina volucrum
Armigera ad vigiles deuolat excubias.
Itque, reditque ferox, roſtro terretque minaci,
Pignora magnanimo nec ſinit vngue rapi.
Rex caue: nanque Aquila innocuos dum vindicat artus,
Indicat, æterni fulmina adeſse Iouis.

Diuus idem à Boleslao Rege diſcerptus, nulla vulnerum cicatrice, vnitur mirè.

EPIGRAMMA XXXIII.

DVm facit auguſtam vittatus Præsul ad aram,
Rex ferro immeritum transfodit ipse ſuo.
Corpus & in partes ſcindit, ſpargique per agros
Sciſsa minutatim membra cruenta iubet.
Colligit at Manes manus impigra; nexaque mirè
Pignora; & in corpus mox rediere ſuum.
Nulla vides, Rex dire, tui hic monumenta furoris,
Signaque in intacto corpore nulla necis.
Nempè Stanislaum dum diſcerpſiſse putabas,
Nil rabies, crudæ nil nocuere manus.

In ore D. Ambroſij apes mellificant.

EPIGRAMMA XXXIV.

INsubriæ decus Ambroſius puerilibus olim
Dum iacet in cunis, ridet & ore roſa:
It mellitus apum cuneus, plauditque ſusurro,

Vi-

Viſus & in roſeis incubuiſſe labris.
Nec volucris ferſatur apis; totumque agmine facto,
Lucubrat in teneris dulcia mella roſis.
Florea dum pueri inſtillat nutricula rorem
Faucibus, hæc leni murmure viſa loqui.
Lacte alij niueo creſcant: hoc nectare puro
Creſcere, & ambroſia debuit Ambroſius.

Apes ædiculam conſtruunt Eucharistico Numini

EPIGRAMMA XXV.

DÆdala quæ flauo redolent aluearia melle,
Proijcit æteream dextra profana Dapem.
Cecropiæ mirantur apes, & murmure dulci
Concelebrant, niueo qui latet orbe, Deum.
Templa dein ſtatuunt: pars & fundamina ponunt,
Tecta aliæ, hæ frontem, hæ culmina celſa locant;
Feruet opus; conſtructa vides en cerea phana;
Turrim etiam, è turri pendula & æra vides.
Florilegæ artifices, veſtro quæ melle relicto,
Sydereæ templum ponitis Ambroſiæ;
Credite, tecta ruent Pharijs impoſta columnis,
Veſtra ſed hæc fragilis cera perennis erit.

Apes pyxidem S. Eucharistiæ efformant.

EPIGRAMMA XXXVI.

QVæ ſeruat nectar cereale argentea pyxis,
Proh ſcelus! audaces ſurripuere manus.
Argentumque ſinu condunt; frugemque verendam
Proijciunt, quà mel fuſile condit apis.
Agnoſcit mellita phalanx venerabile Numen:
Nec mora: certatim nobile cudit opus.
Expediunt ceras, tornantque, ornantque, magiſtra

Ex-

Expoliunt bellè cuſpide, & arte cauant.
Hinc niue candidior, rapto ſimiliſque metallo,
Excipit auguſtas vrna beata Dapes.
Gaudet ſacra Ceres cera; de Numine gaudet
Pyxis: deque ſua Pyxide gaudet apis.

In Leonis ore fauus

EPIGRAMMA XVII.

AGgreditur fulua horrentem ceruice Leonem
Iſacidum Alcides, dilaceratque manu.
Fortè redit, dextræ corpus quà ſtrauerat ingens,
Et repetit palmæ pulchra trophæa ſuæ.
Cum videt Hyblæas grandi ſtare ore volucres,
Et Lesboa ſuis mella liquaſse fauis.
Aſpicis? ipse hoſtis victorem munerat hoſtem;
Scilicet, eſt virtus hoſtibus in pretio.
Interea, quæ dura putas, quæque aſpera, magna
Dulcia virtuti te docet eſse Leo.

Rex Boemiæ Vincislaus ſua manu curat quæ ſunt ad Euchariſticum ſacrificium neceſſaria.

EPIGRAMMA XXXVIII.

QVa Numen cereale colat pietate Boemus,
Indicat auguſto vomere cultus ager.
Ipse aræ frugem curat: de Rege colonus,
Ipse arat, ipse ſerit iugera, & ipse metit.
Tùm, quod myſta merum libat, vindemiat ipse:
Ipse ſua tractat ſpumea præla manu.
Fœdari non imbre timet, non ſole peruri;
Membra nec inſolitus quaſsat anhela labor.
Regi hinc creſcit honor; nanque aurea meſſis adauget
Sceptro aurum; ſerta & pulchriùs inde micant.

Re-

Regali & chlamydi bis tincta eſt purpura: nanque
Ardet tincta ſuo murice, tincta mero.

D. *Dionyſius Areopagita, ceruice obtruncata, ſuum ipſe caput manibus geſtat.*

EPIGRAMMA XXXIX.

Altiloquus vultu intrepido dat colla ſecuri
Præſul, & immerita cœde cruore natat.
Diſſectum caput ipſe ſuum, mirabile dictu!
Arripit, illuſtri & pignore carpit iter.
Ah, nequijt tantus fœdari puluere vertex:
Id cauet, inuita morte, decora manus.
Itque triumphali caput insuperabile pompa,
Nec potuit curru nobiliore vehi.

D. Bernardus malum dæmonem cogit adſtare cum lychno.

EPIGRAMMA XXXX.

Bacchatur Genius, turbatque ſilentia, Diuus
Sydera dum ſcandit mente, Deoque vacat.
Increpat ille: manu accenſum tùm ſumere lychnum,
Atque recuſantem cogit adeſſe face.
Verna fremit Stygius: dumque adſtat: credite, dixit;
Plus me lux modica hæc, quàm mea flamma coquit.

Beata Agnes nuda exponitur ſpectantium oculis

EPIGRAMMA XXXXI.

Nuda ſinum, niueosque artus en plectitur Agnes,
Spectat & inceſtum membra pudica forum.
Ore arſit Virgo; rubuitque, vt lilia pura

Pectoris, & caſtæ ſic patuere niues.
At ſubitò reuoluta ſuo coma vertice, creſcit;
Crinitumque aurum nobile velat ebur.
Gaudet virginitas peregrino hoc ſyrmate: amictu
Nec poterat corpus ſplendidiore tegi.
Iam Charites neuere comæ fila aurea; ab illis
Nunc texit ſanctus vela decora pudor.

D. Franciſcus Chriſti vulneribus donatur.

EPIGRAMMA XXXXII.

DVm Cœlo propior, ſublimi in rupe moratur
Diuus, ſyderea & paſcitur ambroſia:
Aſtris flammiuomus volat Aliger; aere pendet,
Libratque affixus viua trophæa crucis.
Te te, Diue, petit penna alite Nuntius, alta
Intentatque tibi vulnera, tela, crucem.
Nec mora: confoſſus languet, flamma itque medullis,
Perque manus ardent ſpicula, perque latus.
Torquet amor Diuum vitali vulnere: ſæpe eſt
Dulcis amor lictor, dulcis amor Phalaris.

Inclytus in Thebaide Martyr obtruncatam generoſiùs linguam in mulieris os expuit.

EPIGRAMMA XXXXIII.

CVlta auro, roſeiſque genis quæ fœmina vernat,
Te, Diue, illecebris impetit illa ſuis,
Arietet vt pectus, blanda it facundia labris,
Et comit facilis verba diſerta Venus.
Fit propior; fuga nulla viro, tela ignea nulla,
Arceat vt dulcem vis animoſa luem.
Audet magna pudor: lingua nam dente reſecta,
Hoc telo inceſtæ Thaidis ora petit.

Quæ lingua huic certet vel facundiſſima linguæ?
 Verba alias, hanc & fortia facta probant.

Elias in Cælum rapitur curru igneo.

EPIGRAMMA XXXXIV.

FLammeus en Cælo currus delabitur igne
 Præcipiti, & circùm denſa fauilla volat.
Igneus eſt axis, temo igneus, ignea & ipſa
 Eſt rota, flammiuomis crinibus ardet equus.
Nec timet Elias flagrantem inſcendere currum:
 Inſilit, & rapido turbine ſumma petit.
Qui nanque ignis erat, cur exhorteſceret ignem?
 Ardentem flammam quàm bene flamma vehit.

D. Hilarion Abbas mori timet.

EPIGRAMMA XXXXV.

DElicias æui primo quem flore peroſum,
 Florentem iuuit deſeruiſse domum:
Cui nemus vmbriferum tectum, ſaxumque cubile,
 Flumen & irriguum pocula, & herba dapes:
Membra gelu, rabidoque æſtu cui dulce peruri,
 Dulce cruentato corpore vulnus erat:
Qui Stygias terrere acies, ſolitusque chelydros,
 Horrifica & nutu monſtra fugare ſuo:
Cui ſemper teneris manantia fletibus ora,
 Et ſemper liquido nectare corda madent:
Cui virtus altrix, comes exorabile Numen,
 Longæuuſque inter ſydera conſenuit.
ille Deo plenus, palmiſque tot inclytus olim,
 Quique mori didicit, fata ſuprema timet?
Quis metus, & miſeris quis tunc mortalibus horror,
 Qui bene nec viuunt, nec didicere mori?

S. *Muſa à Deipara inſtruitur & puella moritur.*

EPIGRAMMA XXXXVI.

SVm Muſa : at mendax aluit non Phocidos vmbra,
Nec blandi Aonidum me tenuere ioci.
Magna Parens primo mihi mentem format ab vngue,
Et tenero inſtillat morum elementa ſinu.
Quid loquar, & quid agam : vt niueus ſtet pectore candor;
Quæ vultu grauitas, quis pudor, illa docet.
Nec mora : in Empyreum puerilibus euocat annis,
Parnaſſoque meo Muſa puella fruor.
Ne videar, nimiùm viridi immaturior æuo
Ad Superos volucri deproperaſſe gradu :
Nanque puellares tranſegi protinus annos,
Et citò ſub tanta Virgine conſenui.

D. Marcius Eremicola, *catena illigatus, in antro degit*

EPIGRAMMA XXXXVII.

QVod propè vitiferum patet antrum immane Calenum
Marcius vt videat clariùs aſtra, ſubit.
Vtque latebroſo ſecretus inhæreat antro,
Alligat innocuum dura catena pedem.
Euolat at fixus, Cæloque it liber aperto,
Ceu volucris ferrum nexile penna foret.
Quid frænaſſe gradum iuuit? breuis iſta negatur
Tellus, Cæli tecta ſed ampla patent.

In D. Petri vincula

EPIGRAMMA XXXXVIII.

PRęduræ hę manicæ, hi nexus, hoc textile ferrum;
Structa hæc Lemniacis dura catena focis,

pe-

Digitized by Google

Petre, tui nexus olim, tua vincla fuere
  Aſpera : te vinctum detinuere diù.
Nunc quid ſydereum ſpirant : en ſupplice vultu
  Chriſtiadum pietas relligioſa colit.
Tu pretium facis attactu, Mida ſanctior, atque
  Cultum ferro addunt, quæ tetigere, manus.

Antonius ſolitarius ne cogeretur Epiſcopatum acceptare, auriculam ſibi amputat.

EPIGRAMMA XXXXIX.

ANtoni, nemorum cultor, te cærula prenſat
  Infula, te poſcunt publica vota Patrem.
Tu renuis: propiore placent tibi Numine ſyluę ;
  Et iuuat ad gemitus flere cadentis aquæ.
Vrgent at lachrymæ, populorum & nobilis ardor:
  Iam rapiunt, merito In culmine iamque locant.
Vota tamen ludis: ſecta nam protinus aure,
  Hac fugis egregij muneris arte decus.
Quàm bene : nam noſtras pulchrè ſic vellis & aures ;
  Et quàm Vitta ; Chlamis ſint fugienda, mones.

Diua Barbara Patris manu obtruncatur.

EPIGRAMMA L.

BArbara, non lictor, non præceps ira tyranni,
  Non te fulmineo demetit vngue leo.
Enſe ſed exutus patrem, Pater abſtulit : ille,
  Ille tibi Phalaris, lictor, & ille leo.
Intulit & Cœlo per vulnera ſæua ; fuitque
  Mollior inde pater, dum negat eſſe patrem.

D. Bernardus Marianis vberibus admouetur.

EPIGRAMMA LI.

MEl fuit Hyblæum Diuus: ſi diceret ore,
Neſtor Chriſtiadum, roſcida mella dabat.
Attamen haud tanto contentus nectare; magnæ
Mariæ virgineo è pectore lacte madet.
Blanditur ſiquidem Virgo, inſtillatque liquatum
Pectus, & ambroſio guttura fonte rigat.
Hoc qui lacte alitur, puerum ne crede: mereri
Qui potuit magna hæc vbera, adultus erat.

Diuam Columbam, ne pudori illuderet procax Iuuenis, tuetur vrſa.

EPIGRAMMA LII.

VIrginis egregiam formam, niueumque pudorem
Æſtro actus Iuuenis, vi temerare parat.
Falcato; accipiter iam corripit vngue Columbam
Tam propè tam diram hanc horruit illa luem.
Poſcit opem; ſed ſurda hominum dum negligit auris,
Audit ſollicitas bellua ſæua preces.
En latebris villoſa ſuis Vrſa emicat: ardet,
Infremit, exerto territat vngue, fugat.
Hinc illi pudor incolumis; mirabile dictu eſt,
Cuſtodem trepidæ Virginis eſſe feram.
Nempe vices mutaſſe vides hominemque, feramque
Ille feræ mores induit, hæc hominis.

B. Iordanus Ord. Prædicat. balthæum, quem pauperi dedit, in Chriſti crucifixi ſinu mox videt, & ſe dat Religioni.

EPIGRAMMA LIII.

AVrea Iordanus prona dat balthea dextra,
  Dum pauper vultu ſupplice poſcit opem.
Mox ſubit in templum; mirum! radiantia cernit,
  Balthea in affixi Numinis eſse ſinu.
Se dicat inde Deo: ſua balthea noluit eſſe,
  Quàm ſe Iordanus, nobiliore loco.

B. Henricus Suſo Ieſu nomen inſculpit pectore.

EPIGRAMMA LIV.

CVi fixum cordi mellitum nomen Ieſu,
  Affixum voluit pectore nomen idem.
Hinc arte Henricus, docuit quam feruor amantis,
  Pectora non vno vulnere nuda ferit.
Expreſſitque notas, hæſitque in pectore Ieſus,
  Inuida quem poſset nulla abolere dies,
Dic modò, delicium Ieſu eſt hoc pectus, an ipſe
  Ieſus delicium pectoris huius erat?
At, ſi rem ſapiens metiris lancibus æquis,
  Mutua & expendis gaudia; vtrumque fuit.

D. Ioanni Eleemoſynario palatium Cælo conſtruitur.

EPIGRAMMA LV.

ATtalicum Præſul ſpargit dum prodigus aurum,
  Atque inopi vena diuite pronus adeſt:
Excitat Aligerum Cælo manus impigra tecta

Aurea,

Aurea, & auguſtos multo adamante lares?
Euolat huc largus fatum poſt flebile Præſul,
Miraturque opibus ſtructa theatra ſuis.
Quiſquis es, in miſeros tua prodige, diffluat aurum;
Non ſic dilapidas, crede, ſed ędificas.

D. Lazarus pictor de Theophilo Iconoclaſta trophæa refert.

EPIGRAMMA LVI.

SÆuit in effigies Cæſar, monumentaque Diuum;
Nititur & dira ſigna abolere manu.
Chriſtiadum Zeuxis, contra ſtat Lazarus arte,
Nititur & tabulas dextra animare nouas.
Sacrilego Diuus certat cum Cæſare: perdit
Vultus ille ſacros, pulchriùs hic reparat.
Hinc furit Auguſtus, cogitque in vincula: nexus
Siſtere Apellæam nec potuere manum.
Dextram igne artificem tandem corrumpit: ab igne
Illa ſed incolumis nobile pergit opus.
Auguſto haud cedis: minio quos exprimis; Illi
Dant tabulis animam, Diue, tibique animos.

D. Ioanni Chryſoſtomo ſcribenti Paulus Apoſt. dictat.

EPIGRAMMA LVII.

FAcundas mirabar opes, mentemque profundam;
Helleſpontiaci & ſcripta opulenta Patris.
Mirabar calamo auriferum fluxiſse, vel Indum,
Dona metalliferi vel pretioſa Tagi.
At dum Paulus adeſt ſcribenti, & verba miniſtrat,
Cur tantas magno in Præſule mirer opes?
Eſt tua, Diue, manus; vox eſt ſed feruida Pauli:
Tu ſcribis; calamos enſe ſed ille acuit.

D. Ia.

D. Iacobus pœnitens in tumulo.

EPIGRAMMA LVIII.

IMpiger in ſyluis pugnat, mundumque triumphat
Diuus, & ex Herebo mille trophæa refert.
Grandæuum Puer at vicit pharetratus, & armis
Aſsuetum, mollis fœmina ſternit humi.
Illachrymat, lucemque odit: tumuloque ſepultus,
Vixit & extinctus, viuus & interijt.
Dic age, qui poterat meliore hac viuere morte?
Qui poterat vita hac aſperiore mori?

Diua Apollonia euelluntur dentes.

EPIGRAMMA LIX.

PLena Deo Virgo Chriſto dum mordicus hæret,
Ardet, & in dentes ira cruenta furit.
Euellitque chalybs ea linguæ clatra diſertæ,
Libera & in laudes Numinis illa volat.
Aſpicitis? dente auulſo, pia Virgo videtur,
Aut infans, æuo aut conſenuiſse ſuo.
Nempè vtrumque fuit: niueoque edentula viſa eſt
Hinc candore infans, moribus inde ſenex.

D. Guglielmus Dux Aquitaniæ galeatus, loricatus exactam vitam luget.

EPIGRAMMA LX.

OMne æuum ferro qui triuerat impius, atque
Impetijt Superos telo, hominesque ſuo.
Numine poſt victus, mutata atque indole, ferrum
Sutile non poſuit, priſca vel æra ſinu.

D Colla

Colla chalybs, humeroſque grauat, premit ærea caſſis
Cæſariem, thorax pectore ſtatque trilex.
Crimina ſic vitæ doluit, durisque ſubactus
Armis ipse ſuis, liquitur in lachrymas.
Ferro olim impugnat Guglielmus ſydera; ferro
At nunc expugnat, victor & ipſe ſui eſt.

D. Victoria Virgo, vt ſponſum fugiat, è tecto ſe dat præcipitem.

EPIGRAMMA LXI.

MOrtales odit thalamos, tædamque iugalem
Virgo, maritali fœdere nupta Deo.
Attamen it Sponsus, Sponſam iam prenſat, & ardens
Soluere in amplexus brachia prona parat.
Horruit illa, fugit, mora nulla, atque indole grandi
Se ſe præcipitem tecta per alta dedit.
Eſt fatale tibi nomen, Victoria, præceps
Si fugis, hinc etiam pulchra trophæa refers.

Ad D. *Bartholomæum Apoſtolum*

EPIGRAMMA LXII.

DAnt alij Chriſto caput impetrabile: Cælum
Hic petit è medijs ignibus, ille cruce.
Purpurea, Diue, exutus tu pelle triumphas,
Et grauis exuuijs scandis ad aſtra tuis.
I, Iouis in gremio depone hæc munera victor:
Poscit nimirum hic Iuppiter hæc ſpolia.

D. Lyduuina à Deo impetrat, vt abiret à vultu forma.

EPIGRAMMA LXIII.

NE flos virgineus vernet, Lyduuina, venuſtam
Formoſi vultus cernis obeſse roſam.
Hinc Virgo vt ſerues tua lilia caſta precaris,
Langueſcant vultu lilia mixta roſis.
Nec mora: palleſcis: fluxère roſaria: fœda
Tabes, atque atrox occupat ora lues.
It Venus, atque puer Veneris procul inde; fluentes
Horruit & vultus Virginis omnis amans.
Diſce: pharetratus, viridi velut anguis in herba;
Hos inter flores inſidiatur amor.

S. Vuinalocius è regio Anglorum ſanguine oculum ſorori mirè reſtituit.

EPIGRAMMA LXIV.

NObilis improbulo dum ludit cum anſere Virgo,
Anſer virgineum vultum, oculumque petit.
Excuſpitque oculum roſtro, manditque, voratque;
Alterum & è gemino ſydere delituit.
Audijt hoc Frater, feruet cui pectore Numen;
Accurrit, calida pulſat & aſtra prece.
Nec mora: diſsecuit volucrem; ſectoque repentè
Illius educit pectore viuum oculum.
Inſerit & vultu ſydus reparabile; fronti
Tota & luce redit ſemiſepulta dies.
Nec moror: hic anſer niueos eat inter olores,
Diue, tuas laudes, & tua facta canat.

De Simeone Stulto.

EPIGRAMMA LXV.

Diuinas vt opes Simeon, & conſcia Cæli
Pectora ſolenni prouidus arte regat;
Deſipit, & mores, vultuſque imitatus ineptos,
Amentem, mendax ſplendidus, ore refert.
Stat tacitus, magnum ceu voluat grandia pectus:
Mox iacit & lepidis verba remiſta modis.
Nunc flenda immodicus ridet; nunc læta viciſſim
Intempeſtiuis fletibus ora rigat.
Deliciæ, & mimus vulgi, conuicia plauſus,
Immerito merces flagra fuere viro.
Inclyta quid iactat Sapientes Græcia? hic vnus
Longè ſeptem illis plus ſapit inſipiens.

De ſeptem dormientibus à Decio Cæſare in antrum truſis.

EPIGRAMMA LXVI.

CHriſti lectam aciem ſeptenam detinet antro,
Qui tonat in Cælum Cæſar, & enſe furit.
Illos, ceu ſomnum taciturnus ſuadeat horror,
Molli aut flore cubent, excipit alta quies.
It prolixum æuum, labuntur & alite curſu
Secula, nec ſomnum diſcutit vlla dies.
Non ſua, cùm rediјt, miratur tempora pubes
Septena, atque oculis abrogat ipſa fidem,
Nanque alia eſt rerum facies: ſucceſſerat orbi
Orbis, Cæſaribus Cæſar, auiſque nepos.
Qui potuere anni centeni currere nocte
Vna? an par æuo nox erit vna breuis?
Viſa illis nox vna breuis, quæ ſecula vicit:
Quàm meritò ſopor hic mortis imago fuit.

Seuerinus Boetius in Carcere detentus librum ſcribit de Conſolatione Philoſ.

EPIGRAMMA LXVII.

DVlce decus trabeæ, Latiæque Boetius Vrbis,
Indole fert grandi vincula, & ore graui.
Stat lateri chorus Aonidum, & prædocta Stagira:
Hinc Zeno comes eſt, hinc Samiusque Senex.
Hos inter, licet ærata ſtet compede vinctus,
Libera mens dictat magna, notatque manus.
Haud vetat id mœror; ſcriptoque volumine, fata
Aſpera magnanima fronte domare docet.
Doctus ab ingenio liber hic altè inſtruit: Auctor
Altiùs at forti pectore quemque monet.

Diua Pelagia pœnitens viri habitu.

EPIGRAMMA LXVIII.

OLim flore æui maleſuada Pelagia blandos
Arte Dionœa nectere viſa dolos.
Hinc criſpat crinale aurum; hinc & lactea ceruix
Candicat; hinc roseo murice picta gena eſt.
Affuſum at menti Numen mox pectore molli
Diſpulit, Idalio quæ calet igne Venus.
Soluitur intortus crinis, rosa palluit ore,
Prompta manus niueos dilaceratque ſinus.
Antra ſubit mentita virum, vt ſic maſcula virtus
Exagitet vitæ crimina, non mulier.
Euenere: animis nanque aucta virilibus audet;
Quæque leuis peccat fœmina, vir cruciat.

Theo-

Theodota Virgo Antiochena Didymi armis induta, à lupanari euadit.

EPIGRAMMA LXIX.

DAmnatur Paphiæ Veneris Virgo inclyta tectis,
Improba vt inceſtet corpora caſta Venus.
Inſilit at Miles tectum, cui candida virtus
Intus erat; Martis vultus, & arma foris.
Parce metu, dixit, niuei tutela pudoris,
Hic adſum; tibi nam militat iſte chalybs.
Virgineam mihi da pallam; ſume arma viciſſim:
Virgo ego, mutata tu vice, miles eris.
Hinc mentita virum, vigilum tu lumina falles:
Nec metuam mendax ipse puella viros.
Quàm bellè hic luſit pietas: ſimul armat inermem,
Et ſimul armato detrahit arma viro.
Quæ Virgo, aut miles, neſcis: ſub imagine ficta,
Non fuit hæc miles, Virgo nec ille fuit.
At, quia tam caſtus miles, quàm ſtrenua Virgo:
Vtraque Virgo fuit, miles vterque fuit.

Iidem de morte obeunda certant.

EPIGRAMMA LXX.

VIrgo induta virum fugit quòd fornice; fortis
Qui dedit arma viri, vir ſubit ipſe necem.
Præſidis ira furit: lictor ferrum expedit, & iam
Stat Didymi ferrum fortia colla ſuper.
Cum generoſa redit Theodora; &, parcite, dixit,
Magnanimo Iuueni; me petit iſte chalybs.
Ipsa ego vos luſi, flauum galeata capillum:
Quę fugi, pœnam criminis ipsa dabo.
Non tulit hæc Didymus, vultuque, & pectore grandi:
Immeritò hæc, inquit, non tua fata petis.

Pul-

Pulchros ipse dolos auſus, facinuſque decorum :
Tu fugis ; intrepidus molior ipse fugam.
Lis ardet, gliſcit certamen nobile dictis :
Illa cupit dulci vulnere, & ille mori.
Miratus, rubuit Præſes: nos vincimur, inquit,
Dum noua ab ingenti hac indole pugna calet.

Paulo Eremitarum Principi palma victum præbet.

EPIGRAMMA LXXI.

ET patria extorris, toto & ſimul exul ab orbe,
Et degit ſyluis Paulus, & aſtra tenet.
Vmbroſum ſunt tecta nemus ; vitæque fouendæ,
Curta chlamys, faciles ſunt epulæque ſatis.
Nanque eſt palma penu diues : ceu fertilis altrix,
Fercula ieiuno porrigit illa Seni.
Fronde laborata tunicas, & textile velum
Hæc eadem membris ſedula palma parat.
Tu cultor, memorumque Pater, Paule inclyte, mater
Sed quę te fouit, prouida palma fuit.

Dauid furente Saule, citharam pulſat.

EPIGRAMMA LXXII.

DVm Styx tota ardet Lymphati Regis in ore,
Eumenides rabido & pectore mille furunt:
Flexanimo auratas Ieſſides pectine chordas
Temperat,& Furias nobile mulcet ebur.
Placanturque truces Furiæ: at vibrata lacertis
Mox volat, & Pſaltem miſſilis haſta petit.
Discite,quàm nequior ſit Rex Acheronte: mouetur
Plectro Acheron ; plectro diriùs ille furit.

De

De D. Brunonis ſilentio.

EPIGRAMMA LXXIII.

MIramur, Bruno, taciturna ſilentia linguæ,
Et tua muta alijs ora, diſerta Deo.
Diue, ſiles, frænas & inelu&#7municabile monſtrum,
Quod non Alcidæ vicerit vlla manus.
Diue, ſiles, tacitaque Dei bibis aure loquentis,
Quæ vox ſæpè tuum pectus amica beat.
Diue, ſiles, tota vt ſe fundat copia fandi,
Nocturna ſolus cum ſubis aſtra prece.
Diue, ſiles, ne commaculent mortalia verba,
Quę facunda Dei laudibus ora dicas.
At dum, Diue, ſiles, ſileantne ſilentia linguæ?
Mirum! ſcit virtus te tua muta loqui.

Ioſeph Patriarcha fœminam ludit.

EPIGRAMMA LXXIV.

INdolet ingenuo Iuuenis pulcherrimus ore,
Sat nimiùm Dominæ ſe placuiſſe ſuæ.
Illa ardet: quæ pulchra animo obuerſatur imago,
Cœca Dionæo pectora ab igne coquit.
Tandem audet, nimiumque audet: Iuuenisque pudicus
Se citiùs ſaltu proripit inde leui.
Illa tenet chlamydem: ſeque in certamine victam,
Aucta licet ſpolijs, fœmina luſa dolet.

Ionas fugiens à facie Domini.

EPIGRAMMA LXXV.

EXcipit irato fugientem à Numine Ionam,
Littora quæ Cilicum curua carina petit.

Nec mora : certantes ſpatioſa per æquora venti
  Veliuolam in puppim per fera bella furunt.
AEquora miſcentur, refluis iactatur ab vndis
  Alnus, nunc Cælo proxima, nunc Herebo.
Cauſa mali Ionas: ardens it nauita , clamat :
  Ille reus : pelagi ſorbeat vnda reum .
Præcipitem non vnda vorat ; ſed gutture vaſto
  Excepit piſcis , condidit atque ſinu .
Velifica[illegible]ſque caua ſine puppe, & remige, Ionam
  Li[illegible]duerſo bellua ab ore vomit.
Mira vides : immergitur immerſabilis vndis :
  Qui perit , is viuit : quę vorat, illa fouet.

D. Scholaſtica viſa euolare in Cælum in modum Columbæ.

EIGRAMMA LXXVI.

Plena Deo, niueæ ſimiliſque hæc Diua Columbæ,
  Sublimis penna remige ad aſtra volat .
Nec metuit vacuum populantes aera ſæuos
  Accipitres, auidi aut vulturis illa famem.
I, quò, Diua, vocant te Cæli auiaria : non hic
  Ingenium mutes, pulchra columba, tuum.
Nam genio ſi ſemper amas, hic ſemper amando,
  Semper erit niueo in pectore caſtus amor.

Ioſue Solem ſiſtit.

EPIGRAMMA LXXVII.

Dvm premit hoſtiles acies, atque agmina mille
  Iſacidum Ductor fundit , & enſe calet :
Cernit in occiduum properare Hyperiona pontum ,
  Abrumpique ſua parta trophæa manu .

Sol abis? abſceſsu palmam cur præripis? inquit,
  Et merſa, differs prælia noſtra, face?
Siſte, tuos ſiſtant ſpumantia fræna iugales:
  Sunt hæc aſpectu digna theatra tuo.
Dixit, & immota ſtat Phœbus lampade, & acri
  Illucens pugnæ, militat Iſacidis.
Militat auratis haſtis; nec ſufficit: aureos
  Victori currus mutuat ille ſuos.

LACTE

D. Catharina, ceruice obtruncata, manat [redacted]

EPIGRAMMA LXXVIII.

NOn enſis, Catharina, fulgurantis
  Terret ſtricta acies, mori paratam.
Imperterrita das tuæ ſecuri
Puro candidiora colla lacte.
Et mox enſe reſecta colla, lacte
Manant irriguo, ſtupente Cælo.
Ceruix lactea debuit rubenti
Pingi murice, fuſilique cocco:
Cur manat niue, lilijsque ceruix?
Vitam diſcite Virginis pudicam.
Non hæc ſanguine vixit in tepenti:
Sed pro ſanguine curſitaſse puro
Dices virgineum ſinu pudorem.
Hinc ſciſso capite, & fluente lacte,
Fluxit virginitas, pudorque ſanctus.
Vitam diſcite Virginis pudicam.

Turris Babylonica ædificatur.

EPIGRAMMA LXXIX.

INſanum molitur opus lymphata Iuuentus,
  Et cupit, extructo culmine, adire Iouem.

Io   Ad-

Addita iam ſaxis ſurgunt audacia ſaxa:
Ardua iam turris vertice temnit humum,
It nubes vltra, Cælumque volubile pulsat:
Ignea iam ridet fulmina celsus apex.
Ceu ſcire, admota propiùs cæleſtibus aure;
Quid faciant Superi, turba profana velit.
Cæptum opus abrumpit Numen, mentemque ſuperbam
Ludit confuso gutture, & ore virum.
Illis vox diſcors, non intellectaque: fabro
Eſt faber obscurus, nec iuuat ora loqui.
Nil opis à ſocijs: ſic bellè euertit inepta
Lingua, quod artifices composuere manus.

De Tutelari Angelo D. Franciſca Romana.

EPIGRAMMA LXXX.

MAior Virgine Diua, ſanctiorque,
Et priscis viduis, recentibusque,
En, quo munere Numinis beatur.
Vnus Cælituum venuſtiorum,
Flauus cæsarie, rosa genarum
Pulcher, conſpicuo ſerenus ore,
Auro ſyrmatis elegantioris,
Multo & fulgidus Indico ſmaragdo,
Adſtare Viduæ iubetur almæ.
Incedat, maneat, precetur illa,
Adſtat peruigil Aliger, nouiſque
Auget delicijs; ſinumque, Cælo
Affuso, exhilaratque, diuitatque.
Si quid Tęnarius minetur hoſtis,
Vultu fulgurat Angelus corusco,
Et ceu tela manus vibret triſulca,
Laruas territat horridas, fugatque.
Pictas ſæpe genas pudor colorat
Viuo murice, ſi minus decora

Diuæ verbula fluxerint loquenti.
Interdum rutilam latere frontem,
Eſt mulctæ ſpecimen ſeuerioris.
Quid? ſi fulminea manu verendos
Vultus impetit, ácriter monetque?
Tu gaudens tacito in ſinu, ſeueram,
Franciſca, ore alapam excipis ſereno,
Ceu det munifica manu ſuperba
Dona, & delicias meras miniſtret.
Hoc tu munere digna, gratiaque,
Ales ſi tibi rideat decorus,
Si te verberet, increpetque durus;
Auſterum placidè, miniſque dulcem;
Inter blanditias, & inter ictus
Ridentem colis, & colis minantem.

Ad Angelum Tutelarem ſuum.

EPIGRAMMA LXXXI.

PEruigil, ò ſalue, rerum tutela mearum,
  Dux operum, mentis lux, laterique comes.
Tu ſimul in mores omnes variabilis, vnus
  Mater es, atque altrix vbere, amore pater.
Tu cunas, herbamque æui, calidumque iuuentæ
  Tu regis ingenium, tu ſeniumque graue.
Tu geminus, vultumque bifrons: hinc lumina, & inde
  Anteriora vident, poſteriora cauent.
Officioque dees nulli: tibi munera mille,
  Mille artes: pluſquam tu mihi Centimanus.
Tu mala, tu frangis fata impendentia: Cæli
  Tela arces; mihi tu monſtra, Herebumque domas,
Hoc ſupereſt, feris adſis vt amabilis horis,
  Vt ſapiat veniens vltimus ille ſopor.
Dexter ades: diſcet mors hinc miteſcere; mites
  Horrida ſi vultus viderit illa tuos.

Digitized by Google

De Mariana Diui Lucæ effigie.

EPIGRAMMA LXXXII.

AVſus ſyderea m Lucas deſcribere frontem
Virginis: & docta vultum animare manu;
Lucem aſtris, pulchro Thaumantidis ore colores,
Debuit auroræ ſurripuiſse roſas.
Nam quæ noſtra vnquam pigmenta audacia, & Indus
Exprimat æthereæ Virginis ora color?
Expreſsere tamen pigmenta hæc noſtra Parentem
Numinis: æquauit nobile pictor opus.
Nempe ſibi Virgo ſatis eſt: ea ſydus, & Iris
Discolor: auroræ prębuit ipſa rosas.

Machabęorum Mater filios ferendis ſupplicijs ſtrenuè hortatur.

EPIGRAMMA LXXXIII.

DVm furit in fratrum truculentior ira phalangem,
Iamque animas dirè cuſpis ahena bibit:
Ore ardens Mater, ſeptenam animoſa cohortem
Edocet intrepido funere voce mori.
Ite, mea ò ſoboles, quo vos vocat inclyta merces;
Sydera magnanimæ munera mortis erunt.
Hoc pulchrum, Cælum generoſa morte paciſci:
Dulcia virtuti flamma, venena, chalybs.
Ite alacres, ſorbete merum, mea pignora, nectar:
Quod dabitis vena è diuite, nectar erit.
Nunc melior mater, cùm matrem exuta, cruenta
Corpora Natorum dilacerata cupit.
Olim lacte aluit ſobolem: nunc prouida curat,
Nutriat vt ſucco nobiliore cruor.

Ma-

Mater eadem hortatrix.

EPIGRAMMA LXXXIV.

DVm cadit Iſacidùm pubes ſeptena, Tyranno
 Sub truce, ſtat ſobolis maior amore Parens.
Indetorta videt vultu, nutuque cadentes
 Arrigit, intrepido feruida & ore monet.
Se pluſquàm matrem mater probat inclyta: namque
 Quàm peperiſse, fuit plus docuiſse mori.

Septem Machabæi fratres torquentur dirè.

EPIGRAMMA LXXXV.

CErnis Olympiaco ſpectacula digna Tonante?
 Et quæ magnanimo ſanguine arena calet?
Stat fratrum generoſa cohors, ridetque minacem
 Frontem, & quæ vultu fulgurat ira truci.
Vna eſt plena Deo ſepteno in pectore virtus,
 Vnus multiplici viuidus ore vigor.
Sæuiat hinc ignis, lictorque ardentior igne:
 Hinc picea, hinc peſtis plumbea dira coquat.
Eſt maior flamma vis imperterrita: fixum eſt,
 Nobile pro patria lege vouere caput.
Quid furis? eſt melior Lerna hic, Rex improbe: ſeptem
 Non hæc Alcides fortia colla metet.

Poſt filios cruciatur Machabæorum mater.

EPIGRAMMA LXXXVI.

POſtquam natorum vidit miſerabile funus
 Mater, & immiti corpora cæſa manu:
Demetit ipſa etiam palmas per vulnera mille,
 Atque triumphali morte trophæa refert.

Læ-

Læta ſuo letho; mutila inter brachia gaudet
Extinctæ ſobolis dilaniata mori.
Et ſpolijs ſpolia immiſcet pretioſa decoris,
Natorum, & roſeo ſanguine picta ſuo.
Fortunata Parens: cum natis viuere, dulce eſt:
Dulcius aſt vnà ſic potuiſse mori.

Ad D. Placidum Martyrem
De Crucifixi imagine inter cerui cornua.

EPIGRAMMA LXXXVII.

FErtur equo volucri Placidus, cernamque volucrem
Inſequitur, certa cuſpide iamque ferit.
Vertitur hæc fugiens, venatoremque ſequentem
Venatrix telo nobiliore petit.
Nempe armata Deo, ramoſa è fronte cruenta
Signa repræſentat Numinis exanimis.
Procumbit Placidus, tremit, ardeſcitque, Deoque
Venanti victas dat noua præda manus.
Stat quercu nemus attonita, ſyluæque ſilentis
Vmbræ mutatas obſtupuere vices.
Libera nam cerua it ſyluis: captusque viciſſim,
Hinc Placiduſque Deo eſt, hinc Placidoque Deus.

D. Petri Cathedra
In mole area ab Alexandro Pontif. V II. collocata.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

CLaniger ætereus, cui ſceptra vicaria magni
Numinis, hinc terras rexit, & hinc Superos.
Cortina hæc veri, mundique hæc arbitra Sedes:
Chriſtiadum hinc grandi Pythius ore tonat.
Cernite, Alexander quo pegmate collocat, inter
Viua Corinthiacis ęra liquata focis.

Signa

Signa animant molem ſpirantia ; fictus & ære
Colla quatergeminus ſubdit anhela Pater.
Digna opere eſt tanto Sedes hæc inclyta : Sede
Eſt tanta dignus Chiſius iſte labor.

B. *Caietanus Thienæus clade Borbonica torquetur.*

EPIGRAMMA LXXXIX.

INuolat æternam miles lymphatus in Vrbem,
Sollicitatque auidas gaza Latina manus.
Dira Thienæum clades inuoluit : egentem
Dum cernunt, cultum fallere, & ora putant.
Nec mora : diuexant : defoſsum promeret aurum ;
Aut caderet ferro vindice fictus inops.
Is facili vultu necis argumenta, minaſque
Excipit, auditus talia, voce loqui.
Si cauſa eſt fuluum, dirè cur torquear, aurum;
Quas odi, Attalicas nunc amo pauper opes.

B. Philippus Benicius
Sitientibus aquam, eſurientibus panem impetrat.

EPIGRAMMA LXXXX.

DVm ſitiunt populi, vitream, Diue, elicis vndam;
Cernitur & ſubito fonte leuare ſitim.
Eſuriunt: precibuſque tuis ieiuna repente
Ora explet tacito à Numine miſsa ceres.
Quàm ſimilis Domino Seruus: ſit potus, & eſca
Ille ſuis : dedit hic fontem, epulaſque ſuis.

Idem

Idem renuntiatus Pontifex, fuga dilabitur.

EPIGRAMMA LXXXXI.

TErrarum vt faſces nutu moderetis, & aſtra,
Inclyta Romulidum te vocat Aula Patrum.
Tu fugis, & ſurda præteruehis aure, Philippe,
Syrmata; nec capiunt Infula, vitta, chlamys
Quid renuis? Cæli quid ſceptra vicaria temnis?
Aſpicis, vt, Roma ſupplice, prenſet honor?
Ah video: Seruus fœcundæ Virginis audis:
Hic titulus, magna hæc nomina ſola placent.
Hinc fugis, obſequij decus hoc ne fulgor inumbret;
Et lateat Serui nomen ab Imperio.

De templo maximo Vrbis Mediolanenſis.

EPIGRAMMA LXXXXII.

SVrgat vt æterno moles æterna Tonanti,
Inſuber vrget opus cenſu, animoque pari;
Artificum & curæ certant; operique te amplo
Annis ſecla ſuis irrequieta vacant.
Vndique velificat marmor, vaſtiſque columnis,
Tectorumque minis non ſatis vna Paros.
Mille intus ſimulacra vides, ſudataque mille
Praxitele haud vno, ſigna operoſa foris.
Nubila & excedit: ſummus quid murmuret aer,
Ignea quę cudat fulmina, nouit apex.
Clara licet monumenta operum, totque inclyta templa
Triuerit aſſiduo turbine tempus edax;
Diſiecit fruſtrà: quæ nanque euertit, in vna
Mole hac Inſubriæ iam rediiſſe vides.

De literis Marianis ad Ciuitatem Meſſanenſ.

EPIGRAMMA LXXXXIII.

QVæ niueis ſignata notis tibi Litera miſsa eſt,
Virginei æternum pignus amoris erit.
Eſt pondus folioque leui, calamoque volucri,
Addidit & pretium ſanctior illa manus.
Reddere at Auguſtæ par eſt reſponſa Parenti:
Reſpondere putes ſat bene, quiſquis amas.

Suſanna Senes repellit.

EPIGRAMMA LXXXXIV.

QVà fons irriguis manat cryſtallinus vndis;
Formoſa abluitur, ſole calente, Nurus,
Vmbra vetat, tacitumque nemus, ne nuda maligno
Obtutu violet pectora cœcus amor.
At latuere doli: quos forma accenderat, vltrò
Improbi ab inſidijs emicuere Senes.
Monſtra videt Suſanna: effœtam ardere ſenectam,
Et capitis gelidas igne calere niues.
Nec timet: illecebris vultu obluctata ſeuero eſt,
Vicit & inceſtos caſta Virago Senes.
Fœdari ad fontem haud potuit: quæ fluctibus olim
Orta maris Venus eſt Cypria, fonte perit.

Iuditha Oloſernem obtruncat.

EPIGRAMMA LXXXXV.

STernere Orontèas acies ſola ardet, & audet,
Pulchra genas, grandis Fœmina, plena Deo.
Fronte ſtat immota medijs in millibus: ipſa
Turbida fulminei non timet ora Ducis.

Au-

Audacem ſimulatque fugam, lachrymiſque decoris
Perfuſa, in tacito pectore magna coquit.
Nec mora: bellatrix ſtricto dum fulminat enſe,
Fundit mille acies, agmina mille fugat.
Vino nanque Ducem merſum, mox ſanguine mergit,
Et ſecat immani è corpore triſte caput.
Ne Lernam iactes, ſeptenaque colla, cecidit
Millena hæc vno vulnere colla ſimul.

V.P. Franciſcus Olympius Cl. Reg. ſalutationem angelicam recitat cum puero Ieſu.

EPIGRAMMA LXXXXVI.

Fixu s humi, precibus dum pulſat Olympius aſtra,
Obijcitur roſeo blandulus ore Puer.
Hunc rogat: eſt mater tibi, blandule Pupule? & ille
Eſt, ait, & Mariæ nobile nomen habet.
Nomen dulce Seni: aureolum monet inde Puellum,
Angelicam vt ſecum murmuret ore precem.
Incipiunt: ſimul ac libant ſed nomen Ieſu:
Ipſe ego ſum, dixit Pupulus, atque abijt.
Cur abit, & vento ſe proripit ocyor? atque
Dona ſuo prętat tàm fugitiua Seni?
Eſt amor ille Puer; faciles habet igneus alas:
Ah video: volucris ſiſtere neſcit Amor.

Graſſante Neapolitana lue, ſacra B. Caietano die nullus moritur.

EPIGRAMMA LXXXXVII.

Dira lues auido ceu bellua gutture, paſſim
Mille ſimul ſternit corpora, mille vorat.
Sacra Thienæo ſed dum lux alma refulſit,
Abſtinuit denſo à funere dira lues.

Digitized by Google

Infandæ ſiluere neces, ſteterit Atropos ictu
  Suſpenſo, lachrymis nec maduere nurus.
Nempe renaſcentem lucem, & ſacra annua Diui
  Dum cultu celebrat principe Parthenope,
Ipſa etiam feriata lues, abrumpere viſa eſt
  Triſte opus, & feſtum concelebrare diem.

De ſimulacro B. Caietano à Neapolitana Ciuitate excitato.

EPIGRAMMA LXXXXVIII.

CLara Thienæi nomen, Maneſque beatos
  Parthenope vt colat, hæc ſigna operoſa docent.
Viuum grata dicat marmor: quæ contulit ille,
  Æterna vt viuo in marmore dona forent.
Si muta in voces ſimulacrum hoc ſolueret ora,
  Hæc, puto, ab elingui gutture verba daret.
Cerea cui pietas, faciliſque in publica vota,
  Hoc etiam duro in marmore mollis ero.

D. Appollonia in rogum ſponte inſilit.

EPIGRAMMA LXXXXIX.

CEu thalamum Sponſæ genialem Sponſus adornet,
  Igniuomum ſpectat feruida Virgo rogum.
Lenta nec expectat: namque igne ardentior, ipſa
  Inuolat in flammas ambitioſa ſuas;
Clœlia ſi iactat, faciles innaſſe per vndas;
  Quantum erit ardentes inſiliſſe pyras?

D. Lu:

D.Luciæ oculi erruuntur.

EPIGRAMMA C.

VIrginis ingenuæ radiant quæ lumina fronte,
Extingui cæca en Indicis ira iubet.
Exculptos ne luge oculos, Virgo inclyta: nanque
Iam micat occiduo lumine clara dies.
Nimirum picto fugiunt cùm ſydera Cælo,
Tunc oritur roſeus, ſole oriente, dies.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMATVM CENTVRIA SECVNDA.

Alphonſi Neapolitani Regis apophtegma, dum miſſa dono vitrea Ciuitas, caſu decidit.

EPIGRAMMA I.

MIttitur Alphonso moles turrita, micanti
  Structa vitro, atque inſtar nobilis Vrbis erat.
Aſſurgunt circum ſplendentia mœnia pinnis:
  Imminet arx, vitro pulſat & aſtra ſuo.
Vitreus it ciuis per compita vitrea: demum
  Tecta, forum, circus, templa, theatra vitrum eſt.
Tantum opus attonitus dum Rex miratur, & vrbi
  Plaudit, ab incauta decidit illa manu.
Diffractam vt vidit, frontem immutatus, & ora,
  Haud mirum: labor hic vitreus, inquit, erat.
Credite, fracta licet longum durabit in æuum
  Moles, ceu ſolido fuſa adamante foret.
Deciderit præceps, facili caſuque teratur,
  Egregia Alphonſi voce perennis erit.

Carolus Quintus Cæſar Regna abdicat.

EPIGRAMMA II.

MOle fatigatus Regnorum Carolus, Aulam
  Deſerit, & tanto à Cęsare Cæſar abit.
Regia non humeris chlamys it; generoſa Latini
  Imperij non quaſsat ſceptra terampla manus.

Ar-

Armiſono non Marte calet, non igne triſulco
 Iuppiter Auſtriades per fera bella tonat.
Cui modò terra breuis, magnuſque anguſtior orbis;
 En tenet, exuto Cæſare, cella breuis.
Carole, tot bellis cùm tot ſuperaueris hoſtes,
 Auxeris & Regnis Romula Regna tuis;
Par erat, vt meritos ageres poſt bella triumphos,
 Plauderet & pompa diuite fama tibi.
Ducere qui poteras ſed pulchriùs ipse triumphos;
 Quàm calcando graui tot tua Regna pede?

Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis tumulus.

EPIGRAMMA III.

QVam cernis,tegit hæc magnum breuis vrna Philippum,
 Orbem qui nutu rexit vtrumque ſuo.
Magnanima fuit Auguſto par ille Parenti
 Indole, regnandi nec fuit arte minor.
Bella gerunt ambo: campo ſed Carolus ardet,
 Ardet conſilio, dum ſedet ille domi.
Carolus enſe valet; grandi ſed mente Philippus:
 Ille ſupercilio fulgurat; ille manu.
Quid iuuat at magno magnum certaſse Parenti?
 Regnaque tot Regnis quid cumulaſse nouis?
Heu,mole è tanta rerum, tantoque Philippo
 Vix ſupereſt tumulo tantulus iſte Cinis.

Pax inter Hiſpaniarum, & Galliæ Reges ex connubio.

EPIGRAMMA IV.

MAgnanimos Reges, quos diuidit alta Pyrene,
 Diuiſere animis bella cruenta diù.

Co-

Cognatæ certant acies, & mixtus Ibero
Gallicus it vario Marte cruore cruor.
Auſtria nunc Virgo, plusquàm Thaumantias Iris
Tempora, quæ fuerant nubila, fronte beat.
Connubio iungit ſceptra; inuitaque Pyrene,
Inneċtit ſtabili diſſita Regna fide.
Diſpulit hæc Helena, haud acuit Mauortia bella;
Exarmat Reges & Nurus vna duos.

De Hiſpaniarum Principis natalibus ſub ipſum Principis fratris funus.

EPIGRAMMA V.

SCiſſa comas, niueumque ſinum, dum flebilis Aula
Auſtriadum, erepto Principe, fata dolet:
Altera ſpes Regum magnis Natalibus illam
Erigit, & populos lux rediuiua beat.
Mutanturque vices: feſtas nam triſtior vrna
In cunas abijt; ridet & ipſe Cinis.
Auſtriacum & Iubar occiduis vbi mergitur vndis;
Auſtriacum emergit pulchriùs inde Iubar,
Sic Tagus ipse, Tagus fuerat qui ſole cadentè,
Mox bellè Ganges, ſole oriente, fuit.

Alexander Macedo Homeri Iliadem puluinari ſupponit dormiens.

EPIGRAMMA VI.

ASsuetus Macedo Smirnęi euoluere Vatis
Iliadem, Martem diſcere & inde grauem;
Non ſinit auelli: vel cùm ſua membra ſopore
Irrigat, altiloqua eſt Ilias ipſa comes.
Supponit capiti, vigiles ceu commodet aures
Mœonidę, ſomno deſide merſus adhuc.

Hoc

Hoc magnum, Iliacos inter quòd dormiat enſes,
Serpat & impauidus per fera bella ſopor.
Hocque dein maius, poſset quòd pellere ſomnum;
Mellea dum Siren tàm propè concineret.

Alexander ad Achillis ſepulcrum.

EPIGRAMMA VII.

INclyta Pelidæ monumenta vt vidit Achyllis,
Hæc Macedo ex imo pectore voce dedit:
O fortunatum, quem penna inſignis Oloris
Mœonidæ inſolito tramite ad aſtra tulit.
Virtus clara Viro: at magnus ſi laudat Homerus,
Quantùm ſublimi è pectine creuit honor?
Sic fatur Macedo; & Smirnæ plectrum inuidet vnum,
Qui millena Orbis ſceptra ſuperba regit.

Annibal ab anulò venenum ſorbet.

EPIGRAMMA VIII.

CEu Leo Maſsylus niueas vorat Annibal Alpes,
Exerto & Latios prouocat vngue Duces.
Erubuit densa Ticinus cœde; cruenta
Decolor in Trebia Martia Roma natat.
Magnarum ſpolijs animarum turgidus hæret,
Immotiſque diù ſtat Traſimenus aquis.
Raucus adhuc ſtrages immurmurat Aufidus, atque
Emenſum modijs aurum, anuloſque virùm.
Ardua iam trepidant Capitolia: Curia Patrum
Muſsat, & exercet pectora cura grauis.
At mutat fortuna vices: en victus, & exul
Annibal, en domitus gemma, anuloque ſuo.
Quàm facili occumbit fato: non dextera ſternit
Bellica, gemmatus ſufficit articulus.

Digitized by Google

Annibal Caſilinum dum obſidet, mus ducentis nummis venijt.

EPPGRAMMA IX.

CAmpana Pœnus Romanos obſidet arce:
Vexat & immitis corpora anhela fames.
Non annona foro: multo mus venijt auro:
Bis centum & nummis conſtitit ille ſemel.
Non emptus tanti pauo, non Phaſidis ales,
Non oſtro mullus fulgidus ipſe ſuo:
Quàm pretioſa fames, pretium quæ vilibus addit,
Et potis eſt mures nobilitare breues.

Quintus Fabius Max. cunctando reſtituit rem.

EPIGRAMMA X.

FVlmine iam Pœno fregit clauſtra Itala, & Alpes,
Vicit inaceſſas Annibal, enſe minax.
Auſonia in media certat, iamque imminet Vrbi,
Captiuuſque fluit decolor amne Tybris.
Rem Latiam Fabius, non pugna, aut vindice ferro,
Sed lenta viſus reſtituiſſe mora.
Dum certare ardet Pœnus, fugit arma Latinus
Victor: ſtare loco, pugna cruenta fuit.
Hinc fuſus ſine telo hoſtis: ſine Marte phalanges
Afflictæ, inſolito Marte dedere manus.
Quàm pulchra hæc palma, Annibalem viciſſe ſedendo,
Et luſiſſe pigra Punica tela manu.
Annibal, haud cedis? ſi neſcis, Martia Romæ
Otia ſunt armis aſperiora tuis.

Digitized by Google

Pyrrhus Epirotarum Rex Argos dum obſidet, tegula perimitur.

EPIGRAMMA XI.

IMpetit Inachios Rex Epiroticus Argos,
Et dura trepidos obſidione premit.
Mœnia dum luſtrat, pinnis immittit ab altis
Vi tegulam, colla & regia frangit anus.
Quem non mille acies ſternunt, non agmina mille
Ære grauem, Vetulæ ſuſtulit vna manus.
Cerne vices: tu ſceptra Ducum, genteſque triumphas
Inuictus, de te, Pyrrhe, triumphat anus.

Catonis Vticenſis Effigies.

EPIGRAMMA XII.

PEctore quem cernis nudo, quem ſtrictus & enſis
Traijcit, eſt magni nominis ille Cato.
Cur, ais, inuictum petit alto vulnere pectus,
Atque indigna ſubit fata Catone Cato?
An Romæ inferias, libertatique Latinæ
Soluit, ceu cultro victima cœſa ſuo?
An Patriæ ſupereſſe pudet; per vulnera pulchra
Eximit & turpi libera colla iugo?
At ſuprema audin morientis verba Catonis?
Fallor? an exanimi talia ab ore refert?
Erectum haud flexit Cæſar: Romaque cadente,
Impauidum ferijt vaſta ruina caput.
Prouoco nunc victor fatum: hoc & vindice ferro,
Membra cadant: magnus non cadet ille Cato.

Digitized by Google

Romani Imperij ætatum gradus.
Ex Lucio Floro.

EPIGRAMMA XIII.

IMperij moles Latij, quam ſpiritus ingens
  Et viſa eſt virtus mente animare graui;
Emensa à cunis certa eſt diſcrimina vitæ,
  Atque per ætates creuit adulta ſuas.
Ludit ſub primis Infantia Regibus; atque
  Ceu matrem circà proxima bella gerit.
Inde paludato creſcunt ſub Conſule vires,
  Et viridis pulchro in flore Iuuenta calet.
Eminùs & fulmen iaculatur tortile, magnam
  Cogit & Italiam ſubdere colla iugo.
Hinc fluit Auguſti memoranda ad tempora tempus:
  Æuum hoc Romulea in gente virile fuit.
Tùm virtus, Latiusque vigor maturuit: Orbem
  Subdens Româ ſuum, fulmine, pace regit.
Secula ab Auguſto quæ mox fluxere, ſenectam
  Imperij, effœto corpore, iure voces.
Æneadum ſiquidem vis illa elanguit ardens,
  Romaque in ignauo Cæſare conſenuit,
Exhauſtæ hinc vires, hinc illæ talia fata,
  Sparſaque ter magni corporis oſsa vides.
Scilicet, immotum hoc fatum: cuncta orta ſeneſcunt:
  Stantque ſimul cunæ, buſta; iuuenta; cinis.

De Lupa, quæ Romulum aluit.

EPIGRAMMA XIV.

STat Lupa, diſtentis & non ſua pignora mammis,
  Primo & lacte altrix officioſa fouet.
Aſpicis? æternæ trabeatus Conditor Vrbis
  Ludit ad immitis pectora ſæua Lupæ.

Cer-

Cernitur ille ſuam ceu matrem agnoſcere viſu,
Cernitur hęc ſobolem lambere ore ſuam.
Græcia ne Alcidę cunas, ſingulataque iactet
A tenera quondam ſquammea colla manu.
Romulus en maiore feram namque edomat infans
Belluam, & in matrem cogit abire Lupam.

Romulus Vrbis Conditor.

EPIGRAMMA XV.

VNit Marte Lupam truculentam Romulus ardens
Mars genuit; diro lacte aluitque Lupa.
It ſyluis, tranatque amnes: ſed grandior annis,
Molitur muros, Martia Roma, tuos.
Auſpice biſſeno fundata eſt vulture Roma,
An iam falcato vulture ſceptra rapit?
Dat populis Vrbem, populos dat Romulus Vrbi:
Iura ſimul pacis dictat, & arma regit.
Vtque enata recens ſoboleſcat Roma, Sabino
Callidus è populo ſurripit arte nurus.
Sęua ſuas Helenas repetunt per vulnera bella
Sed pacat laceris rapta puella comis.
Facundus loquitur tantæ dum Conditor Vrbis,
Fulguris in morem vauuit ex oculis.
Hinc ceu Numen habent: Septenę hinc culmina Romę
Non hominem dicunt, ſed poſuiſſe Deum.

Numa Pompilius Rom. Rex II.

EPIGRAMMA XVI.

MArtigenæ Regis poſt fata inopina capeſſit
Accitus Curibus, Romula ſceptra Numa.
Fundamenta iacit naſcentis: hic altera Romę
Numina &, inuecta relligione, colit.

Hic

Hic ſacris aras,hic & decus aſſerit aris:
Hinc augur, Salij, victima, myſtæ, popæ,
Iliacis hinc culta focis penetralia Veſtæ,
Seruata & caſta à Virgine flamma vigil.
Stat Iano templum: dilapſa Ancilia Cælo
Concelebrat, ſacrum Palladiumque dicat.
Dum iubet, AEgeriam ſimulat dictaſse; citòque
Parent: nanque Numæ Numen adeſse putant.
Magnus es,æternam condas quòd, Romule, Romam:
Inuehat at Numa quòd Numina, maior erit.

Tullus Hoſtilius Romanorum Rex III.

EPIGRAMMA XVII.

AVrea Pompilij Tullus fræna arripit, ardens
Cui virtus viſa hoc commeruiſse decus.
Inſtructus ſatis populos, hic inſtruit armis,
Et pubes crudo Marte Latina calet.
Vicinas terret gentes, & fulmine torto
Troica Romuleo ſternitur Alba Ioue.
Prima rudimenta hæc *Romæ*: proluditur Orbi:
Primaque bellorum gloria Tullus erit.

Ancus Hoſtilius Roman. Rex IV.

EPIGRAMMA XVIII.

ANcus belligeri fert ſceptra vicaria Tulli,
Cognatuſque Numæ eſt, alter & ipſe Numa.
Romam ornat, laxatque, & publica commoda curat;
Splendeat vt mole, & moribus illa ſimul.
Nectit ſciſsam Vrbem curuato ponte: ſuperbè
Spumat, ceu renuat Tybridis vnda iugum.
Tecta dein munit, muris amplectitur altis,
Quæ iuga ſepteno ſydera colle petunt.

Ro-

Romulus extruxit, Numa ſacrat, Tullus & armat,
Ancus ſed muris grande coronat opus.

Tarquinius Priſcus Romanorum Rex V.

EPIGRAMMA XIX.

DAt Priſco bimaris cunabula prima Corinthus,
Miſcet & is Danais moribus Italicos.
Rege hoc maieſtas creſcit trabeata Senatus,
Curia & Auguſtis Patribus aucta nitet.
Pace bonus, meliorque foris Tarquinius armis:
Amplificat ſceptris Romula ſceptra nouis.
Horrida bella ferox infert, populiſque ſubactis,
Dat Regi vinctas Tuſcia victa manus.
Hinc faſces, pictæque togæ, phaleræque, triumphi:
Hinc curru, hinc Victor diuite vectus equo.
Nec potuit tanta non Vrbs ſplendeſcere pompa,
Dum Priſcus tanto fulgurat igne foris,

Seruius Tullius, Romanorum Rex.VI.

EPIGRAMMMA XX.

SEruius è Serua Regno natalibus impar,
Indole non impar, Dardana fræna capit.
Ludere per flauos quæ viſa eſt flamma capillos
Aurea, prolnſit faſcibus Imperij.
Non huic belligerum ingenium, non fulgurat enſe:
Mente Vrbem curat, conſilioque domi.
In claſses tribuit populos, tabuliſque peractis,
Inſerit in cenſus nomina ſcripta ſuos.
Signat opes, ſignatque æuum: quæ Ciuibus artes,
Quæ partes; capitum & munera queque notat.
Quàm bene: ſpectandam ſic Vrbem hanc obijcit Vrbi,
Amplaque ſic Romam, hoc Principe, Roma videt.

Tar-

Digitized by Google

Tarquinius Superbus Romanorum Rex VII.

EPIGRAMMA XXI.

SAnguine graſſatus Romana ad ſceptra Superbus,
Sceptra cruentata rexit auita manu.
Ceu Leo fulmineus rabida Tarquinius ira
Cœde domi viſus feruere, cæde foris:
Eſt animo furor, eſt truculenta ſuperbia fronti:
Vulgus, & Auguſtos demetit ille Patres.
Impia non melior crudeli Coniuge Coniux,
Contigit, in Manes Tullia ſæua Patris.
Iunge illi & Sobolem, facinuſque libidinis, atque
Corpora magnanimæ commaculata Nurûs:
Quàm bene pelluntur Regno: procul horrida monſtra
Hinc, vbi miteſcit ſæua vel ipſa Lupa.

Horatius Cocles ad pontem ſublicium.

EPIGRAMMA XXII.

IT fortis Porſenna manu, & quà ponte recuruo
Iungitur Vrbs, acies impulit ære graues.
Fulmineus contra ſtat ſolus Horatius: ille
Siſtit mille ferox agmina, mille Duces.
Vrget, agit Latius Briareus: tùm ponte reciſo,
Decidit, & ſtricto tranſnatat enſe Tybrim.
Tuſcę acies ſtupuere Ducis portenta Latini,
Seque vno victas erubuere Viro.
Ardua Tu pręceps ſcandis Capitolia, Horati,
Cumque ruis patrio in Tybride; celſa petis.

Clœ-

Clœlia Romana Porſennæ obſes, cuſtodiam fallit.

EPIGRAMMA XXIII.

PVlchra genas, & clara genus Virgo inclyta, Regis
Tuſci obses, vigiles decipit excubias.
Flauum audet tranare Tybrim, fluctuſque retortos
Pectore perrumpit molli, agilique manu.
Roma mares animos laudat, ſpirantia & illi
Saxa dicat, grandis pulchra trophœa fugæ.
Clœlia, non pugnas: traiecto at flumine, ſic eſt,
Plus luſiſſe fuga, quam ſuperaſſe manu.

Mutius ſcæuola manum igne mulctat.

EPIGRAMMA XXIV.

IN caput auguſtum collimat, & inuolat enſe:
Errat at incolumi Rege, Latinus Eques.
Indignabundus dextram, dum vindicat igne,
Rex horret, ceu tùm fulminet illa manus.
Suſtulit haud ferro Porſennam: at terruit igne
Mutius: ipse audax vritur, ille timet.

Curtius ſe præcipitem dat in voraginem.

EPIGRAMMA XXV.

QVà mirè fauces patuere voraginis altę,
Immoto pręceps Curtius ore ruit.
Dum Patriæ ardet amor, generoſiùs audet, hiatus
Corpore & immanes imbuit ille ſuo.
Alta petant alij, Tarpeio & colle triumphent:
Pulchriùs at præceps Curtius ima petit.

Cato ſtatuas reſpuit.

EPIGRAMMA XXVI.

SPectatum rigida cernis virtute Catonem ;
Fronte acrem, intonſum crinibus,ore grauem.
Egregius cenſor moris, monitorque Latini :
Norma Vrbis, lex & publica vultus erat.
Phidiacas poni effigies, ſtatuaſque ſuperbas
Ipſe ſibi inſigni pectore ſæpe vetat.
Nempè, ait, hoc pulchrum, quæri, cur ſigna Catoni,
Marmora & in medio non poſuere foro ?
Magno creſcit honor, Magno ſi demis honorem :
Æra negas ? virtus nobiliora parat.

Manlius Torquatus cum Gallo pugnat.

EPIGRAMMA XXVII.

TE, Manli, Gallus dirè clypeatus, & enſe
Ardens fulmineo, prouocat ore truci.
Tu magna virtute ferox, animeque Latinę
Prodigus, in Gallum proſilis enſe pari.
Pugna ardet propiore gradu ; volucrique rotatu
Vti non vno fulmine quemque putas.
Tandem, Galle, cadis traiecto pectore. palmam
Torque tuo decorat Victor & ipſe ſuam.
Audit & hinc pulchrè Torquatus : diuite ab auro
Nomina quæ poterant ſplendidiora dari ?

In Craſſi os aurum infunditur à Parthis.

EPIGRAMMA XXVIII.

DIues opum Craſsus, nimiùm licet aggeret aurum,
Ardet adhuc auri dira cupido ſinu.

Pro-

Prouocat hinc bellò Parthos: furit ardor habendi,
Sorbeat vt vaſto gutture Gentis opes.
Bellatorem auidum ſpes fallit: Marte ſiniſtro,
Fuſæ acies, ferro cœſus & ipſe cadit.
Mulctaturque auro: nanque imbuit ora metallum
Fuſile; quodque ſitis, hoc bibe, Parthus ait.
Craſse, frui partis melius, quàm fundere Parthos:
Ferrum alijs, aurum eſt exitiale tibi.

Romanis Ducibus Columba literas ferunt in Mutinen. obſid.

EPIGRAMMA XXIX.

BRute, vides ſeptam telis hoſtilibus Vrbem;
Et dura muros obſidione premi.
Tu, quod terra negat, petis aere: mœnibus inſtent
Dirè acies; Cæli ſemita aperta tibi eſt.
Remige nam penna fertur per inane columba,
Signataſque gerit nuntia miſsa notas.
Illa volat, volitatque ſimul ſecreta papyrus:
Quę ſcripta eſt penna litera, penna vehit.
Hoc mirum: imbelles generosè audere columbas;
Romanas Aquilas dum trepidare vides.

Muranam Craſſus amat, & mortua parentat

EPIGRAMMA XXX.

PIctam adamat Craſsus muræam, ornatque, politque:
Ipſe ſua lautus fert alimenta manu.
Eſset Nereidum mollis velut vna ſororum,
Altera cæruleo ſeu Venus orta mari.
Dum perit at piſcis, creſcunt viuaria fletu,
Triſtia & atratus funera Craſsus obit.

Nec cineri deſint flores . Nunc flebilis vrna
His doleat, ſcriptis illachrymetque notis.
Delicium latet hîc Domini, Mutanula: mortis
Effugiſſe manus lubrica non potuit.

Fabius Romanus dum lac haurit, pilo, qui inerat, interclaſo ſpiritu, necatur.

EPIGRAMMA XXXI.

LAc Fabius cyatho ſorbet, quique innatat intus,
Obſtruit exiguus guttura anhela pilus.
Infelix moritur: fluxæ ne credite vitæ,
Illam ſi perimit lac, iugulatque pilus.
Nimirum cum fata inſtant immota, vel ipſum
Lac necat, atque abeunt in fera pila pili.

Domitianus Cæſar muſcas ſtylo figit.

EPIGRAMMA XXXII.

CErnitis Auguſtum metuendum cuſpide? muſcis
Scilicet exiguis bella cruenta mouet.
Ceu petat hoſtiles acies, rutilasque phalanges,
Siue tuas, Macedo, ſiue, Iugurtha, tuas;
Sic acuit ferrum, exerto ſic militat enſe,
Nectit ſicque dolos inſidioſa manus.
Aggerat hinc ſtrages: muſcarum corpora mille
Cæsa iacent: Cannas, Thermopylaſque vides.
Debuit hic hoſtis ſuperari hoc Cæſare: adauget
Proh quantum! Auguſto muſca ſubacta decus.

Romanus Imperator Philoſophos Roma expellit.

EPIGRAMMA XXXIII.

ROma Mineruales quas artes excolit, ipſa
Ire procul Roma Cæſaris ira iubet.
Quis furor in doctas ſapientum inſurgere mentes,
Claudere & ingenijs muta lycea ſuis?
Cecropiæ an fatum inſuperabile Palladis hoc eſt,
Vt nequeat ſummo in vertice ſtare diù?
Olim grande caput Iouis expulit: eijcit illam
Nunc & Roma, Orbis nobile nempè caput.

Ad tabulam, in qua AEneas cum Patre ab incendio dilabitur.

EPIGRAMMA XXXIV.

EN dira Iliacos populatur flamma penates,
Ardet & iniecta Dardania Troia face.
Aſpice & impauidum per tela ærata, per ignes
Ire Anchiſiadem, ferre humeriſque Patrem.
Itque alacris vultu, velut vno in ſoſpite Patre
Ipſa foret ſoſpes Patria, tecta, lares.
Macte Heros: ſublimem humeris fers ipſe Parentem:
Te tua ſed pietas inclyta ad aſtra vehit.

Comburendam AEneidem ſuam iubet Virgilius.

EPIGRAMMA XXXV.

VIuere quæ cedro, ſolido vel debuit auro
Æneis, flammis deſtinat ipſe Maro.
Innumeri Soles quod vix pepererẽ ſuperbum
Quis furor, vt facilis deuoret ignis opus?
An qui Dardanio Æneas dilapſus ab igne eſt,
Immeritus Latijs arſerit ille focis?

Tu

Tu prohibes, Cæſar: nec, ſi non ipſe vetaſses,
Arſiſset triſti doctus ab igne Maro.
Scilicet, exundans Muſarum lachryma, & ipſa
Merſiſset dirum Caſtalis vnda rogum.

Zopyrus, corrupto ſœdè vultu, Babylonem Dario ſubdit.

EPIGRAMMA XXXVI.

ASserat vt Dario obſeſsam Babylona, ſagaci
Callidus hæc bellè Zopyrus arte parat:
Ipſe ſuos fœdat vultus, labriſque reſectis,
Truncata mutilus fingit & aure fugam.
Conqueritur: diram Darij mentitur & iram;
Sic mea, ſic, inquit, Barbarus ora ferit.
Verba animant lachrymæ; incautum ſic decipit hoſtem,
Ciuibus & ſe ſe miſcet, & arma regit.
Nec mora: roboreæ patuere ſine ariete portæ,
Cogitur & Babylon ſubdere colla iugo.
Cerne dolos: validæ quod non potuere phalanges,
Vnus obit miles ſaucius, & mutilus.

Zaleucus oculi iactura ſuas tuetur leges.

EPIGRAMMA XXXVII.

EXpiet vt tenebris oculorum crimen adulter,
Indetorta olim lege, Zaleuce, iubes.
Incidit in facinus Soboles: abſoluis? an vltor
Criminis impauidus, definis eſse Pater?
Hinc amor, hinc acri leges certamine pugnant:
Aspera declamant iura, perorat amor.
At parcit, mulctatque Pater; diuiſaque pœna eſt:
Namque ſuo illa caret lumine, & ille ſuo.

Hinc

Hinc ſimul in Sobole infractum jus, faſque triumphat,
Et ſimul in rigido Patre triumphat amor.

Dionyſius Corinthi.

EPIGRAMMA XXXVIII.

QVi Siculis dura dominatur fronte Tyrannus,
Et violenta ſuo Numine frena regit:
It fato profugus, pueris ludumque Corinthi
Intonſis aperit, munere Grammaticus.
Cirratoſque docet centum, his & iura miniſtrat,
Mulctat & hos ferula vindice, & ore minax.
Pulsus nanque ſua, imberbem ſibi condidit Aulam,
Et noua, mutato Principe, ſceptra quatit.
At ſe dum ludi egregium putat eſse magiſtrum;
Ipse eſt fortunæ ludus & ipſa iocus.

Portia Romana, hauſtis carbonibus moritur.

EPIGRAMMA XXXIX.

POrtia, magnanimi exemplum inſuperabile amoris,
Audijt vt Brutum fata obijſſe ſuum;
Noluit egregio coniux ſupereſse Marito;
Hauſtoque intrepidè eſt igne ſecuta Virum.
Concidit haud ferro: ſiquidem quam tantus agebat
Intus amor, meritò debuit igne mori.
Portia, qui viuus ſubijt tua pectora carbo,
Nulla illum extinguent tempora, nulla dies.

Zeno-

Zenobia triumphata, & triumphatrix.

EPIGRAMMA XXXX.

Quæ ſuperat Perſas, audet Zenobia contra
Stare Aquilas, orbem quæ domuere metu.
Hæc inerat menti virtus generoſa ſuperbæ:
Maſcula fœmineo hæc pectore flamma calet.
Congreditur, rotat ipſa enſem, ſua fulmina mittit:
Magnanima at Latio Fœmina victa Ioue eſt.
Victa triumphanti ſimilis Capitolia ſcandit:
Intrepida it major nexibus ipsa ſuis.
Nempè ſuos habuit fortis Regina triumphos,
Et certaſſe tibi, Roma, triumphus erat.

Tomyris Cyri caput in ſanguinis vtrem mergit.

EPIGRAMMA XXXXI.

Sanguinis en rigui tibi grandia pocula, Perſa
Improbe, quem ſitiunt guttura ſæua, bibe.
Fronte truci hæc Cyro Scythica de gente Tomyris,
Dum ſectum in calido mergeret vtre caput.
Ille ſitit dirè: dirè illa & ſanguine mergit.
Quis furat, incertum eſt, ille, vel illa magis.

Artemiſia Mauſoli cineres bibit.

EPIGRAMMA XXXXII.

Mauſoli Coniux ſtudium teſtata, fidemque,
Excitat è Paria rupe ſepulcra Viro.
Certat opus Cælo: mundo hinc miracula creſcunt:
Neſcis, laudandum mole, vel arte magis?

Ma-

Magnanimus ſed vincit amor monumenta laboris
  Phidiaci, & marmor nobile vile putat,
Eſt, inquit, niueum pectus pretioſior vrna,
  Feruida ſunt corda hæc Coniuge digna meo.
Nec mora: dilutas lachryma Regina tepenti
  Relliquias auido ſorbuit ore Viri.
Sic iterum, Mauſole, rogum dat pectore Coniux:
  Spirat vitali in corde iterumque cinis.

Semiramis, audita Babylonis defectione, non antea comam religauit, quàm illam ſubegerit.

EPIGRAMMA XXXXIII.

CRines dum pectit, nectitque Semiramis, audit,
  Impoſitum, Babylon, te repuliſse iugum.
Incomptis, mora nulla, comis volat illa, capillus
  Nil curæ eſt, ſubita corripit arma manu.
Bellatur: ſparsum capitis nec colligit aurum,
  Subdita ni frænos induit illa priùs.
Miraris, facili Babylonem Marte ſubactam:
  Reginam & ſparſis hanc ſuperaſse comis?
Scilicet, illa arſit, diro ceu crine cometes:
  Horruit hinc Babylon, victa deditque manus.

Cleopatra cœna.

EPIGRAMMA XXXXIV.

QVi pendet, Cleopatra, tua Gangeticus aure
  Vnio, fit grandis fuſilis eſca gulæ.
Hauſtu vno, Antoni, ſorbes patrimonia, tantas
  Sorbuit haud vnquam vaſta Charybdis opes.
Scilicet, immani pretioque, & mole ſuperba,
  Æquat millenas margaris vna dapes.

Percupit hinc auidè Imperium Cleopatra Latinum :
Nam ſic cænanti vix ſatis Orbis erat.

Demetrius parcit Rhodijs, ne Protogenis tabula arderet.

EPIGRAMMA XXXXV.

PArceret eximiæ vt tabulæ, quam nobilis olim
Protogenis docta finxerat arte color :
Euerti ferroque Rhodon, flammaque ſuperbam
Rex vetuit; quamuis ferueret ira ſinu.
Quis credat ? ne ſæua Rhodon mille agmina perdant,
Dædala Protogenis reſtitit vna manus.

De picturę principatu certant Parrhaſius, Zeuxis.

EPIGRAMMA XXXXVI.

ZEuxis Parrhaſio certat : Mars pendet & anceps :
Ille ne ſolerti præſtet, an ille manu ?
Quiſque ſuum molitur opus: liuentis & vuæ
Hic aurum; hic fingit lintea pura color.
Nec mora : quà pictæ flaueſcunt pulchriùs vuæ,
Deuolat, atque auido gutture carpit auis.
Ipſe ſibi plaudit Zeuxis : iam vicimus, inquit :
Decreta, hac volucri iudice, palma mihi eſt.
Parrhaſium hinc faſtu alloquitur: quin lintea tollis,
Lux vt clara tuum nobile vulget opus ?
Ille alio faſtu: volucres tu decipis, inquit,
Noſtra ſed egregios lintea picta viros.
Quàm vellet Zeuxis, ne proderet ore pudorem,
Vultus Parrhaſij velo operire ſuos.

Nauis

Digitized by Google

Nauis adeò exigua, vt ab apicula alis tegeretur, Callicratis ſculptoris manu.

EPIGRAMMA XXXXVII.

POllice formatam tenui, curiſque minutis,
Obſtupuere olim ſecula priſca ratem.
Curua carina illi, puppiſque, & prora, rudentes,
Remigium, malus, carbasa, & æra caua.
Cuncta perexiguis apis Attica contegit alis,
Vſque adeo tenui corpore nauis erat,
Artis opus mirum: æquali ſe mole laceſſunt,
Mellificanſque ales, velificanſque ratis.

Ab eodem artifice currus ſub muſca.

EPIGRAMMA XXXXVIII.

ET currum, & bijuges, moderatoremque quadrigæ
Contegit exiguo corpore muſca breuis.
Callicratis labor arguti, cui rebus in arctis,
Grandius ingenium, menſque terampla fuit.
Monſtra vides: tenuis par eſt nam muſca quadrigæ,
Nec currus muſca grandior ipse breui eſt.

In Pyrrhi Regis acathe muſa nouem cum Apolline.

EPIGRAMMA XXXXIX.

ÆTas priſca virũm inſignem miratur achatem:
Carius hac gemma nil tibi, Pirrhe, fuit.
Hic Helicon, Iouis hic Soboles Parnaſſia, plectro
Nobilis, & viridi Daphnide cincta comas.
In medio Phœbus, flauus cui vertice crinis,
Vocale & melico è pectore pendet ebur.

Mutauere vices Muſæ: nam, rupe relicta
  Aonia, gemmas incoluiſse iuuat.
Traxit ſaxa olim Amphion: nunc ordine verso,
  Numina Parnaſſi pertrahit iſte lapis.

Ad tabulam, in qua Niobe inter filiorum funera,

EPIGRAMMA L.

QVam bis ſena inter lachrymantem triſtia cernis
  Funera, ſi neſcis, Tantalis eſt Niobe.
Dum dolet, in lapidem obriguit; geliduſque tepentes
  In lachrymas visus mox abijſse lapis.
An dolor, an Niobe viuit ſub marmore? an ipſum
  Illachrymat marmor, viuit & in Niobe?
Cernite, quàm bellè mendax hic fabula luſit,
  Commutautque vices mollia, dura ſuas.
Tranſijt in duram mollis nam Fœmina cautem:
  Prædurā & cautem mollijt in lachrymas.

Ad Virum nobilem pingendi arte peritiſſimum.

EPIGRAMMA LI.

FRænat hic alipedem ſpumantem; hic Martia tractat
  Arma manu; iuuat hunc ſollicitare feras.
Tu minio tabulas animas argutus, & ipſa
  Arte doces acri lina operosa loqui.
Ingenio certat facili manus impigra; vultu,
  Quem fingis, viuus palpitat ipſe color.
Contegit & triſtes quos Manes vrna, vel vmbra,
  In lucem artifici ſcis reuocare manu.
Si redeat Macedo poſt ſecla fugacia, Apellem,
  Qui pingat, cernet, iam redijſse priùs.

De tabula, in qua Helena inepti pictoris.

EPIGRAMMA LII.

QVis nouus hic Zeuxis, rediuiuus & arte Timantes
  Mira hæc artifici monſtra colore parit ?
Pingit, an horrificas imitatur Larua figuras ?
  Ora hominum, an didicit ſpectra animare manu ?
Cernis ? Amyclæam hic Helenam dum fingere tentat,
  Triſtem Hecubam pinxit diſcolor iſte color.
Hęc formoſa Helena eſt ? quid ferro, atque igne Pelaſgi,
  Quid Phryges longo Marte, animoque furunt ?
Tyndaride à pulchra arſere olim mœnia Troiæ:
  Quin tabula hæc turpi flagrat ab hac Helena ?.

Ad tabulam, in qua nauale bellum cum Turcis.

EPIGRAMMA LIII.

CHriſtiadum hic cernis claſsem concurrere claſse
  Treijcia: pictus terret vtrinque furor.
Neptunus tanta ſub belli mole fatiſcit,
  Territa & ignīuomis puppibus, vnda latet.
Æra ardent, atque ora virûm: iamque impetit alnus
  Alnum fulmineam, ſæuaque pugna calet.
It ſcythicis telum neruis; ruit Itala grando;
  Fulmina turritas dilacerantque rates.
Tu, tu veliuolas, Hiſpane Tridentiger, arces
  Disijcis Iſmaridum, palmaque opima tua eſt.
Scilicet, occiduos aſsuetus cernere Soles,
  Lunam Marte vides nunc cecidiſse tuo.

Pha-

Digitized by Google

Pharao in mari rubro mergitur.

EPIGRAMMA LIV.

DVm fugit Iſacides equites, curruſque ſequentes,
Hoſtibus hinc Pharijs clauſus, & inde mari;
Scinditur en pelagus reuolubile: ſciſsus vtrinque
Aſsurgens fluctus, nobile ſternit iter.
Corripit ille viam, media immerſabilis vnda:
Sicque acies ludit, dure Canope, tuas.
Tu tamen inſequeris metuenda per aquora; aperti
Non te terrificant guttura, & ora maris.
Nec mora: tot currus, fulgenteſque ære phalanges
Indignabundis ſorbuit æquor aquis.
Naufraga tota natat Memphis: ſerò improba cœpit
Scire, Tridentigerum Numen adeſse mari.

AEſchylus Poeta teſtitudinis caſu moritur.

EPIGRAMMA LV.

Æſchylus à tragico laudandus iure cothurno,
Fortè ſerenato ſub Ioue tutus agit:
Cum lapſa ex aquilæ falcatis vnguibus, ictu
Teſtudo frangit caluum inopina caput.
Diſcite mortales, quàm ſit reuolubile fatum;
Vltima quàm rapido peruolet hora gradu.
Nempè vel in lentà properat teſtudine; ab illa
Nec metuit longas inuida Parca moras.

Sophocles vua acino præfocatur.

EPIGRAMMA LVI.

REx tragicę Sophocles muſæ, dominuſque cothurni,
Aſperat Heroum funere ſæpè lyram.

Vlti-

Digitized by Google

Vltimus ipſe implet ſcenam, caſuque peremptus
  Immiti, immeritus triſtia fata ſubit.
Nanque racemiferis dum carpit vitibus vuam,
  Ipsa, interclusis faucibus, vua necat.
Auro plena ſuo, poterat matura videri
  Vua nimis, Sophocli ſed peracerba fuit.

Philæmon Poeta à nimio riſu moritur.

EPIGRAMMA LVII.

COmpoſitos calatho ficus, lachrymaque decora
  Stillantes, menſa in diuite, Aſelle, vides.
Arrigis hinc aures, conuiua & nobilis vltrò
  Accedis, ficus ſumis, & ore voras.
Te videt inſignis musa, citharaque Philæmon,
  Protinus & riſu rumpitur immodico.
Occurrit letho lætus; facilemque per ipsum,
  Quis credat? riſum lugubre funus obit.
Inferias ſoluat functoque inclamet aſellus
  Flebilis: is moriens rideat, ille rudat.

Romana mulier, viſo filio, quem putabat ad Cannas periiſſe, præ gaudio moritur.

EPIGRAMMA LVIII.

QVem putat ad Cannas, Pœno ſuperante, peremptum
  Purpurea Natum morte Latina Parens,
Improuiſa illum vt vidit: nam fallere rumor
  Sæpe ſolet mendax; concidit exanimis.
Nimirum ſubita exundant dum gaudia corde,
  Naufragus haud valuit gaudia ferre ſinus.
Hinc læta haud gaudet de prole ſuperſtite mater:
  Lætitiam potuit trudere lætitia.

Milo

Digitized by Google

Milo Crotoniates arborem cum vellet diducere, interceptis manibus, retentus, à feris diſcerpitur.

EPIGRAMMA LIX.

RObur vt oſtentes, Calaber neruoſe, lacertis
Conaris truncum findere roboreum.
Nec ſatis eſt operi neruus: Dodonia quercus
Reſtitit, obſtrictas detinuitque manus.
Implicitum, & vinctum manibus, mora nulla, peracri
Dente petunt, auidæ dilacerantque feræ.
Scilicet, inſequitur lictor temeraria facta:
Ipſum opus audaces vindicat, & perimit.

Quo die inauguratur Paulus Pontifex Quartus Oratores Angli obſequium deferunt.

EPIGRAMMA LX.

INclyta dum meritum Pauli caput Infula nectit,
Plaudit & à tanto Principe Roma ſibi:
Anglia, quæ Latijs illuſerat impia ſacris,
Lambit adoratos relligioſa pedes.
Par decus eſt Paulo, pedibus ſeu proruat Anglus;
Seu decoret ſacras Vitta Latina comas.
Scilicet, aſsurgit Cælo, dum ſerta coronant:
Lambis cumque pedes, Angle, Acheronta premit.

Ioan-

Ioannis Baptiſtæ Milani Cleric. Regularium Præpoſiti Generalis Primi effigies.

EPIGRAMMA LXI.

INdole quis fuerit, quis & ore Milanus, imago
Hęc docet, & tabula picta vel vmbra breui.
Relligio, pietaſque Viri ſtant fronte verenda,
Spirat & in vultu mens operoſa graui.
Primus fręna regit non degener Ordinis; at mox
Paſcere, mutato Patre, iubetur oues.
Infula nil peccat diues: non ſtragula lecto
Picta, nec inſtrato pariete vela nitent.
Contentus paucis: frugalia tegmina, menſa
Parcior, è Chio vina nec vlla cado.
Diues inops, inopes curat: fuluum erogat aurum
Pauperibus: ſerit his prouidus, hiſque metit.
Hinc inopum lachrymæ vittati ad buſta Parentis:
Pulsata hinc miſeris pectora, ſciſsa coma.
Quæ laus vberior, quæ tam pia thura ſepulcro:
Quàm flere in triſti funere pauperiem?

Eliſæi Nardini Cler. Regul. Præpoſiti Gener. Secundi Icon.

EPIGRAMMA LXII.

NArdini hic potuit pictor deſcribere vultus:
Egregiam mentem pingere non potuit.
Ille Thienææ Gentis Dux inclytus alter,
Hic eſt, cui virtus fræna regenda dedit.
Cura prior pietas, atque inuiolata ſacrorum
Mundities, ſplendor Numinis, ara nitens.
Tum legum vindex, & ſeruantiſſimus æqui:
Sæpe ſupercilio, fulmine ſæpe monet.

Eſt rigor, alterno eſt mitis clementia vultu,
  Acrior & placido in pectore flamma calet.
Si iubet, ante alios ardens ſua iuſsa capeſſit:
  Nempè iubet quę Dux munera, miles obit.
Extinctus redolet poſt fata ſuperſtite fama,
  Nardinus nardo gratiùs Aſsyrio.

Ioannis Scurcouilli, Sipontini Cler. Reg. Præp. Gener. Tertij Tumulus.

EPIGRAMMA LXIII.

Lilia da cineri, & violas, frugemque Sabęam:
  Hæc Sipontinum contegit vrna Patrem.
Flos morum, niuei lux illibata pudoris,
  Religio, & grauitas hic tumulata iacent.
Mens illi & genius florente ardentior æuo:
  Viuida vix poterat ſtare iuuenta loco.
Inijcit at prudens ſpumantia fræna, manuque
  Prædura viſus ſe domuiſse ſua.
Moribus hinc alius, facili flectendus habena,
  Lentus agit, loquitur parciùs ore graui.
Egregius rectorque ſui, rectorque ſuorum,
  Publica mox ſummo commoda iure regit.
Hic amor, hic legum ſtudium, hic & lenta poteſtas
  Imperat, & præfert omnibus ipse facem.
Sat multum vixit, reputes ſi fluxile tempus;
  Si Studia, & Patrum feruida vota, parum.

Ad Ioannis Antonij Angriſani Cl. R. Præp. Gen. Quarti, poſtea Archiepiſc. Surrentini Effigiem.

EPIGRAMMA LXIV.

QVi tabula hac ſpirat, generoſa ab ſtirpe Thienę,
  Atque Thienęi Dux gregis ipse fuit.

Conſilio ſolers, acri vir mente: profanis
Artibus, & ſacris floruit ingenium.
Dum regit, haud duris cogit parere lupatis,
Mollia ſed lenis dextera fręna tenet.
Mox Præſul: ſacręque eadem clementia Vittæ eſt;
Comis & eſt cunctis Infula, virga leuis.
Grande æuum Antiſtes Pylios extendit in annos:
Corpore & in viridi cruda ſenecta fuit.
Haud pulchrum, niuibus crines ſenuiſſe profundis:
Hoc pulchrum, mores quòd ſenuere citò.

Marcellinus Oda Cl. Reg. Præp. Gen. Quintus.

EPIGRAMMA LXV.

TRanſmiſſi cum laude dies, & crine verendo
Canicies, morum fama, animiqu evigor,
Euexere Odam ſumma ad faſtigia rerum,
Egregia curis indole nempè parem.
Nec ſpes ille ſuæ Gentis, nec vota fefellit:
Legibus aduigilat, lex ſed & ipſe ſuis.
Ignea vis inerat linguæ: ſi fortè moneret;
Quæ vox orellbat, flammea cuſpis erat.
Hinc faciles parent: quando hinc exempla decora,
Adderet hinc calidas lingua diſerta faces.
Adrepit lentè ſenium: tùm morte quieſcit
Eximia; ſiquidem viuere dignus erat.

Ad Andrea Piſcara Caſtaldi Præp. Gen. Sexti Effigiem.

EPIGRAMMA LXVI.

HÆc ſpecies inerat Caſtaldo, hæc gratia fronti:
Illius atque animæ viuus hic ora color.

 A cu-

A cunis caſtus: mentem pudor occupat: illi
Pectora ſunt Scythica candidiora niue.
Ingenio excultus, tenuit ſumma infima; Cæli,
Naturæque ſinus haud latuere Virum.
Numina quo celebres ritu; quo ſacra miniſtres
Ordine; quæ templis ſyrmata, thura, preces;
Excipit hæc docti Caſtaldi pagina: Myſtis
Hinc decus: hinc fulget Numen, & ara nitet.
Ordinis at ſummis dignatus faſcibus, ornat
Moribus is faſces, moribus atque iubet.
Maieſtas, & amor dextras iunxere: timori
Seruit amor; gratus creſcit amore timor.
Præcipua eſt pietas: magno ſacrata Tonanti,
Nunquam non niuei pectoris ara calet.
Aſtra habitat viuens: hinc haud nouus incola Cæli,
Cum moritur. Tenuit Spiritus aſtra prius.

Vincentius Gilibertus Cler. Regul. Præp. Gen. Septimus.

EPIGRAMMA LXVII.

NOn illaudatus Gilibertus Apolline noſtro
Ibit; ſat meritis nomina nota ſuis.
Eloquio clarus, Tuſcoque politior ore,
Itala doctiloquo flumine templa beat.
Facunduſque ſimul limatas vellicat aures,
Et ſimul intorto fulmine corda quatit.
Culta dein ſeclis ſua dat monumenta futuris,
Et pergunt mutis vocibus ora loqui.
Raptus ab orcheſtra, communes rector habenas,
Diſpenſatque ſuo iura ſupercilio.
Eſt pater, eſt cenſor: peregrinis guttura linguis
Imbuit; & ſtudijs, ingenijſque fauet.
Caucaſeas Gens noſtra videns, hoc auſpice, rupes,
Et ſceptra Eous Romula Iberus amat.

Fata

Fata ſenex ſubijt propè centenarius ætum
Annoſus phœnix mutat in Empyreo.

Philippus Maria Guadagnius Cl. Reg. Præpoſ. Gener. Octauus.

EPIGRAMMA LXVIII.

ARnus florentem lambit quà fluctibus Vrbem;
Naſcentem me lux excipit alma ſinu:
Non ſpecies ludit rerum; florentibus annis
Signa Thienæi relligioſa ſequor.
Impigra cumque vigil mereo ſtipendia miles,
Egregij ad faſces agminis ipſe vocor.
Vt clauum tenui; curas quà mente voluto;
Vtque ſeuerus amor, blandus & ore rigor;
Non ipſe hæc iactans memoro; repetita loquantur
Vota Patrum, atque iterum credita frena mihi.
Triſte ſed eſt ſenium; occiduis namque incubat atra
Nox oculis, gemino & ſydere deſtituor.
O vtinam æternæ proludam hac nocte diei:
Scilicet, è tenebris lux rediuiua micat.

Stephanus Medices Præp. Gen. Nonus.

EPIGRAMMA LXIX.

INſubriæ, Medicæe, decus, nomenque verendum,
De te ſat fuerit nos voluiſſe loqui.
Non tua longæuę numeramus tempora vitæ:
Contigit ignauis viuere ſępè diù:
Pendimus at molem laudum, momentaque magnæ
Mentis, & egregij pondera conſilij.
Bis te noſtra videt Rectorem puppis; & vndas
Bis per fluctiuagas vela ſecunda volant.

Nem-

Nempè tenes artem pelagi ; circumſpicis ? Arcton
Spectas : hinc ſcopulos, hinc vada cæca fugis.
Æui plenus obis : ſenio haud, Midicæ, mederi
Phillyridæ ars potuit docta, nec vlla manus.

Matthæus Sanctomangus Præp. Gen. Decimus.

EPIGRAMMA LXX.

SI frontem, ſpeciemque Viri, vultuſque verendos
Aſpicis, is meruit iure præeſse ſuis.
Maieſtas, pietaſque ſimul ſtant fœdere pulchro
Ore graui ; celſo & vertice ſurgit apex.
Forma tamen melior mentis ; nanque inclyta virtus
Spirat in egregio, religioque ſinu.
Tum ſancti, rectique tenor, ſtudiumque ſacrorum
Acre illi ; pura & pectora Numen habet.
Dignus, qui præſit ; prona hinc ſuffragia Patrum,
Æqua recuſantem vulgat & vrna Virum.
Se regit, atque alios ; iuſta nam lance miniſtrat
Quàm bene iura ſuis, tam bene iura ſibi.
Ne Sanctomangum credas iacuiſse ſepulchro :
Scilicet, in noſtro pectore viuit adhuc.

Onuphrius Amphora Præp. Gen. Vndecimus.

EPIGRAMMA LXXI.

AMphora, per faſces virtus priuata minores
Te vehit ad ſummi munera prima gradus.
Inuidet at noſtræ fatum illætabile ſorti ;
Deliciaſque breues mors inopina facit.
Velificas Rector ; medio ſed in æquore portum
Dum reperis, viduam deſeris ecce ratem.
An pelagus plenis decurreret Amphora velis ;
Quæ citò peruenit, curua carina docet.

Gre-

Gregorius Caraſa Præp. Gen. Quadecimus.

EPIGRAMMA LXXII.

PArthenope genuit præclara ab ſtirpe Caraſam:
Hinc Pallas, virtus hinc poliere Virum.
Culta Mineruales artes mens hauſit, & hauſtas
Mox alios refluo gurgite lingua docet.
Nec lingua docuiſse ſatis: namque ære perenni
Cuſa, manus doctæ ſcripta operoſa terunt.
Hinc meritò collatus honor, faſceſque ſupremi
Muneris, attenta quos regit ille manu,
Succeſſitque gradus gradui, ſpecioſaque curis
Cura, ſacrum & religat Vitta Latina caput.
Vitta Latina caput religat, crinemque perornat:
Quàm bene: ne docto in vertice deſit honor.

Ioannes Gonzaga ex Guaſtalla Ducib. Præpoſ. Gen. Tertiusdecimus.

EPIGRAMMA LXXIII.

EDitus hic magnis Atauis, it ſanguine longo
Inclytus: at temnit ſtemmata auita puer.
Nanque ſinu abreptus tenero propè lacteus infans,
Aſsueſcit duris, aſpera & ore vorat.
Vlnis Relligio complectitur alma biluſtrem:
Creſcentemque Deo publica vota dicant.
Eſtque tenax legum, lætatur paupere cultu:
Idem ſiue ſubeſt indole, ſiue præeſt.
Muneri & admotus ſummo, dum pectore grandi
Fræna regit, docuit ſe meruiſse legi.
At breuior clauus Gonzagæ contigit: illum
Inuida nam ſubitò funere mors rapuit.
Nec mirum: nimio ſiquidem quæ lumine fulget,
Fax citò ſqualentem labitur in cinerem.

Vin-

Digitized by Google

Vincentius Caracciolus Præpoſ. Gener. Quartus decimus.

EPIGRAMMA LXXIV.

SOle velut gemino fruitur Caracciolus: eſt hinc
  Priſca luce Atauum clarus, & inde ſua.
Indole florenti è primo vix enatat æuo,
  Concipit æterno cùm ſua vota Deo.
Signa Thienæi præclaro nomine adauget,
  Quæ poſt imperio temperat ille ſuo.
Mens bona, conſilium, pronumque in vota precantum
  Ingenium, ſummo in culmine iure locant.
Non labor, aut curæ frangunt: ſe ſe induit omnes
  Sedulus in partes: hic amat, ille timet.
Huic graue poſt ſenium: morbis luctatus acerbis.
  Per ſcopulos ſerà corripit aſtra rate.

Bonifacius Alliardus Præp. Gen. Quintus decimus.

EPIGRAMMA LXXV.

NOn is maturo expectat ſuffragia ab æuo,
  Vt capiat merita publica fræna manu.
Præcoce conſilio citò mens maturuit illi:
  Quodque deeſt capiti, moribus eſt ſenium.
Nec piguit, legiſse viriam: nanque excubat, alta
  Puppe ſedens; ventos nec ſinit eſse feros.
At dum noſtra vigil tractat retinacula, mutat
  Munus, & in fasces cogitur ire nouos.
Iuſſit Alexander mitra ſplendeſcere crinem
  Adriaca, aurato & dicere iura pedo.
Is modò vittatus Præſul procul agmine abeſse
  Dum credis noſtro, proximus eſt ſtudio.

Fran-

Franciſcus Caraſa Præp.Gen.Sextus decimus.

EPIGRAMMA LXXVI.

HAuſit hic è claris mores natalibus, atque
Ingenuo à cunis floruit ore pudor.
Quæque micat puero pietas, creſcentibus annis
Viſa eadem miris creſcere adulta modis.
Numinis hinc cultus, rectique hinc cura, ſacrorum
Et ſtudium, pura & pectora, lingua breuis.
Et quòd magnæ inerat prudens ſolertia menti,
Publica res illi ſæpe regenda datur.
Et regit egregiè: prima & moderamina Cœtus
Tandem experta capit mens, habiliſque manus.
Nec tenet illa diù: communi vulnere Parca
Viſa, heu, ſupremam deproperaſse diem.
Lumina dum claudit fatalia, percupit Argus
Quiſque eſse, & lachrymis centum aperire oculos.

Auguſtinus Bozomus *Præp.Gen.Decimus ſeptimus.*

EPIGRAMMA LXXVII.

DAunia dat cunas, Ligur eſt ſed origine: & æuo
Bozomus primo dat pia colla iugo.
Orcheſtræ genitum dices: ea fulmina linguæ,
Id voci tonitru eſt, is laterique vigor.
Et placet, & terret; dictis miſcetque theatra
Aurita, atque animos vis pretioſa trahit.
Non tamen eloquio flexit ſuffragia Patrum,
Sublimi at virtus ardua Sede locat.
Par onus eſt humeris, moli iunitque ferendæ
Ætas in vegeto corpore penè virens.
Faſces nunc dominos poſuit: non ampliùs aureo
Iuppiter eſt ſceptro; ſed tamen ore tonat.

Digitized by Google

Angelus Piſtachius Prap. Gen. Decimus octauus.

EPIGRAMMA LXXVIII.

SI numeras annos, ſenuit Piſtachius : æuum
At ſupra egregia mente, animoque viget.
Olim declamat : facundæ at copia linguæ
Mox indefeſsum tranſijt in calamum.
Luſtralemque ignem illuſtrat : Maneſque beatos,
Quos cruciat, flamma vindice, pœna, leuat.
Denique poſt varios faſces nunc iure ſupremo
Temperat, & nutu commoda noſtra ſuo.
Nempe Thienæus quas condidit, enſe tueri
Horti delicias Angelus hic poterat.

Ioſeph Maria Marauiglia Prap. Gen. XIX.

EPIGRAMMA LXXIX.

INſuber hic patria : ſedenim Regina profundi
Vrbs Adriæ fouit, dulci aluitque ſinu.
Hic docet, ingenij hic vulgat monumenta diſerti,
Moribus hic calamo dat ſua iura graui.
Pergit ad Euganeas hinc & facundus Athenas,
Atque Antenoridas, aureus ore, beat.
Fræna Thienææ Gentis nunc temperat : ore
Aſperitas nulla eſt, nulla ſupercilio.
Nimirum, dicat, doceat, ſcribatque, regatque,
Haud cognomento diſcrepat ille ſuo.

Ad N. poſt bella vacantem ſtudijs.

EPIGRAMMA LXXX.

PEr medias volitare acies Inſubria vidit
Te pridem, & Marti dicere iura truci.

Nunc, Duce mutato, galeaque exutus,& acri
Fulmine, Parnaſſi Numina docta regis.
Puluere fœdari, flagranti & ſole peruri,
Dulce olim: nunc te dulcior vmbra iuuat.
Otia nec ſequeris, nec pectora lenta quieſcunt:
Mutatur pulchrè nempè labore labor.
Nam tibi nulla quies: operoſa eſt muſa, laborant
Otia, deſudat Porticus, vmbra calet.

Neronis Quinquennium.

EPIGRAMMA LXXXI.

QVàm ſibi diſſimilis, quàm diſpar moribus! vnus,
An geminus Latio viſus in Orbe Nero?
Principiò vultu comes, clementia miti,
Quæ latet in facili pectore, fronte micat.
Sæpe ſtylum damnat, mulctam cùm ſcriberet, atque
Eſt oneri dextra in vindice pluma leuis.
Luſtrum ſed tenuit clementia: viſus ab illo
Mox alius dira fronte Nerone Nero.
Ceu Leo Marmaricus, virgataque tigris anhelo
Horridus ignivomas ſpirat ab ore minas.
Diſcerpitque ferox: atque hinc ignobile vulgus,
Hinc metit iratus ſplendida colla chalybs.
Nempè Nero perijt quinquennis; proque Nerone
Vno mille feræ proſiliere truces.

Empedocles vt Deus haberetur in AEtnam ſeſe inijcit.

EPIGRAMMA LXXXII.

QVà furit Enceladus, flammasque exſpirat ab Ætna,
Ceu regnata Ioui ſydera pulset adhuc:

 Dum

Dum cupit Empedocles aras, Numenque videri,
  Mergitur ignivomo, delituitque ſinu.
Aſſertus Cælo ſic Phœnix iſte Deorum eſt:
  Sic thura Ætnæis incaluere focis.
Si ſapis Empedocle, haud iſthæc eſt ſemita Cęli:
  Per fauces Herebi tendere ad aſtra putas?

Cleanthes noctu irrigandis hortis aquam haurit, die ſtudijs vacat.

EPIGRAMMA LXXXIII.

FOntem noctu haurit, pauper ſudatque Cleanthes,
  Cultus vt irriguas ebibat hortus aquas.
Nocturnusque inopi labor hic alimenta miniſtrat:
  Nanque die ſtudijs, ingenioque vacat.
Hortos nocte putem tantùm coluiſſe Cleanthem?
  Fallor: nempè hortos nocte, dieque colit.
Nam docto, Chriſippe, tuo dum pendet ab ore,
  Florentem imbre animum nobiliore colit.
Hinc gemini vernant horti: ſed languit alter,
  Alter ab æterno flore vireſcit adhuc.

Ad Diogenis dolium.

EPIGRAMMA LXXXIV.

HOc breue doliolum facili reuolubile dextra,
  Eſt Cynico tectum nobile, & ampla domus?
Hìc docet, hic latrat, noctù hic agit ille, diùque:
  Illius hic oculis irrequieta quies.
Alternatque vices anni; ſolemque tepentem
  Excipit; & vitat, ſi calet igne Leo.
Olim plena mero domus hæc verſatilis: at nunc
  Nec vina exundant Maſſica, nec vacua eſt.

Qui

Qui mores carpit, dirè qui mordet, aceto
  Acri Diogenes imbuit ipſe ſuo.

Democriti riſus, & Heriacliti lachrima.

EPIGRAMMA LXXXV.

Quàm varia his ſpecies: alter mortalia ridet;
  Alter & aſſiduis fletibus ora rigat.
Iure hic illachrymat; ridetque hic iure; videtur
  Hic ſapiens riſu, fletibus hic ſapiens.
Sunt noſtra hęc ſiquidem ridenda, et flenda: perennes
  Hinc lachrymas, riſus hinc facileſque mouent.
Hoc mirum: tanto in fletu quòd rideat ille;
  Quòd tanto in riſu triſtis & ille fleat.

Ficus.

EPIGRAMMA LXXXVI.

Sit quamuis noſtrę ſpecies inamœna parenti:
  Aſpera nam folijs eſt, cineremque refert:
Attamen ambroſio gratos alit vbere fœtus,
  Inſtillatque rudi roſcida mella ſinu.
Seu color eſt ebeno, fuluo ſeu concolor auro,
  Menſarum nectar, deliciæque ſumus.
Quicquid vere nouo decerpit Hymettius ales,
  Quicquid & exſudat Sicelis Hybla, damus.
Cùm toga pauperior fuerit, cùm ſciſſa lacerna,
  Pectora tunc ſucco diuite noſtra natant.
Delicias dulci lachryma teſtamur; & intus
  Quis liquor exundet, pendula gutta docet.
Diuitiæque grauant nos noſtræ: à nectare multo
  Preſſa velut magno à pondere colla vides.
At bifera eſt mater: tanta eſt nam gratia guſtus,
  Vt ſemel ad menſam ficum, iterùmque velint.

Vua

Vua.

EPIGRAMMA LXXXVII.

SAcra Deo Semeles, mater ſum nectaris almi,
Quod roſeo curas imbre, ſitimque leuat.
Edita pampineos inter, virideſque ſmaragdos,
Gemmarum oſtento penſilis vua globos.
Sum varia: electro ſimilis, ſimiliſqne pyropo:
Et varia è noſtro depluit vnda ſinu,
Nanque calix liquido ſpumat nunc fulgidus auro,
Maſſica nunc Tyrio murice præla rubent.
Sumque haud vita fugax: æuum mihi prorogo, tigno
Suſpensa, Autumnum ſuſtineoque meum.
Hinc hyeme in media vigeo; menſaſque ſecundas
Porrigo, poſt lautas munera grata dapes.
Laudes non reliquas numero: ſata germine vitis,
Credite, ſum vitæ nobile delicium.

Pruna.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

QVæ matutino ſtillantia rore quaſillus
Fert tibi pruna, meus pomifer hortus alit.
Diſcolor eſt illis ſpecies: pars ſquallet ab auro;
Pars & Sidonio murice ſuaue rubent.
At quibus ambroſius cortex inteuiret, illis
Laus prima, & ſucco nobiliore placent.
Sunt & præſidio, ſi neſcis, cerea pruna:
Nanque hac miteſcit durior aluus ope.
Dispereunt citiùs: Ligurum ſed nectare dulci
Si mergas, viuunt naufraga pruna diù!

Pyra

Pyra.

EPIGRAMMA LXXXIX.

CÆtera ſi nobis certent fragrantia poma,
Præſtabunt nitida fronte, colore, cuti.
Nos haud Puniceo miniatula cortice, & auro
Luſa: ſed eſt nulli grata medulla magis.
Eſt ſapor omnigenus nobis; eſt copia, mille
Sunt ſpecies, ſunt & nomina mille pyris.
Duramus longęua: hyemes toleranus, & ęstus:
Annus cum ſenuit, non ſennere pyra.
Adsumus & menſis æſtiua, hyberna ſecundis,
Grata ſub ardenti ſydere, grata gelu.
Tandem Pyramidas quid iactat barbara Memphis?
Cernite: cuique pyro Pyramis ipſa ſua eſt.

Ceraſa.

EPIGRAMMA LXXXX.

STet ſua laus Ceraſis: pulchrè tornata minutis
Orbibus,& nitido cortice picta placent.
Dilutum his minium; ſaturoque hæc murice fulgent;
Pomonę haud ornat pulchrior ora color.
Laurea ſunt ceraſa hęc,ſunt hęc duracina; & illa
Succo grata acri; nectare & illa madent.
Sunt indulgentis naturę munera; blandę
Delicię guſtus,illiciumque gulę.
At citò diffugiunt: dicis re, & nomine fructus;
Cerne fugam, flores dixeris eſſe breues.

Per-

Perſica.

EPIGRAMMA LXXXXI.

ADuena poma ſumus, patria & mutauimus aſtra:
Quę Perſis cunas, nomina & illa dedit.
Tellus natale abſterſit peregrina venenum:
Nec timet à noſtro nectare menſa dolos.
Relliquias Patriæ parcè tu dilue Baccho:
Additur affuſo gratia multa mero.
Intus quid lateat, pretioſum te edocet aurum,
Viſcera quod gaza Perſide noſtra tegit.
Aurea poma licet, nullum hinc certamen in Ida eſt;
Munere ſed noſtro conciliatur amor.
Inſtruimus mores: nam noſtra ſimillima cordi
Eſt forma; eſt linguæ frondibus effigies.
Diſce loquuturam cordi coniungere linguam,
Pectore ne mendax diſcrepet illa tuo.

Fraga.

EPIGRAMMA LXXXXII.

PArua licet moles, & humi cunabula nobis,
Attamen eſt Regum purpura picta ſinu.
Fragramus, ſuaui & menſas afflamus odore:
Nos hinc præſtanti nomine Fraga vocant.
Pomiferum lento non expectamus ab anno
Autumnum, damus & præcoce dona manu.
Vere nouo ſiquidem miſcemur floribus ipſis,
Grataque Pomonæ munera prima ſumus.
Si Baccho eluimur, Sicelis ſi canna liqueſcat,
Quàm verè hortenſis dicimur ambroſia.

Arme-

Armeniaca.

EPIGRAMMA LXXXXIII.

ARmeniaca ſuo flaueſcunt bellula ab auro;
Eſt ſuus & fuluo pictus in ore rubor.
Haud diſpar ſpecies imitatur Perſica mala:
Sunt ſed ab exigua mole minora ſatis.
Præcoce miteſcunt ſucco, fragrantque, nec ipſa
Sunt ingrata gulæ munera melle ſuo.
Tu caue: ne credas auro, ne fide palato:
Aurea quæ illiciunt Armeniaca, nocent.
Nanque licet fugiant citiùs; tamen improba ſemper,
Vel cùm diffugiunt, Parthica tela vibrant.

Mora.

EPIGRAMMA LXXXXIV.

SVnt gręco nobis è fonte cadentia pulchrè
Nomina; nam maurus nigricat ore color.
At ſensu meliore vocat Mora vulgus, ab ipſa
Nempe mora, & lento quòd iuuat ire gradu.
Inuida nam teneros ne fœtus bruma perurat;
Cauta Morus vernas vltima promit opes.
Munere tu fruere hoc noſtro, cum Sirius ardet:
Proſumus, à nimio cum calet igne iecur.
Et ſimul exemplo prudentem concipe mentem:
Namque moram in rebus te Mora lenta docent.

Mala

EPIGRAMMA LXXXXV.

NE mala nos dicas, quòd Mala vocemur, inepta
Interdum rerum nomina decipiunt.

M Pul-

Pulchra ſumus viſu : Malis nam murice mala
  Ardent, & vernis pingimus ora roſis.
Appia ſi tu delibes : apis Attica, dices,
  Non hæc vere nouo dulcia mella liquat.
Duramus : nulli pomorum longius æuum :
  Autumnat noſtro munere ſemper hyems.
Hoc magnum : è noſtra ceu ſint mala omnia ſtirpe,
  Omnia de noſtro nomine nomen habent.

Mala Punica.

EPIGRAMMA LXXXXVI.

NE ſciſſam mirere togam : non turpis egeſtas ;
  Eſt pompa, & faſtus dilacerata chlamys.
Punica Mala ſumus ; pomis dominamur, & hortis,
  Fronte coronata, murice picta ſinus.
Diuitijs impar noſtris vel Lyda ſupellex ;
  Nec capit aggeſtas ſciſſile pectus opes.
Rumpimur hinc bellè, pretioſaque fragmina denſa
  Grandine gemmarum ſic radiare vides.
Pectore geſtamus Gangem, geſtamus & Indum
  Gemmiferum, & quicquid diues Erythra parit.
Hoc mirum : igne ſuo noſtros ardere pyropos ;
  Et ſimul ardentem pellere poſſe ſitim.

Malum Cotoneum.

EPIGRAMMA LXXXXVII.

QVæ cernis, priſci dixere Cydonia Mala,
  Quòd Dictæa dedit munera prima Cydon.
Suauè nimis redolent, mirè fragrantia ; & afflat
  Latiùs, hortoſque, & tecta Sabæus odor.
Aſpera ſunt guſtu : domat at ſi Dædalus ignis,
  Floriferâ & ſucco condiat Hybla ſuo ;

Gra-

Grata gulæ, ſtomacho ſunt & gratiſſima: noſtra
Quàm meritò claudunt fercula melle ſuo.
Vtere, ſi ſapis: in menſis nam, crede, ſecundis
Sunt iſthæc nulli poma ſecunda dapi.

Mala Citrea.

EPIGRAMMA LXXXXVIII.

INclyta odoratæ Pomonę gloria, & ingens
Nos ſumus hortorum, Citrea mala, decus.
Creſcimus, & tantum vix penſile ſuſtinet aurum,
Pomifera à nimio pondere preſſa parens.
Non Cilicum meſſis, noſtros non æquat odores:
Aut Indus, gutta aut diuite truncus Arabs.
Profumus: eſt cortex medicus, medica ipſa medulla eſt,
Et qui Pæonius defluit inde liquor.
Auriferos ne crede hortos: nos aurea poma:
Nos ſumus Heſperidum, Citrea mala, decus.

Pepo.

EPIGRAMMA LXXXXIX.

FOrma teres, mundo ſimiliſque figura Peponi eſt:
Illius hinc pretium, & nobile noſce decus.
Serpit humi, haud alta genitus de ſtirpe; ſed inter
Præcipuas Regum cernitur ire dapes.
Fallit ſæpe Pepo: ſcitum tu noſse saporem
Si cupis, hæc memori pectore pauca tene.
Sit ſcriptus: ſit mole grauis: color ardeat intus:
Sit rudis informi cortice: odore fragret.
Credite, nulla æquant hortenſia dona Peponem:
Et pretio, & grandi cætera mole præit.

Cucumer, vulgò Melon d'acqua.

EPIGRAMMA C.

SVm Cucumer: forma ſed par, ſimiliſque Peponi,
Quàm meritò vulgi dicor ab ore Repo.
Me viridi foris inuoluit natura ſmaragdo,
Intus at ardeſcit purpura, mixta niue.
Noſtra vel Hybleo, Aſyrio vel rore medulla
Immaduit ; fuſo & nectare dulcè ſapit.
Ardeat ęſtiuo Cælum igne, ſitique perurat
Acri ſydereus guttura anhela Canis;
Mellifluus noſtro manat qui murice ſuccus,
Gutturis ille æſtus temperat, ille ſitim.
Deliciaſque ægris affert mortalibus, atque
Vexantem dirè perdomat ille febrim.
Aſpicis, egregiè miſcemus vt vtile dulci?
Qui facit hęc, punctum, ſcilicet, ille tulit.

EPIGRAMMATVM

CENTVRIA TERTIA

Chriſtina Alexandra Suetiæ Regina Romanam religionem complectitur, & Romam petit.

EPIGRAMMA I.

TRansfuga perfidię Regina hæc inclyta, celſa
Indole Chriſtiadum caſtra Latina petit
Grande tyrocinium dum ponit, Amazone maior,
Iam vincit, magna & mente trophæa refert.
Se nanque, & Stygias acies, & commoda Regum,
Et pede magnanimo Regna ter ampla terit.
Tot pulchris ſua ne deſint Capitolia palmis,
Quàm bene, Roma, arces inuolat Illa tuas.
Ipſa ſimul victa, & victrix; ſimul ipſa decoræ
Exuuiæ, currus, pompa, triumphus erit.

In theatrum Alexandri Pontificis VII.

EPIGRAMMA II.

QVà Vaticanus ſublimi ingentia mole
Templa ſuis humeris clinus ad aſtra vehit;
En noua ter magno ſurgunt miracula Circo;
Hoſpes & attonita fronte tuetur opus.
Cerne fatigatum vectando Tibure Tybrim,
Quotque terunt laſsas ſaxa operoſa manus.

Cel-

Celsus milleno fornix ſuſpenditur arcu :
  Porticus hinc latè plurima, & inde patet:
Ipſe columnarum bellè confunditur ordo,
  Implicat & quę ſe ſaxea ſylua, placet.
Plaudat Alexandro Gens Romula ; qui ſimul Vrbem
  Moribus exornat , Molibus exhilarat.

Ad idem Theatrum.

EPIGRAMMA III.

QVod Vaticano miramur vertice Templum ,
  Æmula Pontificum cura peregit opus :
Tantam non vnus molem excitat: Ille profunda
  Fundamenta iacit; culmina & ille locat.
Hic ſpatium laxat; templis hic addere templa
  Nititur: hic frontem perficit; ille tholum.
Tecta alius, Diuumque atas illuminat auro :
  Eſt, qui ſculpta iubet marmora, & ęra loqui.
At prope quæ ſurgunt grandi molimine, ſolo
  Auſpice Alexandro vaſta theatra patent.
Non hic Pontificum certat manus æmula: nullas
  Scinditur in partes inclytus iſte labor.
Sufficit Ille operi : curisque , & diuite dextra
  Æmulus ipse sui eſt, certat & ipse ſibi.

Romanum forum Boarium.

EPIGRAMMA IV.

REliquias Romę maieſtatisque Latinæ
  Oſsa vides, toto diſſeminata foro.
Porticus hic olim centenis fulta columnis ;
  Hic templa; hic ſculpti marmore, & ære Duces.
Celsa premit nunc recta pecus, moleſque Quirini,
  Et faſtus alto puluere condit humus.

Tem-

Temporis immotæ hæ leges: dat cuncta moueri;
Nil perſtare loco, nil ſinit eſse diu.

Ad Sermoneta Ducem, Inſubriæ Gubernatorem.
Alluditur ad Gentilitiam Aquilam.

EPIGRAMMA V.

Regina hęc volucrum, claro quam ſtemmate cernis,
Non vni expedijt tela triſulca Ioui.
Tellus Arar, teſtis Rhenuſque, & Mosa rebellis,
Atque cruentatis turbidus Iſter aquis.
Nunc, quòd nulla ſuis ſuſpendat ab vnguibus arma,
Gratior eſt populis, nec metuenda minus.
Nempè hi magnanimę mores, & ſymbola mentis,
Nobile & hoc noſtri Principis ingenium,
Sumere qui nouit, qui ponere fulmen, & acer,
Et comis; punctum ſcilicet ille tulit.

Ad eundem
Alluditur ad Gentilitias vndas.
Mediolani Proſopopæia.

EPIGRAMMA VI.

ME vitreis hilarant Ticinus, & Abdua riuis,
Irrigat & ſegetes amnis vterque meas.
Tùm vectant humeris merces famularibus; ipſa
Nauigat & diues copia, meque beat.
Scilicet, à gemina nimiùm ditescimus vnda,
Et veniunt populis commoda mille meis.
Inclytus at Princeps, Generis cui teſsera fluctus,
Tractat ſolerti dum mea ſceptra manu;
Credite: ab exiguis dimanant illius vndis
Commoda, quàm gemino à flumine, plura mihi.

Sit Princeps blandè ſeuerus.

EPIGRAMMA VII.

SI nunquam exerto Rex mitior ardeat enſe,
Dices fœminea ſceptra tenere manu.
Ore truci, & torua ſemper ſi fronte minetur,
Iure paludatam dixeris eſse feram.
Nempe ſit & facilis Princeps, & moribus acer:
Hinc timor, abiecto hinc fulmine, regnet amor,
Vindicet, & parcat grata vice: terreat enſis,
Feruida nec vultus asperet ira diù.
Sic Cælum æquabit, trifido quod detonat igne,
Vt timeant; Irim pingit, vt exhilaret.

Virtutem mortalium vitam extendere.

EPIGRAMMA VIII.

QVàm celeri pennà vitæ reuolubilis æuum
Diffugit: haud fato flos breuiore cadit.
Stat propior cunis lachrymabilis vrna, diemque
Affulſiſse oculis, præterijſse fuit.
Improba nam ſubitò immiti ſecat Atropos vngue,
Quæ Lacheſis facili pollice penſa trahit.
Præceps nil prohibet fatum: non Pœonis herba;
Sorbilis aut auri vis, medicusque lapis.
Si ſapis, vna beat virtus, extendit & annos:
Hęc vitale aurum, Pœonis herba, lapis.

Virtutem labore comparandam.

EPIGRAMMA IX.

PRoxima ſyderibus ſtat colle biuertice virtus
Ardua, difficili tramite terret iter,

Abruptæ hinc rupes, hinc & pendentia ſaxa:
  Hinc coniuratis vnguibus vrſa, leo.
Virtutis ſi tangit amor, cum rupibus ipſis
  Luctandum; ipſa tibi Lerna petenda manu eſt.
Non opus Alcide: duris ſat nempe domandis
  Cautibus, & monſtris improbus ipſe labor.
Nanque ſua Alcides domuit fera monſtra labore:
  Alcidæ Alcides, & labor ipſe fuit.

Virtutis labori annexam voluptatem.

EPIGRAMMA X.

IMpigra non inter feriatur lilia virtus,
  Ambroſias inter nec cubat illa roſas.
Aſperiora iuuant, atque indefeſſa labore,
  Atterit aſſiduas nocte, dieque manus.
Fallimur: hæc vulgi fuerit ſententia: nanque
  Delicijs virtus diffluit ipſa ſuis.
Nempè labor ſic ipſe placet; ſic voluitur inter
  Dura, velut molli ludat in areola.
Diſce: merum nectar non ſegni è fronte liqueſcit:
  Deſudatque vigil roſcida mella labor.

In mortalium fortunatiſſimos.

EPIGRAMMA XI.

ATtalicas iactatis opes, fundoſque ter amplos,
  Quos metit, aſſiduo & vomere Daunus arat.
Vobis tecta nitent Libyco ſurgentia ſaxo,
  Atriaque haud vno ſplendida Praxitele.
Hinc auro ſqualet multo, hinc & Perſide gaza,
  Spirat & hinc picto fornice culta domus.
Luxuriant nemora in vestris, atque æquora menſis;
  Frangitis & gelida vina Falerna niue.

Nomine & ornatis faſtos, & faſcibus annos,
Et ruit ad veſtros plurima turba pedes.
Commoda quid veſtra hæc gemmaque niteſcere, & auro ?
Quid, niſi fortunam corripuiſſe coma ?
Felices animæ: fortunæ en munera veſtræ ;
Exiguus cinis & tenuis, leuiſque coma.

Cum nobis ipſis pugnandum.

EPIGRAMMA XII.

TE rapit ad gelidas ardor generoſior Vrſas,
Barbara & intrepido pectore caſtra petis.
Cur tam bella procul quæris, terriſque remotis,
Nobile & externo nomen ab hoſte cupis ?
Signa vocant propiora, vocat vicinior hoſtis ;
Eſt propè, quæ decoret quercus honora caput.
Tu tibi bellum, hoſtis, tu Martis & area ; dira
Si ſapis, in noſtro pectore pugna calet.
Cerne acies : nos vrit amor, nota improba pulſant ;
Spes tollit, cruciat liuor, & ira furit.
Quid Thracemque, Scythaſque feros ſuperaſſe ? niſi te
Proſternis, fruſtra victor ab hoſte redis.
Te pete, bellator : vincis, ſeu vinceris, æquè
Innuba te laurus, palmaque opima manet.

Ciuium virtus, non molium ſplendor vrbes illuſtrat.

EPIGRAMMA XIII.

ARdua non Phrygiis fulgentia tecta columnis,
Non quæ viua animant ſaxa, vel æra forum :
Non templa, aut arcus, non auro culta theatra,
Non thermæ, aut riguis cautibus vnda fluens :

Non hæc condecorant Vrbes, clarantque; ſed ipſa
Clara domi virtus Ciuica, clara foris.
Conſilium, trabea inſignis, Dux ſtrenuus, arma
Inclyta ſunt, magnum quæ peperere decus.
Molibus aſsurgat Pharijs Vrbs ſplendida: Ciue
Si careat celebri, grande cadauer erit.

Quæ hominum ætas gratior.

EPIGRAMMA XIV.

PVra ætas pueris: annis iuuenilibus ardens:
Eſt morata vitis: eſt ſenioque grauis.
Si quæras, ætas quæ ſit mihi gratior: aio:
Cui nomen virtus indidit, illa placet.

Pecunia vis.

EPIGRAMMA XV.

ASTra tenet Numen, regina pecunia terras:
Diuiſum imperium cum Ioue nummus habet.
Lunam infra hic ſumma, hic media, hic & temperat ima
Arbiter, & facili turbine cuncta rotat.
Hinc torquatus eques, vulgus, trabeatus & ordo,
Nobilis hinc leges accipit aula, forum.
Parendum, ſi iuſta, iniuſtaque iuſſerit ipſe
Imperium cogit ſceptra ſuperba pati.
Dat chlamydes, latos dat clauos auſpice nummo,
Quiſque per egregios cernitur ire gradus.
Regali viles animas cum ſanguine miſcet;
Nouit & auguſtas mox reperire moras.
Hic ſapit, hic loquitur facundè; hic Gallicus auro
Flexanimo Alcides corda, animoſque ligat.

Induit & formas, vnicuſque volubilis omnes:
Omnia ſi cupias, omnia nummus erit.
Nanque alit, illos fouet, refert, fauet, ore perorat;
Componit pacis fœdera, bella gerit.
Eſt promus, condus, ſimul & tutela, ſaluſque,
Affinis, verna eſt impiger, eſtque comes.
Quæritur hic terris, pelagoque: hoc Numen adorat
Penè vaporatis ignibus Indus, Arabs.
Tu caue: nam mille is ſcelerum molitor & auctor:
Quę mundum inceſtant crimina, nummus obit.
Mulctatur cuſus ferroque, & verbere multo
Plectit & immani carcere auara manus,
Nec ſapit: an ſapiet, cui ſunt propè Tartara cunę,
Cognato & mores ebibit ex Herebo?

De muliere perſonata.

EPIGRAMMA XVI.

MVltiuagum ſaltat cum bacchanalia vulgus;
Mentiturque alios larua iocoſa viros:
Viſa eſt mendaces & ſumere fœmina vultus,
Atque per auerſas incedere vias.
Pone peregrinam frontem: quid contegis ora?
Aduena quidue tuis ludit imago genis?
Illita quę minio ſemper latitare videris;
Vultum album ſi vis ſumere, ſume tuum.

In mulierem fucatam.

EPIGRAMMA XVII.

CRedite, picta ſuos fędauit fœmina vultus,
Emendicatis cum rubuere roſis.
Nullus honor fuco, phaleratęque gloria fronti,
Quę miniat, minuit purpura in ore decus.

Iam

Iam larua eſt, vbi vultus erat: mendacia vernant;
  Non flos: mentitur gratia, forma, color.
Quod ſi puniceo ſpecies medicata veneno eſt,
  Quid mirum, ingenuæ ſi periere genæ?

Speculum.

EPIGRAMMA XVIII.

CVm ſua ſit facies nulli aſpectabilis; vt te
  Tu videas, ſpeculum ars ingenioſa parat.
Hoc tibi te ſiſtit, frontemque effingit ad vnguem;
  Spirat & in nitido lucida imago vitro.
Te pictum, geminumque vides: ſimul alter, & idem:
  Nullus & hic Zeuxis nobile finxit opus.
Purpurat haud minium, non hic pigmenta, decoros
  Exprimit at vultus abſque colore color.
Nec tibi blanditur mendax cryſtallus, ab ore
  Ingenuo nunquam diſſonat illa tuo.
Palleſcis? pallet: ſi gaudes, gaudet, & ora
  Humida ſi lachrymis perluis, illachrymat.
Conſulis & ſpeculum, aſpectum vt cultus honeſtet,
  Expoliatque decens os, habitumque nitor?
Hinc auges formam, componis & arte capillum
  Errantem; hinc fuluis das tua iura comis;
Eſtque ſimul ſpeculum lex, legifer: inſtruit vltro,
  Et tacito labes corrigit ore tuas.
Temporis, heu, nimium ſpeculo dat mundula virgo:
  Dum comit, ſcitè & pectitur, annus abit.
Vtere tu tamen: & turpem ſi videris, orna
  Formam animo: es pulcher? ne maculere, caue.

De Teleſcopio.

EPIGRAMMA XIX.

DÆdala quid valeat manus, & quò peruolet acre
Ingenium, mirus te docet iſte tubus.
Argutus labor hic hominum eſt : artiſque ſupremas
In gemino metas hoc poſuere vitro.
Quilibet hinc viſu fit peruigil Argus adaucto,
Centum oculos oculis addit & ille ſuis.
Per cryſtalla vides ſplendeſcere ſydera, & altis
Emergunt tenebris, quæ latuere diù.
Nil fugit hunc tubulum : hinc grandeſcunt corpora: longè
Quæque abſunt, mirè conſpicis eſſe propè.
Accedunt propiùs; vitri vt miracula cernant :
Creſcunt; ceu tanto facta ſuperba tubo.

De Microſcopio.

EPIGRAMMA XX.

ASpice, vt excreſcant ingenti mole minuta
Corpora, ſub tenui hoc ambitioſa vitro.
Quàm bellè ludit cryſtallus ſplendida : mendax
Quàm bellè hinc vmbra eſt, decipit & ſpecies.
Inde culex elephanta refert, aquilaſque ſuperbas
Exprimit auguſto corpore muſca breuis.
Iure opus hoc magnum, magnuſque eſt auctor; ab illo
Quando nil modicum eſt, exiguumque nihil.

Horologium dono datum.

EPIGRAMMA XXI.

LVſam auro molem, volucres quæ diuidit horas,
Pignus amicitiæ dat tibi prona manus.

Acci-

Accipit inde ſuas leges variabile tempus:
Phœbus & auricomans accipit inde ſuas.
Dum tibi ſolis iter, ſpatia & diſtinguit agendi,
Lex erit & vitæ, certaque norma tuæ.
Fallit at aſſiduò verſatilis arbitra Cæli
Moles, & mendax ſæpiùs hora tibi eſt.
Eſt monitrix melior virtus; hæc tempora ſignet;
Et quando, & quid agas, certiùs illa docet.

Idem argumentum.

EPIGRAMMA XXII.

QVæ Cæli motus, imitatur & orbibus orbes
Machina ſydereos, ſplendida dona cape.
Machina ab artifici dextrà vigilata, minuto
Voluit dente rotas, pondere mota ſuo.
Hanc tu conde ſinu: Cæli tua pectora, & æui
Fluxilis, & rapidi conſcia ſolis erunt.
Ordinat & vitam, notat & diſpendia vitæ:
Hinc tu diſce ſimul viuere, diſce mori.

Librum de Venatione dono accipit.

EPIGRAMMA XXIII.

QVod de venatu miſiſti, Lande, volumen,
Sudatum haud vna nocte videtur opus.
Venatur non trita Auctor, dum nare peracri
Docta it per veterum ſecula, perque libros.
Peruigil ipſe ſibi canis eſt Spartanus, & Vmber:
Inſequitur mentis vi, ſtudioque feras.
Hinc de Venatu ſcribit, venator & ipſe:
Sed venit in noſtras præda opulenta manus.

De

Digitized by Google

De libello, cui titulus : Pugna ſpiritualis.

EPIGRAMMA XXIV.

PVgna libro nomen, pugnandi hinc diſcimus artes,
Tractare, & facili martia tela manu.
Siue tyro, miles ſeu ſit grandæuus, ab illo
Vincere ſe diſcit, mundum, Herebique dolos.
Hic inſtructa vides armamentaria, mille
Hic clypei pendent, omnigenuſque chalybs.
Cuſpis ineſt verbis, pugnax ſententia feruet
Marte ſuo ; armigera eſt litera, acutus apex.
Si vitam, pacemque cupis, Pugna vtere : pace
Viues, pugnando ſic moriere tibi.

Ad Hippolytum Falcone Cleric. Regular. de libello, cui titulus. Narciſo al fonte.

EPIGRAMMA XXV.

VT videt, vt perit, in vitrei dum margine fontis
Narciſsus formam conſpicit ipſe ſuam.
Narciſsumque ardet Narciſsus, & ebibit vndis
E gelidis flammam, merſaque imago coquit.
Fabula ſic priſca : Hippolyti at monumenta diſerti
Perlege : Narciſsos edidit ille nouos.
Auſpice nam quiſquis facundo hoc Rhetore, fonte
Se videat, vultus oderit ecce ſuos.
Et genus, & formam, tituloſque, & vellera Phryxi
Aurea, & ingenium viderit eſſe nihil.
Fallimur, Hippolyte, ementita ab imagine : verum
Edocet, è calamo quæ fluit vnda tuo.

Ad

Ad eundem.

De Panegyrico in laudem D. Pauli Apoſt.

EPIGRAMMA XXVI.

VIx grandi ore tonat Paulus, vulgatque diſertus
Virgineos partus, mira hominiſque Dei:
Cùm ſubitò dictis faciles accommodat aures,
Excipit & Numen Zacla, fidemque ſinu.
Vrbs ſe clara Deo genitam gratatur, & illam
Gratatur Paulus, ſe genuiſse Deo.
Hippolyte, hæc memoras, aurumque volubile linguæ
Mamertina rapit corda, animoſque beat.
Huc iterum rediiſse putant ora ignea Pauli:
Verbis ille, aiunt, fulgurat, ille tonat.
Fallitur at vulgus: nam cur rediuiua redirent
Pauli ora, altiloquus ſi hic erat Hippolytus?

Spurina, ne oculos forma caperet, vultus fœdè ſauciat.

EPIGRAMMA XXVII.

ORe nitet pulchro, flauus Spurina capillo,
Floret & in niuea fronte decora Venus.
Murice grata ſuo ſpecies: Iuuenemque pudicum
Mille ſimul cupiunt, ſollicitantque nurus.
Triſtius hoc illi; mollique infenſus amori,
Quòd placeat pulcher, diſplicet ipſe ſibi.
Hinc roſeam haud vno corrumpit vulnere formam;
Florida, ne capiant, fœdat & ora manus.
Spurinam abſimilem Narciſso cernite: vultus
Iſte ſuos odit, deperit ille ſuos.

Crathis Paſtor capellam amat, & ab hirco impetitur.

EPIGRAMMA XXVII.

FOrmoſas inter formoſior vna capellas
 Paſtorem dulci cepit amore ſui.
Lanigeram hanc Paſtor nympham pellitus amabat:
 Hæc ſua Briſeis, Lesbia, Thais erat.
Aſſiduus comit, pectitque; ad roscida ducit
 Gramina; datque ſuo sæpe cubare ſinu.
Vir gregis hos hircus nimiùm indignatus amores,
 Æſtro ardet, diro feruet & igne iecur.
Nec mora: dum viridi Paſtor somnum excipit herba,
 Illum fronte semel dura, iterumque petit.
Quid mirum, humana exardescere pectora, quando
 Concitat & brutas æmula flamma feras?

Delphinus Puteolanum puerum deperit.

EPIGRAMMA XXIX.

CAndidulum Delphin puerum, flauoque decorum
 Crine, Dicarchæo in littore sæpe videt:
Ingenui vultus rosei placuere puelli,
 Exarſitque rudi in pectore blandus amor.
Fit propior: bellè irrorat, mulcetque: per æquor
 Vt vehat vndiuagum, terga recurua parat.
Inſilit ille metu nullo: tùm littore ſoluit
 Delphin: is rector, nauita, puppis erat.
Itque, reditque ſinu Baiano bellua: gaudet
 Et facili dorso velificare puer.
Monſtra vides: medijs Delphin in fluctibus ardet,
 Per pelagus flammam vectat & ipse suam.

Digitized by Google

Arion Delphino vehitur.

EPIGRAMMA XXX.

VElificat Fidicen dum Methymnæus; auaras
 Ludat vt inſidias, deſilit in pelagus.
Auratum vix tangit ebur, cum cærula Delphin
 Æquora diffindens, officioſus adeſt.
Subdit Apollineo Cantori terga: volucrem
 Fluctiuagus mirè ſe facit ipſe ratem.
Inſolita ille ſedet puppi, mulcetque; trahitque
 Vectorem dulci pectine, dum vehitur.
Quàm bene cum cithara imperium diuiſit Arion
 Treijcia: hæc syluis imperat, ille mari.

Laſcinia in ore Steſichori pueri canit.

EPIGRAMMA XXXI.

STeſichori ad pueri molles pennâ alite cunas
 Peruolat, & roſeis ſtat Philomela labris.
Ceu foret in ſiluis, sacræque in vertice lauri,
 Dulciſonum tenero pangit in ore melos.
Centum iterat modulos facunda poëtria; centum
 Gutture Mæandros implicat illa ſuo.
Steſichore, hinc leges diſcis, numeroſque canendi,
 Informatque tuam iam Philomela lyram.
Muſarum cum lacte bibis modulamina: quidni
 Ingenio fuerit lactea vena tuo?

Terpander egregius muſicus diſſidentem Spartam componit cithara, & cantu.

EPIGRAMMA XXXII.

DIſſidet hinc ſciſſum Spartanum vulgus, & inde :
Nullum animis fœdus, pectore nullus amor.
Turbæ ardent, ſummos miſcet diſcordia, & imos ;
Creſcit & in variam fertilis hydra luem.
Tu clarus cithara , melico Terpander & ore,
Diſcordem priſco Gentem adamante ligas.
Nam ſcitè dum plectra moues, atque arte magiſtra
Diſſona, mellito gutture, corda ſubis ;
Compoſuere animos Ciues , turbiſque relictis,
Pectora in amplexus mox rediere ſuos .
Olim dulcis amor docuit modulamina : amorem
Nunc arguta docet muſica flexanimum.

Timotheus cantu cithara Alexandrum ad bellum excitat.

EPIGRAMMA XXXIII.

POllice dum citharam pulſat Timotheus acri,
Aurea & arguto pectine plectra mouet :
Ardet Alexander, magnuſque aſſurgit in haſtam ;
Et ferus ignivomo ſpirat ab ore minas.
Quis furor hic fidibus ? quæ Muſa hæc bellica ? mollis
Qui poterat Martem conciniuiſſe lyra ?
Cernite, vt Iſmario diſtet Timotheus Orpheo :
Mollijt ille feras, efferat iſte homines.

Veſuuius erumpens.

EPIGRAMMA XXXIV.

QVæ parit inſanus furialia monſtra Veſeuus?
Euomit an totam flammeo ab ore Stygem?
Intonat horrendum: haud vnus ceu rupe ſub atra
Formidata Ioui lucubret æra Cyclops.
Quæ ferale rubet prærupto in vertice flamma,
Dira luce minax, aſperat illa diem.
Ardentiſque Orbis ceu triſtia buſta vaporent,
It pauida immenſis fumus ad aſtra globis.
Et volat inde cinis, truculentæ ſemina cladis,
Nuntiat & trepidis vltima fata viris.
Par & genti horror, cùm vaſto è gutture cautes,
Saxaque præcipiti turbine adusta ruunt.
Territa Iuno hæret, Thetis hæret territa: Cælum
Igniuoma hæc metuit fulmina, ſaxa, faces.
Credite: victi olim redeunt in bella Gygantes:
Hoc è monte iterum Numina, & aſtra petunt.

Inda Coniuges in Coniugum ſeſe rogum inijciunt.

EPIGRAMMA XXXV.

QVà rogus extinctum triſti cremat igne Maritum,
Indica ſtat coniux plurima, paſſa comas.
Quæque ſuum iactat thalamum, flammamque iugalem,
Vri cumque ſuo coniuge quæque cupit.
Certatur: feruet propè viua incendia pugna:
Arrogat illa ſibi funera, & illa ſibi.
Quæ vicit, feralem hilari ſubit indole flammam:
Victam perpetuo conficit imbre dolor.

Hæc

Hæc phœnix, hæc turtur erat : par funus & illis :
Mergitur hæc flammis, mergitur hæc lachrymis.

Leo rectorem ſuum dilacerat.

EPIGRAMMA XXVI.

CVm tenero ceruix non dum phalerata leoni,
Nec dum inerat primis vnguibus ira ferox;
Luſerat innocuus, molliſque edentulus ore,
Ceu foret exiguus blanda catella, leo.
At cum vis ardens adoleuit pectore, acutos
Armauitque vngues bellua adulta ſuos :
Dum fidit nimiùm, incautus luditque; Leonis
Diſcerptus facili Rector ab ore fuit.
Infelix rector, fato ſublatus acerbo :
Exæquat funus triſte, Perille, tuum.
Taurus nanque tuus te ſuſtulit æneus olim :
Hunc necat ipſe ſuus, dilaceratque leo.

De Chriſtophoro Columbo.

EPIGRAMMA XXVII.

MOnſtra tot Alcides domuit qui vindice ferro,
Oceanum haud potuit perdomuiſſe rate.
Subſtitit ad Calpem victus; geminaque columna
Victori erexit bina trophæa mari.
Hercule ſed maior, ſpumanti atque æquore maior,
Pandit Gadem vltra vela ſuperba Ligur.
Perque minas pelagi terras interritus auxit,
Maioremque orbem reddidit orbe nouo.
Romanæ haud auſint Aquilæ certare Columbo :
Illæ orbem ſubigunt vnguibus, hic geminat.

Aua-

Auarus timidus aureum enſem reperit.
Ex controuerſijs Senecæ Oratoris.

EPIGRAMMA XXXVIII.

DVm timidus Tuſco ſpatiatur auarus in agro,
Strictum enſem aurata cuſpide fortè videt.
Territat hinc enſis; rutilans hinc allicit aurum :
Dic age, quid timidus, vir quid auarus aget?
Addubitat, pendetque animo : timet anxiùs, audet.
Iamque infert cupidam mox retrahitque manum .
Namq; aurum refugit, quod amat; ſimul optat & enſem,
Quem refugit : fulgor, quem timet ille placet.
Luctatuſque diu eſt : auri ſed dira cupido
Vicit, & arrepto reppulit enſe, metum.
Diſce hinc, crudelis quàm ſit ſibi ſemper auarus ;
Nam quæ diſcruciant pectora, condit opes .

Fugiendas, amoris arma, blanditias.

EPIGRAMMA XXXIX.

QVi terris dominatur Amor, dominatur, & aſtris,
Cur, ais, aureolus fingitur eſſe puer?
Qui potuit pugnantem hydra, tectumque leone
Amphitryoniadem perdomuiſſe puer?
Fulmineam frænare Aquilam, magnique Tonantis
Audet Acidalius temnere ſceptra puer?
Diſcite, quid moneat Puer hic. Quæ pectora frangunt,
Non ſunt dira graui ſpicula miſſa manu.
Quæ fugias, pueri hæc ſunt tela ignea amoris,
Lachrymulæ, riſus, blandula verba, ioci .

Ca-

Catella, dum ludit, mergitur in fonte.

EPIGRAMMA XXXX.

DVm viridi ludit muſcoſi in margine fontis,
Nec ſatis ipſa ſibi pulchra catella cauet:
Labitur infelix, vitreis & fluctibus impar,
Haud luctata diù, mergitur inter aquas.
Heu, Dominæ iuſſis, mille & ſolatia, mille
Deliciæ, atque ioci diſperiere ſimul.
Lactea erat; formoſi & collactanea amoris:
Aut Venus, aut Charites molli aluere ſinu.
Hinc merſam Domina alloquitur: Ne quære ſuperbam
Vrnam: fons nitidus nobilis vrna tibi eſt.
Et quod flere tuos videor lachryma impare caſus;
Fons etiam lachrymas ſuppleat iſte meas.

De Auguſtini Fauoriti Propemptico in diſceſſu in Galliam Pontificis Legati Card. Chiſij.

EPIGRAMMA XXXXI.

CArmen ab Aonio deductum nobile cliuo,
Vt legi, hæc imo è pectore voce dedi.
Romuleus tanto quàm dignus carmine Princeps?
Quàm dignum tanto Principe carmen erat?
Tum miror tacitus, potuiſſe ad Gallica Regna
Principis auguſtas velificare rates.
Scilicet, immotis ad plectra hæc aurea ventis,
Ferri veliuolo qui potuere mari?

De

De Alexandri Pont. VII. morbo allatus Panormum nuntius.

EPIGRAMMA XXXXII.

MVlta licet regnis nos diuidat vnda Latinis,
 Nullus & inuito nauiget huc pelago:
Fama volubilibus tamen aurigantibus Euris,
 Viſa eſt pennata velificaſse rate.
Eheu, languet, ait, magnus Pater Orbis, & ipſa
 Languet in affecto Principe Roma ſuo.
Dixit: & attonitas percuſſit nuntius aures,
 Alternantque ſuas ſpeſque, metuſque vices.
Dij meliora: aſtris eſt dignior Ille; ſed aſtra
 Hæc cupimus lento tardiùs ire gradu.

Anienis fluminis lapſus.

EPIGRAMMA XXXXIII.

QVà præceps Anio nullo ruit obice, grandi
 Et ſtrepitu caſus ingemit ipſe ſuos,
Siſte, Hoſpes: rupes inter, fractaſque per vndas
 Grata oculis merces eſt, pretiumque moræ.
Aſpicis? it curſu celeri in ſua fata, ſuaſque
 Indignabundus mergitur inter aquas.
Præcipites terrent fluctus, horrendus & aures
 Verberat attonitas excitus inde fragor.
Frangitur, & frangit cautes, ſe ſeque reſorbet:
 Dum cadit vnda, furit, dum furit vnda, cadit.
Fortè hic Nilus adeſt, Ægyptum & Tibure mutat?
 Credite: nam lapſus mutuat ille ſuos.

Bonifatij Tomacelli Cleric. Reg. eximij Eccleſiaſtæ Tumulus.

EPIGRAMMA XXXXIV.

INclytus hoc tumulo Tomacellus clauditur : Ille,
Attica apis, Siren ſacra, diſerta Charis.
Facundo cineri ſtet honor, lachrymaque tepenti
Vrna cothurnati Rhethoris immadeat.
Ne plenis violas manibus, ne lilia fundas;
Indiget haud noſtris floribus iſte cinis.
Ver eſt ipſe ſibi : quas olim Dædala pinxit
Lingua roſas, tumulo fundit & ipſe ſuo.

In funere Ioannis Comitis Borromæi. Verbanus lacus loquitur.

EPIGRAMMA XXXXV.

PRæcinctus viridi muſco Verbanus, & alga,
Sole ſub occiduo protulit amne caput.
Vulnerat attonitas triſtis cùm nuntius aures :
Præcipiti, heu, Dominum fato obijſse, refert.
Indolet, euellitque comas, leſſum imperat aulæ
Flebile : tùm rauco murmurat hæc ſonitu.
Deliciæ Inſubriæ, procerum flos inclytus ille
Occidit : ille mei lux, geniuſque lacus.
Credite : nulla dies vnquam immedicabile vulnus,
Obruta & à tanto funere corda leuet.
Hoc recreat, vena quòd ſim tam diuite, fata
Proſequi vt æternis fletibus iſta queam.

In parentalibus Iſabellæ illuſtris fœminæ.

EPIGRAMMA XXXXVI.

MIrabar triſtem radiare tot ignibus vrnam,
Et tam multiplici buſta micare face.
Inclyta ſed quando terras Iſabella reliquit,
Inſubria & tanto à funere mœſta dolet;
Par erat accendi millena hæc lumina; nempè
Amiſſa eſt, nullo gemma legenda mari.

Lucretia N. dum ſuam ſtrenuè honeſtatem tuetur, vulneribus conficitur?

EPIGRAMMA XXXXVII.

DEperit inſanè qui te, Lucretia, cæco
Percitus igne, lares clam, thalamumque ſubit.
Luctatur pudor intrepidus: ſtas pectore nudo
Fortior, illecebras, ſtricta nec arma times.
Ille furit, iugulumque petit: ferrum ebibit atrox,
Proh ſcelus! haud vno vulnere pulchram animam.
An Romana iterum rediјt Lucretia? quando
Par forma eſt, eadem & nomina, funus idem.
Illa iterum rediјt, fœdata amplexibus olim,
Pulchriùs, intacto vt corpore, nempè cadat.

Ad Patrem, immaturum filij funus immodicè lugentem.

EPIGRAMMA XXXXVIII.

EReptam fato ſobolem puerilibus annis
Tu pergis venâ diuite flere, Pater.

Et quereris, tenera natus quòd languit herba,
  Fataliſque breuem meſsuit hora diem.
Parce pio fletu: nulli eſt maturiùs æuum,
  Nulli ſera dies, quam ſera Parca metit.
Qui ſenuit, volucres animo ſi computet annos,
  Agnoſcet nimiùm conſenuiſſe breui.
Hinc immaturi ſemper mortalibus anni,
  Seu puero ſoluas funera, ſiue ſeni.
Cur igitur tanto manant tua lumina fletu?
  Omnibus eſt fato præcoce curta dies.

In Chryſopœum.

EPIGRAMMA XXXXIX.

IMpexus crinem, mentumque, & fumidus ora,
  Aduigilat Brontes hic, Steropeſque nouus.
Ætnæo non æra polit Temeſeia in antro,
  Non cudit trifido fulmina dira Ioui.
Sed melior Pracmon liquat aurum ductile, tractat
  Aſſiduus folles, flatque operoſius opes.
Ridet, Phœbe, tuas ima tellure fodinas,
  Vndaſque auriferas ridet &, Inde, tuas.
Ipſe ſibi fului pater auri Phœbus; & Indus
  Auro pallenti turbidus, ipſe ſibi eſt.
Interea dum iactat opes, fumoque, fameque
  Squalidus, eſt Iro paupere pauperior.
I, folles agita, fumum ebibe: fronte liquenti
  Fuſilis argenti ſit tibi vena ſatis.

In Tabaccum.

EPIGRAMMA L.

QVod pridem in triuijs, vilique in nare tabaccum
  Fumabat tetrum, nunc populare malum eſt,

Cor-

Corripuit veſana lues capita in fron, ſumma:
  Sumit eques, caupo, myſtaque, virgo, auus.
Hi tenui gaudent fumo, cerebrumq; vaporant:
  Illos intorta mandere fronde iuuat.
In pretio eſt Arabum medicatus puluere puluis,
  Nobilitantque olidam cinnama mixta luem.
Seruatur varia, cultaque in pyxide: multas
  Induit & formas vrnula mole breui.
Argentoque micat, radiante & ſæpius auro:
  Tornatur gemma & ſuccina; buxus, ebur.
Hinc indiuiduus comes eſt: ceu fidus Achates,
  Puluis multiplici in pyxide ſemper adeſt.
Ipſe domi, ipſe foris: bacchatur vbique tabaccum:
  Fœdanturque viæ, compita, templa, forum.
Vrnæ nulla quies: vni alter mutuat: illos
  Emunctis nunquam naribus eſſe licet.
Puluere ab hoc ſordes: omnis nitor exulat: illum
  Nam quiſquis ſorbet, ſordet & ille ſimul.
Quàm leue præſidium, quàm vanum, & inutile tractas:
  Quid leuius fumo, puluere, fronde vides?

In aquam.

EPIGRAMMA LI.

EST lætæ ſegeti, eſt & grata virentibus aruis,
  Floribus eſt bibulis grata, perennis aqua.
Exhilaratque hortos, luditque in fontibus, imbre
  Mille canaliculis, mille cadente modis:
In pretio eſt Muſis: ad murmur lenè cadentis
  Amnis plectra mouent aurea, voce canunt.
At procul humano ſit pectore vitreus humor,
  Non ſitit irriguam nobile guttur aquam.
Vnda, racemiferis manat quæ collibus, auro
  Digna ſuo, ac oſtro, ſi ſapis, illa ſapit.

Pu-

Puram confer aquam ſimul, & ſpumantia vina;
Prata illam, hæc, dices, Dij, hominesque bibant.

In vinum.

EPIGRAMMA LII.

ORtum vite merum vitalia pocula iactat,
Immixtumque auro fuſile nectar habet.
Spumantique ſalit calice, exultatque: Galeno
Ceu velit hoc curas imbre leuare graues.
Tu caue: ne credas auro, electroque liquenti:
Aureus incautos decipit ille color.
Blanditur, mollitque animos: infeſtior illis
Eſt Venus orta mero, quàm Venus orta mari.
Et blandè mordet: nimirum lethifer anguis
Si neſcis, Chio in nectare ſæpe latet.
Optima aqua eſt: manat nam purior, obuia, lenis:
Hoc violæ, argentum hoc dulce roſæque bibunt.
Stat Cælo gelida ſtellatus Aquarius vrna;
Sunt ſua & Eridano ſydera, nulla mero.

Laudatur vſus niuis in vino.

EPIGRAMMA LIII.

DIgnus ab ingenio laudari, Maſſica quiſquis
Alpina docuit frangere vina niue.
Lesbia quid proſunt, quid Gnoſſia præla, niualis
Ni Rhodope gratum mutuet ipſa gelu?
Exundante ſuo muſto ſat ferbuit Euan:
Vt ſua vina boent, algeat in calice.
Cognatum cryſtalla gelu ſpumantia poſcunt:
Vertitur in nectar nam glaciale merum.

Nec

Nec plura: in cyathis hyement modò vina Falerna;
Nil moror æſtiuum cum Procyone Canem.

Laudatur Cæcitas.

EPIGRAMMA LIV.

ME diris agitant, velut inter triſtia vitæ
Triſtius hoc, oculos ſole carere ſuo.
Qui ſibi magnanima Sapiens ſua lumina dextra
Eruit, an frontis ſit grauis vmbra, docet.
Hinc ſtudijs mens apta; hinc intus lumen adauctum
Ingenijs, oculi quo caruere foris.
Quæ magnis curis nox opportunior vlla?
Nempè per hæc animus nubila plura videt.
Stant clausæ ceu vecte fores; nec fuſa vagatur;
Sed ſibi tota vacat, mens operoſa domi.
Nec veſana intrant irritamenta malorum:
Non Cypris, aut Soboles inſidioſa ſubit.
Nanque hinc cæcus amor ſe noſtra in pectora condit:
Lumine ab hoc faculas excitat ille ſuas:
Illius hic cunæ; hic alitur, creſcitque tuendo:
Ignitoma hic cudit fulmina, & inde ferit.
Ergo hac nocte quies animo: nil diſtrahit illum:
Nec mouet illecebris extera imago ſuis.
Quotque dein portenta parit, viſu horrida mundus?
Non oculos monſtra hæc, non animos feriunt.
Non cædes, non buſta vides, triſteſque ſecures:
Non quos ſorte graui fata inimica premunt.
Quantum illud, dulcem feriari ſemper ad vmbram?
Aut tacitum, adducto limine, ſecum agere?
Lumine, ſed dices, careo. Num hac luce carere,
Magnum eſt, qua fruitur muſca, lacerta, culex?
Tandem tot dictis ſapientum credite: vitæ
Tutiùs, extincto hoc lumine, carpis iter.

Laudatur ſurditas.

EPIGRAMMA CLX.

O Fortunatum, cui dura in vecte laborant
  Surdæ aures, bibulæ hæ nec patuere fores.
Non murmur, clamorq; virùm circumſtrepit illi;
  Non vox tranquillum pectus acuta ferit.
Ipſa theatra tacent, medioque ſilentia regnant,
  Muta foro: tacitum eſt vulgus, vbique loquax.
Hinc ſurdo alta quies, magnæque negotia mentis
  Clamoſa haud miſcet murmure turba ſuo.
Cumque alios turbet ſtrepitus; ceu nocte ſilente,
  Imperturbatis auribus ille ſedet.
Interdum attonitum diſploſa tonitrua mundum
  Terrent, ceu ſciſſis nubibus aſtra ruant:
Non fragor is ſurdum horrificat; Cælique tumultus,
  Turbaſque in placidum non ſinit ire ſinum.
Pectora nec pulſant ſtrages, quas dira minantur
  Claſſica; quæ & Martem timpana, & æra ſonant.
Intempeſtiuè quòd ſi ſua fræna relaxet,
  Et glomeret nugas garrula lingua ſuas:
Quàm graue, quam patulis infeſtum eſt auribus, hiſce
  Improba largifluis vocibus ora loqui?
Hoc tu, ſurde, vacas morbo: ſermonis inepti
  Non aurem, aut animum vox inamœna ſubit.
Quid queſtus audire graues? quid iurgia rauca?
  Quid tot verboſi turbida bella fori?
At ſurdo hæc canimus: nullum nam fortè videbis,
  Qui potius ſurdus, quàm velit eſſe Midas.

Laudatur Muti ſilentium.

EPIGRAMMA LVI.

NOn opus eſt Muto Samijs ſuccedere tectis
Pythagoræ, vt preſſa voce tacere ſciat.
Nanque vel à cunis, vitæque à limine primo
Panthoidæ didicit ſcita ſeuera Senis.
Hinc tacet, æterna obſeruatque ſilentia, numquam
Quæ non eximium commeruere decus.
Quàm mollis ſpecie, quàm durà eſt indole lingua!
Quàm modica, at quanti fertilis hydra mali!
Eſt leuis, effrænis, mendax, reuolubilis, audax,
Stare loco neſcit, frænaque dura pati.
Bella ferit, metit infortunia: nullius vnquam
Vis potuit tantam perdomuisse feram.
At domuit mutus: tacito ſtat carcere vincta,
Nec muſſare audet paucula verba breuis.
Subdola non fallit, non efferueſcit in iram,
Non latrat, aut duro liuida dente petit.
At, bellè fari, & ſua verba appingere rebus,
Soluere & egregijs ora diſerta modis;
Quàm rarum! quæ pura fluit facundia labris?
Quiſue inculpato ſciuerit ore loqui?
Hic rudis, hic nimiùm ſermonem tornat, & ornat;
Hic parcus, pleno hic gurgite largiloquax:
Reſtitat hic infans: hic balbo barbarus ore:
Hic mutilat, linguam deuorat ille ſuam.
Non labor hic muto: vitio haud obnoxius vlli,
Non quærenda illi verba decora magis.
Anxiùs haud limat voces: non hæſitat: aures
Haud vexat longo murmure lingua dicax.
Nutu agit, & geſtu: grata hæc facundia: gratus
Non aures, oculos Roſcius alloquitur.
Nanque haud muta manus; fantur digitique diſerti:
Vultus & argutæ pondera vocis habet.

Quid moror? en muti piſces, elementaque muta,
Muta aſtra: ò vtinam muta cicada foret.
Tandem, ſi taceat, ſapiens reputabitur amens:
Qui loquitur numquam, quid rogo, mutus erit?

Infauſtum ſydus Cometam eſſe.

EPIGRAMMA LVII.

HÆc te, quam cernis, ne ſtella comatula ludat:
Proh, quantum auricomus decipit ille nitor.
Fronte capillata ſtat tortilis anguis: ab illo
Crine Meduſæo dira venena vomit.
Mille ferit peſtes, mille infortunia, mille
Si neſcis, capita, heu, demetit illa Coma.

Fauſtum ſydus Cometam eſſe.

EPIGRAMMA LVIII.

BElla timet vulgus, Regum & fata aſpera, Cælo
Cum noua crinito ſydere flamma micat.
Fallitur: an metuas dira infortunia, quando
Dat fortuna ſuas arripuiſſe comas?
Parce metu: eſt placidus ſemper, comiſque Cometes:
Nomine non vnquam diſcrepet ille ſuo.

A Cometa nihil mali, nihil boni expectandum.

EPIGRAMMA LIX.

HI ſontem, faciuntque reum, infamantque Cometam,
Ceu mala ferali è ſydere mille pluant.
Abſoluunt alij: nil peccat amabile ſydus:
Nil, aiunt, fauſto in lumine triſte micat.

Hinc

Hinc ſciſſum vulgus: damnantque, fauentque viciſſim:
  Conuicijs onerant, plauſibus excipiunt.
Tu mala ne metuas; ne ſperes commoda: crinis
  Quid prodeſſe leuis, quid nocuiſſe poteſt?

Equus.

EPIGRAMMA LX.

Spectandus mole, & ſpecie, formoſus, & acer,
  Et bello ſimul, & pace ſuperbit Equus.
Hic ſpadix, fuluuſque ardet: maculiſque decoris
  Hic pictus: viua palpitat ille niue.
Ore ferox, facilisque terit ſub dentibus aurum;
  Frænaque dum mordet ſpumea, fræna placent.
Terrent fronte minæ: quique intus ferueat ignis,
  Difflata è tumidis naribus ira docet.
Tortis cerne iubas ceruicibus ire ſuperbas:
  Ornatur phaleris ſcilicet ipſe ſuis.
Siluis vrget apros: Tarpeia in rupe triumphat:
  Certat & Elæus curſu, agilique rota.
Nec moror: is vigor eſt oculis; ea pectore flamma,
  Mille ſinu Danaos ceu ferat vnus Equus.

Aſellus.

EPIGRAMMA LXI.

ARrigit oblongas aures, & pandit Aſellus
  Mænalus, vt laudes audiat ipſe ſuas.
Sit quamuis, velut ignauo ſub ſydere natus,
  Tardigradus, fronte & turpior, ore rudis;
Eſt neruus; ſunt colla oneri robuſta ferendo;
  Durat, & aſſiduus non terit oſſa labor.
Contentus modico; omnigeno de gramine viuit,
  Ieiunoque diù ſuſtinet ore famem.

Eſt, vbi & impreſſo proſcindit vomere terram,
Illius & gaudet robore flaua Ceres.
Hoc mirum, quòd cum bibula ſit longior aure,
Non niſi pulſantes audiat is baculos.

Bos.

EPIGRAMMA LXII.

PRouida me duro genuit natura labori:
Hinc neruos, hinc & fortia colla dedit.
Fert robuſta iugum ceruix: ſeu Sirius ardet;
Vrit ſiue gelu, perdius arua terō.
Æquora camporum ſine remige ſulco: recurua
Fertile nec ceſſant vertere aratra ſolum.
Hinc ſeges, hinc noſtro ſplendenti à vomere meſſis
Aurea, & hinc regnis exulat ægra fames.
Eſt mihi pes lentus, fateor; ſed, credite, diues
Non tamen hinc populis copia lenta venit.

Oues.

EPIGRAMMA LXIII.

NOn nobis ſudamus Oues: mortalibus vltrò
Pleno noſtra ſinu dona opulenta damus.
Fœcundæ his parimus, tenero ſque effundimus agnos:
His niueo noſtra hæc vbera lacte fluunt.
Cum glacialis hyems ſæuit, ne corpora lædat,
Texta manu artifici vellera noſtra fouent.
Mollia &, ò vtinam, tonderent vellera: nanque
Admordent duro forfice ſæpe cutim.
Qui ſic vexat oues, hauritque immanè cruorem,
Non hominem, iure hunc dixeris eſſe lupum.

Lupus.

EPIGRAMMA LXIV.

SEmper dira fames, & inexatiabilis aluus;
Semper & immani guttura anhela Lupo.
Prædator viuit rapto, nocturnaque tentat
Septa ouium, tacito luſtrat & illa pede.
Sæpe latrat cuſtos, ſtabulis & peruigil arcet;
Cuſtodemque audet fallere ſæpe Lupus.
Balantemque agnum fruſtra vel ab vbere matris
Vellit, & irriguus lacte, cruore madet.
Hoc mirum, innocuis quòd cùm ſe nutriat agnis;
Non dum miteſcat ſæuior ira Lupi.

Canis.

EPIGRAMMA LXV.

DEnte valet, curſuque Canis; pede rura volucri
Deuorat; in ceruos inſilit, vrget apros.
Eſtque domi cuſtos: fures latratibus arcet
Peruigil, eſt lateri fidus & ipſe comes.
Deliciæ & Domini, ludit Melitæa catella,
Blanditur dulci & verbere cauda leuis.
Artes nempè Cani centum: ſed quæ fide Teiâ
Digna cani, conſtans eſt canis vna fides.

Ceruus.

EPIGRAMMA LXVI.

QVæ nemorum diris miſcent latratibus vmbras;
Sunt infeſta mihi præpetis ora canis.
Surgere ſed cernis ramoſa in cornua frontem,
Hæcque hoſtes terrent ardua tela meos.

Cer-

Digitized by Google

Certius at fuga præſidium; meque ocyor Euris
Abripit in ſiluas pes, trepiduſque metus.
Credite, terrifico cùm ſint mihi vertice tela,
Arma valent timidi plus fugitiua pedis.

Aper.

EPIGRAMMA LXVII.

SEtigera eſt ceruix, mihi ſunt atque hiſpida terga,
Et dente exerto fulminat ira minax.
Nodoſas inter quercus, nemorumq; ſeueras
Dego vmbras: dira hinc pectora, & ora mihi.
Vt capiant; coëunt acies, & ſpicula mille:
Me cane, me ferro, miſſili & igne petunt.
Ipſe ſed impauidus pugno bellator, & vno
Acri dente ferox agmina mille fugo.
Laudes diſce meas: gelidi iuga celſa Erymanthi
Nomine clara ſuo reddidit vnus Aper.

Leo.

EPIGRAMMA LXVIII.

NOn fuluas colli phaleras, & vellera iacto,
Non quæ terrificis vocibus ora tonant.
Pectore ſub grandi ſed inexpugnabile robur,
Quæque animat fortes vis generoſa toros.
Hoc decus Alcidæ, Nemeæ certasse Leoni:
Illius hæc olim gloria prima, Leo.
Tolle meum Alcidæ ſpolium, non amplius ille eſt:
Illum vis iterum noſcere? da ſpolium.

Panthera.

EPIGRAMMA LXIX.

PIcta ſinus, humeroſque placet Panthera, ferasque
Tegmine montiuagas verſicolore trahit.
Fronte ſed horrificâ terret, vultuque minaci;
Pulchra & quas ſpecies allicit, ore fugat.
Arte tamen fallit: toruum caput occulit; inde
Quadrupedes facili conficit illa nece:
Diſcite, quid moneat: picto ne credite mundo:
Nam caput, & quæ ſunt horrida, ſæpe latent.

Elephas.

EPIGRAMMA LXX.

CVi moles ingens, animus quoque contigit ingens:
Corpore ſub grandi vis generoſa latet.
Mente capax Elephas, ſenſusque acerrimus illi,
Et velut humano in pectore conſilium.
Eſt memor, eſt facile ingenium, est & cerea ceruix;
Ilicet imperio paret & ille tuo.
Rectoremque colit: non vlli noxius, vlli
Non comis; cupidus laudis & ipse suæ.
Sermonem auritus patrium ritè ebibit; olim
Et patrio auditus non ſemel ore loqui.
Non ignara ſtyli, niueam ſignare papyrum,
Tortilis & græcè ſcribere viſa manus.
Pyrrhichen ſaltat, populo plaudente: iocoſis
Clamoſa exhilarat mille theatra modis.
Itque per extenſum funem, mirabile dictu,
Nec timet, aeream doctus inire viam.
Pace bonus, melior bello: turritus & inter
Mille acies forti pectore in arma ruit.

Mo-

Mores relligio cumulat: cunabula lunæ
 Naſcentis vultu ſupplice prona colit.
Qui ſapit hæc Elephas, non tota eſt bellua: dices
 Semiferumque hominem, ſemihominemq; feram.

Lepus.

EPIGRAMMA LXXI.

DEntem aper, exacuit fortis ſua cornua taurus,
 Bella gerit ſonipes calcibus, vngue Leo.
Nil opis eſt Lepori: non ora minacia, toruæ
 Non telum fronti, dente, nec vngue valet.
At ſpecies licet imbellis, ne credite inermem,
 Armaque ſunt fuga, pes, curſus, & ipſe pauor.
Luctatur fugiens, Parthorum & more ſequentes
 Exuperat curſu præpete ſæpe canes.
Quid refert, viciſse armis? nam vindice dextrà
 Si Leo diſcerptus concidit; ille lepus.
Si lepus at curſu dilabitur, & pede fauſto
 Latrantes hoſtes vicerit, ille Leo.

Vulpes.

EPIGRAMMA LXXII.

PAruum mole animal, forti nec robore vulpes:
 Arte ſed eſt fallax, ingenioque valet.
Nempè eſt tota dolus, ſpiranſque aſtutia; & ipſa
 Si vafra calliditas viueret, illa foret.
Ne credas tantùm nemoroſis degere ſiluis:
 Nanque frequens noſtris Vrbibus hoc animal.

Telis

Felis.

EPIGRAMMA LXXIII.

LOngè forma minor, ſimilis ſed cætera tigri,
En Felis; leuis eſt ſaltibus, vngue ferox.
Quid non improbulus mus dente auderet acuto,
Impigra venatrix ni foret illa domi?
Aduigilat pernox, ſuſpenſa atque excubat aure:
Vidiſſe & furem, corripuiſſe fuit.
Dente leui admordet: duretque vt blanda voluptas,
Dimittit bellè prædam, iterumque capit.
Hoſtis ſæpe ſui victor, dum ludit; & vnam
Multiplicat prædam luſibus ipſa ſuis.
Quàm felix foret in domibus mus paruus opimis;
At ne ſit felix, felis amara vetat.

Mus.

EPIGRAMMA LXXIV.

NAſcitur hic, creſcitque domi fur improbus, atque
Aſſiduus veſcas depopulatur opes.
Itque agilis, tenebriſque tegit ſua furta, nec vllum
Eſt auido tutum muris ab ore penu.
Claudat vectis iter: facilem ſibi ſternere acutis
Vnguiculis nouit, denticuliſque viam.
Clandeſtinus adit, ſuſpenſa atque aure; ſubitque
Sæpiùs incauto clatra doloſa pede.
Incidit in felem infelix aliquando: vorauit
Et quæ dente rapax, quàm bene dente luit.

Glis.

EPIGRAMMA LXXV.

GLis muri ſimilis ; caudaque comatulus ; ipſo
Mure ſed eſt maior corpore, & ipſe breuis.
Nec vigil, vt mures, per furta domeſtica noctu
Qui facili excurrunt ſummaq; & ima pede.
Namq; ſub hyberno ſic mergit ſydere ſomnus ,
Vt renouet Lunæ cornua quina ſopor.
Non quæ grando ruit crepitans, non ſciſſile Cælum
Excitat attonitum, dum Iouis ira tonat.
Glis hyemi indormit. Sunt, heu , quos nocte profunda
Omne æuum ſomnus concumulauit iners.

Hyſtrix.

EPIGRAMMA LXXVI.

TErga mihi iaculis horrent, rituque Scytharum,
Non vna eſt humeris dira ſagitta meis.
Inſtet Amyclæus, latret immanique Britannus
Ore canis, mea me miſſilis haſta tegit.
Expedio facilis nam cominus, eminus arma:
Mille ſimul denſo turbine tela volant.
Cùm Macedo, cùm Roma feroæ bella inualit, illis
Plurima ſub ſignis haſta, acieſque fuit:
Sufficio ipſa mihi : peregrina haud agmina poſco :
Sum legio ipsa mihi Martia, & ipſa phalanx.

Formica.

EPIGRAMMA LXXVII.

COlligit in nodum Formica minutula, quicquid
Grande vel humanis mentibus eſſe putes.
Senſus ineſt acer, ratioq; eſt conſcia fati,
Venturique æui mens, animuſque capax.
Corpore & in tenui ceu vis neruoſior inſit,
Aſſiduam exercet nocte, dieque labor.
Pondera fert ſua, non humeris, ſed dente tenaci;
Baiulus eſtque ſuo pondere ſæpe minor.
Prouida nimboſas æſtiua in meſſe volutat
Mente hyemes, Cereri conſulit atq; ſuæ.
Hinc, licet in furem Cælo canis allatret; audax
Farra domum, quæ non meſſuit ipſa, vehit.
Cernite: formicæ ſine falce eſt fertilis annus,
Inuitusque illi rura colonus arat,

Simia.

EPIGRAMMA LXXVIII.

SI ſcenam, luſumque domi, cupitisque iocoſum
Scurram, Simius hic hiſtrio inemptus erit.
Quàm feſtum, lepidumque caput! verſatilis omnes
Quàm bellè partes Roſcius vnus agit!
Quæ videt, effingit, facilisque imitatur, & actus
Protinus in nôſtros ingenioſus abit.
Ludit, ſi ludis; ſalit, & plectra æmula pulſat.
Pingis acu? inuita Pallade, pingit acu.
Facundam prudens linguam natura negauit
Simiolo, verus ne videretur homo.
Haud fallor: proh, quot velles, ni verba monerent,
Non homines, veros dicere Simiolos.

Aquila.

EPIGRAMMA LXXIX.

ALes fulmineus, volucres generoſior inter;
Ignea falcatis vnguibus arma gero.
Me videre olim torquentem tela triſulca
Sydera, cùm Phlegram fulminat ira Iouis.
Poſt, Latias animare acies, victricibus atque
Signis ſtare ſuis, Martia Roma iubet.
Peruolat hinc audax, quà ſydus currit vtrumque,
Subijcit & terras vnguibus illa meis.
Aſpicis? æthereus me Iuppiter auſpice, vincit:
Auſpice me, vincunt Romuleique Ioues.

Phœnix ad Amicum.

EPIGRAMMA LXXX.

VNicus hic maior ſenio reparabilis Ales;
In noua ab exuſto funere ſecla viret.
Ardet odorata Phœnix in meſſe, nec ardet
Totus; quin rutilo totus ab igne redit.
Nanque repubeſcunt natalia funera: cunas
Buſta parant, pariunt flammæ, animatque cinis.
Exequiæ reparant æuum, vitalis & vrna eſt,
Parca redorditur, qui ſenuere, dies.
Naſcitur hinc letho Phœbæius Ales ab ipſo;
Inque nouam lucem, dum tumulatur, abit.
Floreſcit moriens, rediuiuum funus in annos
Tranſcribit longos, ſurgit & occiduus.
Fœcundi & manes reducis primordia vitæ
Inſtaurant: iuuat & viuere ab exitio.
Miſceturque rogo nidus, cunæque fauillis,
Et natalitiâ fata ſuprema die.

Ipſe

Ipſe nec eſt alius, penna redeunte, nec idem:
Seque idem gignit, gignitur atque alius.
Nempè eſt ipſe ſibi poſt fata ſuperſtes, & hæres:
Eſtque ſui ſoboles poſthuma, & alma parens.
Æternæ huic Volucri par eſt & forma: monile
Collo ardet, fuluo & torque ſuperba micat.
Cætera Puniceà ſplendeſcit murice pennà,
Criſtato & rutilus vertice fulget apex.
Tu, ne crede vnum Phœnicem: te aſpice, mentis
Et monumenta tuæ, dixeris, eſſe duos.

Pauo.

EPIGRAMMA LXXXI.

HIc ille eſt auium ſpecioſa ſuperbia, Pauo:
Suſtinet hic humeris aſtra, volucris Atlas.
Nanque micant caudæ radiantia ſydera mille:
Agnoſcunt ſolem ſydera nempè ſuum.
Hic & mixta vides ridere roſaria calthis,
Florentem & volucrem ver aperire ſuum.
Nec Tagus auriferas voluat ſi flauus arenas,
Aut gemmis Ganges fluctuet ipſe ſuis;
Æquent Panonis pennata monilia luxu,
Et picturatas, quas rotat vnus opes.
At, cur tot longo pupillæ in ſyrmate lucent?
Argus an ardentes commodat ipſe ſuas?
Verius: in pulchra ſic figimus Alite lumen,
Linquat vt in pulchra hac Alite quiſque oculos.

Cycnus.

EPIGRAMMA LXXXII.

EST niue candidior Cycnus, pulchramque Lacænam
Qui genuit, nil ſe pulchrius eſse, docet.

In-

Inuolet in thalamos Ledæos Iuppiter; alas
Commodat æthereo Cycnus & ipſe Ioui.
Voce ſed eſt melior, ceu pectore palpitet Orpheus,
Miſceat & melico gutture mille lyras.
Stans propè Mæandrum, ſinuoſum tortilis amnem
Voce refert, reſonans itque, reditque melos.
Quòd ſi fata vrgent, ſtudeat ceu flectere Parcam,
Gratiis, & Muſa nobiliore canit.
Heu, ſurda eſt Lacheſis: patula nam carperet aure
Si tam dulce melos, viueret albus olor.

Luſcinia.

EPIGRAMMA LXXXIII.

IN ſiluis cantu dominor: dum guttura dulces
In numeros abeunt, ipſa vel aura ſilet.
Auritumque ſilet nemus omne; haud vertice nutat
Quercus, Apollineo pectine capta meo.
Pectore ſeu vox it facilis; ſeu tortile carmen,
Et labyrinthæos implicat illa modos;
Psaltria sum nemorum princeps, volucrumq; canentum
Arbitra, Threicia grandior atq; Lyra.
Sumque vna Aonidum non vltima Musa; biuertex
Et ſi Parnaſsus defuit ipſe mihi.
Sed neque mons bifidus deest: namque vbi cantat Aedon,
En ibi Parnassus, Phocis, & Aonides.

Eadem Luſcinia in cauea.

EPIGRAMMA LXXXIV.

ACcola ſiluarum quondam Luscinia; sed nunc
Captiuam aurato in carcere septa tenent.

Nec

Nec tristis sua clarra dolet: quin gutture dulci
  Gaudia testatur pectoris ipsa sui.
Ne patrias iterum repetas, Luscinia, ſiluas,
  Ne te natalis vellicet vmbra, nemus.
Quid iuuat attonitas cantu ſuſpendere quercus?
  Voce quid auritas detinuisse feras?
Fecerit hoc Orpheus: melior tu psaltria; surdis
  Quam benè pro truncis pectora nostra beas.

Pſitaccus.

EPIGRAMMA LXXXV.

NOn patriam, ac terris iacto cunabula Eois,
  Quæ mihi sol primo lumine, & ore beat.
Splendida nec viridi vernat quæ penna smaragdo,
  Nec quæ Sidonio murice colla rubent.
Lingua mihi primum decus, & distinguere verba:
  Et quòd pulchrè hominem vox peregrina sonet.
Hinc mihi turba frequens, & plena theatra loquenti:
  Hinc pendet veluti Tullij ab ore forum.
Præsto homini: mihi semper lingua innoxia: at illi
  O vtinam, haud semper noxia lingua foret.

Grues.

EPIGRAMMA LXXXVI.

QVas alit Ismaridum tellus, Mars patrius armat
  Indole magnanimas in fera bella Grues.
Militiæ seruant leges, atq; ordine certo,
  Ceu Libys, aut Latius miles in arma ruit.

Dux

Dux illis ardens, sua cuique est forma phalangi,
  Commutant vigiles excubiæque vices.
Gens inimica aquilis, audet certare Volucri
  Fulmineæ, haud metuit tela vibrata Ioui.
Pygmæosque petit populos, aciesque minutas,
  Turmatim & vulgus sesquipedale metit.
Quid palmare genus Mauortia colla laceſſit?
  Ipse hostes terret clangor, & exanimat.
Tum studia innectunt armis: per nubila scribunt;
  Graiugenum formant agmina docta notas.
Astra sciunt, nimbosque monent; saxoque grauant se,
  Corpora vis iactet ne violenta Noti.
Plures nempè artes ne quæras alite ab vno:
  Dux, miles, Græcè est doctus, & Astronomus.

Ciconia.

EPIGRAMMA LXXXVII.

DIgna est laude sua roſtrata Ciconia, pulchræ
  Semina virtutis nobile pectus alit.
Grata hospes fugat infeſtos, aut deuorat angues:
  Hospitij hæc merces, hoc pretiumque sui.
Longæuoſque colit facili pietate parentes,
  Indole & egregià, cum ſenuere, fouet.
Nanque fatigatis humeros accommodat, illis
  Fert & venatrix officioſa dapes.
Iactat an Æneas humeros aptasse Parenti?
  Alite in hoc spectas hæc documenta priùs.

Hyrundo.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

INfuscat me pluma leuis, ſed pectora canà
  Sparsa niue à modico murice pictà rubent.

Sub

Digitized by Google

Sub trabibus ſoboli cunas, & penſile tectum
  Non illaudatâ molior arte meum.
Hoſpitium muto: brumalia ſydera ſuadent
  Sedem aliam: redeo garrula vere nouo.
Quòd fugiam triſtes hyemes, inamœnaque regna,
  Atque iterum verno ſub Ioue tecta petam,
Inſidis ſimilem ne me credatis amicis,
  Tempora quos terrent dira, ſerena vocant:
Credite quin fidam: ſiquidem reditura recedo
  Hoſpita, nec certo tempore fallo fidem.

Accipiter.

EPIGRAMMA LXXXIX.

Aeris ille ego ſum ſtrages, & nobilis auceps,
  Accipiter, luſus Regum, auiumque metus.
Acris ineſt oculis vis, & vis vnguibus acris:
  Non vngues, mea non lumina præda fugit.
Nec præceps feror in prædam, ſubitoque volatu
  Corripiunt volucrem concita roſtra leuem;
Nam me penna leuat primùm, ſpatiorque per aſtra,
  Ceu tùm contemnam, aut non ea cura mihi:
Mox circumuolito, & lentos necto orbibus orbes,
  Spectantumque morâ prorogo delicias.
Tandem vbi prædator luſi ſatis; irruo, prenſo:
  Et Domino volucrem non piger vngue fero.
Corda mihi merces: hinc ſum generoſior ales:
  Nam tot rapta meo in pectore corda calent.

Columba.

EPIGRAMMA LXXXX.

IMmeritò Veneri ſacram dixere Columbam,
Cui candor, niueo & pectore caſtus amor.
Pulchram forma refert Venerem: pulcherrima nanque
Ceruix vere ſuo multicolore micat,
Itque peregrinum per fulgida colla monile,
Gemmatumque aurum guttura picta beat.
Tot variæ ceruicis opes non roſtra tuentur,
Non vngues, nigro & felle columba caret.
Bella gerant Aquilæ: collo cui diſcolor iris
Formoſo, eſt pulchræ non niſi pacis amans.

Gallus.

EPIGRAMMA LXXXXI.

CRiſtatum Galli videns, ut caput ardeat oſtro,
Viuaque purpureo vertice flamma micet?
Cum pompa graditur, virgato ſplendidus auro,
Et fluit ex humero diuite picta chlamys.
Eſt pugnax: certat cum gallo gallus aperto
Marte, & qui vicit voce trophæa canit.
Namque eſt laudis amans pulchræ Phœbeius Ales,
Victori victor plaudit & ipſe ſibi.
Tempora metitur, Cælique eſt conſcius, acri
Excitat & lentos carmine ſolis equos.
Hoc pulchrum: Alcide non impar; nanque leonem
Ille manu fudit, voce ſed iſte fugat.

Turtur.

EPIGRAMMA LXXXXII.

SI fidei quæris, niuei & monumenta pudoris;
 Eſt pudor, eſt querulo in Turture fidus amor.
Vni addicta viro volucris, pereunte iugali
 Alite, non alios immigrat illa toros.
Tum gemitu vulnus, gemitu teſtatur amorem.
 Et velut in caro turture turtur obit.
Nam viduus vitat ſocios; per et auia ſolus
 Peruolitat, Comes eſt triſtior ipſe ſui.
Non viridi ſedet in quercu, aut Parnaſſide lauro;
 Ramus fronde ſua qui caret, ille placet.
Nec qui fons vitrea manat pellucidus vndâ,
 Sed leuat arentem turbida vena ſitim.
Diſce grauem luctum: vt minuant, ridentia prata
 Non ſatis, anni nec gaudia vere nouo.

Pica loquax, & auriſur.

EPIGRAMMA LXXXXIII.

NOſtras Pica effert tàm bellè garrula voces,
 Nos vt posse neges pulchriùs ore loqui.
Improba nunc probris ludit, nunc voce ſalutat,
 Compellatque memor nomine quemque ſuo.
Deliciæ Domini, Dominæque arguta voluptas:
 Sæpè ſed eſt mœror, diſſidiumque domus.
Nam quicquid facti, aut infecti repperit auri,
 Surripit, arcano condere docta loco.
Irarum hinc cauſæ, hinc & iurgia dira, minæque:
 Nunc hic, nunc furti poſcitur ille reus.

Furta latent auri ſed clandeſtina ; nec auro
  Ales prædatrix vtitur ipſa ſuo.
Interea hoc mirum, latuiſſe domeſtica furta,
  Garrula vbi neſcit Pica tacere diù.

Coturnix.

EPIGRAMMA LXXXXIV.

SIt quamuis ſpecie imbellis peregrina Coturnix,
  Mitia & oſtentet pectora penna leuis.
Eſt tamen ira ſinu bellatrix: ſæpè cruenti
  Martis ab hac volucri bellica arena rubet.
Namque coturnicem it contra indignata coturnix,
  Impellitque fera in prælia dirus amor.
Igneſcunt animis, ſtant rôſtra minantia roſtris,
  Feruida, collato ceu pede, pugna calet.
Inſiliunt, feriunt, repetito cominus ictu:
  Quam vellunt, pluma hinc mollis, & inde volat.
Diſcerptoque ſinu per mutua vulnera, ſanguis
  Aſperat irriguus pugnam, acuitque magis.
Vni palma datur tandem, campoque potitur
  Victrix: quæ victa eſt, plena pudoris abit.
Priſca theatra vides: iram metire; volucri
  E gemina hæc ſæua eſt tigris, & illa Leo.

Perdix.

EPIGRAMMA LXXXXV.

MVrice non Tyrio lucet mihi penna, nec auro.
  Squallida nam veſtit colla, humeroſque cinis.
Vertice non ſummo, ſublimi aut ardua rupe
  Immoror; at tellus eſt ſatis ima mihi.

Nec

Nec quercus, viridesque inter mea guttura lauros ;
Aut nemora , intenta aut flumina voce beant .
Sum tamen in pretio, menſas & Regibus orno ,
Meque inter numerant fercula prima gulæ.
Phaſidis ipſe ales mihi certet, & Attagen ipſe,
Hinc palmam perdix perdere non timeo .

Sturnus.

EPIGRAMMA LXXXXVI.

NOn vnus Sturno color eſt, pennamque decoris
Diſtinctam maculis diſcolor ales habet.
Turmatim volat: autumnum populatur, & arua
Pinguia, quaſque oleas inſidet agmen edax .
Eſt docilis, noſtra edocuit ſi verba magiſter,
Haud rudis hæc eadem verba diſerta refert.
Sturnum Roma olim, in Latio, vel natus Athenis
Ceu foret, vtroque hoc audijt ore loqui.
Sint aquilæ fortes, ſint dulcia guttura Cycno:
Sturnus ab eloquio diuite quantus erit ?

Noctua.

EPIGRAMMA LXXXXVII.

SEmiauis, volitanſque vmbra, illætabilis ales ,
Mus volucris, nigræ Noctua alumna Stygis .
Triſte canit, Ditis præco, prænuntia fati,
Atrum ferali ex omine nomen habet.
Noctis auis furuæ, doctæ ſed ſacra Mineruæ eſt;
Numinis & tanti caſſide picta ſedet.
Cara eſt nempè Deæ, volitet quòd nocte profundâ ;
Ingenio vigiles, diſcite, Pallas amat.

Ad Eunomij Lyram Cicada.

EPIGRAMMA LXXXXVIII.

HInc citharâ Eunomius, citharam hinc pulſabat Ariſton
  Æmulus, auratâ clarus vterque lyrâ,
Contendunt neruos, neruis certantque canoris,
  Exertoque arcu muſica pugna calet.
Ille ſuas animat Thebano verbere chordas,
  Hic & Threijcio vellicat vngue ſuas.
Innumeris variant numeris fila aurea, & aure
  Suſpensâ vulgus carpit vtrumque melos.
Pectine dum dubio rixantur, chorda fatiſcit
  Eunomio, & docto fracta ſub vngue ſilet.
Angituris: ſiluæ ſed pſaltria deuolat, atque
  Reſtituit fractam prompta Cicada fidem.
Exoritur clamorque virum, ſonituſque theatri,
  Plauſuſque egregios chorda inopina tulit:
Sicque ſuam palmam dum litigat vnus, & alter,
  Ambobus palmam rauca Cicada rapit.

Culex.

EPIGRAMMA LXXXXIX.

NOcte putas fruſtra curas componere ſomno;
  Claſſica cùm partus concinit ore culex.
Hoſtis verſicolor, lituoque inſignis, & haſta,
  Mole breuis, gracilis crura, leuiſque fugâ.
Se maior rabie: paruoque eſt corpore maior,
  Quæ penetrat cuſpis, quæ tuba dira ſtrepit.
Itque, reditque ferox, agili verſatilis alâ,
  Territat infeſto murmure, mordet acu.
Nocte hoſtis tegitur; nec Marte infringis aperto,
  Nec tacitis prodeſt ſurgere ab inſidijs.

Om-

Digitized by Google

Omnem vim, artem ludit ineuitabilis ales,
  Sanguinis & ſitiens, quà fugit, inde redit.
Hinc oculi vigiles: hinc clangor territat aures:
  Noctibus hinc trepidis irrequieta quies.
I, Lernam, Alcide, fuluos i, ſterne Leones;
  Teque, tuam & clauam riſerit iſte culex.

Apes.

EPIGRAMMA C.

EST Apibus regnum, Rex eſt, & Curia Patrum,
  Et lex, & mores; iuraque auita colunt.
Magno natæ operi, communi fœdere vires
  Iungunt, & ſocia quæque laborat ope.
Si placidi niteant ſoles, it ſedula turba,
  Veris & ambroſias depopulatur opes.
Quæ petit at campos, vegeta eſt, robuſtaque pubes:
  Quæ ſenior, ſe ſe continet illa domi.
Sed neque feriatur: nanque æmulus omnibus ardor:
  His eſt cura domi, his prouida cura foris.
Hæ vectant flores, & ductile flumen, & intus
  Sunt quæ cuncta ſuo diſpoſuere loco.
Certatimque ardent, partito munere, & aureas
  Hæc pinnas; humeros commodat illa ſuos.
Inde ſtruunt cellas, & certa tecta, fauoſque
  Cecoprios, flauo & nectare feruet opus.
Quasque ſui monet officij data teſſera: bombo
  Aſſurgunt operi; bombo iterumque cubant.
Veſcunturque ſimul parcæ: ſimul impigra ſomnus
  Componit facilis membra, & amica quies.
Si quid iners, mulctant: fucos aluearibus arcent,
  Aut dirè exertà cuſpide dilaniant.
Non telum, aut fulmen Regi: ſat nobilis ore
  Maieſtas, fronti & mite ſupercilium.

Illi grandis honor : parent, atque agmine facto,
 Stant circum: munit plurima turba latus.
Cum graditur, volitat pinnis fulgentibus agmen:
 Si stat, stare loco mellea castra iubet.
Sustentant humeris fessum : si stamina Parcæ
 Rupere, heu, quantis fletibus aula calet.
Murmure concelebrant funus : quæ mella liquantur,
 Sunt lachrymæ tristes, quas liquat ipse dolor.
Ignauusque tenet mœror : non dulcia curæ
 Mella, nec in violas ire, rosasque iuuat.
Denique mens illis est ardua: sydera norunt,
 Norunt secreti temporis atque vices:
Quæ ventura dies : an suda, an nubila Iuno:
 An pluet, an celsà Iuppiter arce tonet.
Florilegas quæ dicat apes, apis Attica nulla est:
 Non sunt melliflui Nestoris ora satis.
Visa parens rebus se se natura creatis
 Diuidi, at in paruâ hac Alite tota viget.

IN

INSCRIPTIONVM CENTVRIA

Ad Sacra Syndonis Effigiem.

INSCRIPTIO I.

Neſcis, quid in hac ſit tela nobilius,
Pictura, an pictor?
Ita ſimul hic ſunt,
Vt numquam ſine pictura ſua pictor,
Nunquam ſine pictore ſuo aſpici pictura poſſit.
Hæret, hærebit ſemper exemplari exemplum.
Scilicet plena Deo tela
Expreſſum hic habet à Deo Deum.
Pro colore ſanguis fuit:
Hoc nempè minium cruento, ac cæſo Deo promptum.
Viueret imago, niſi artificem habuiſſet exanimem.
Vitam ſibi impertiri nequit mortuum Numen.
Inter hæc tamen lineamenta, ac lina
Spirat, viuitq; diuina charitas:
Intermori non potuit, exhauſta licet ſanguine.
Tu ad grande hoc amoris monumentum
Ni in lachrymas liqueſcis, adamas es.
Si adamas, non ſine perenni fletu
Venerare in Deo telam, in tela Deum.

Ad quamdam Crucifixi Redemptoris Imaginem.

INSCRIPTIO II.

Vitæ in Cruce morienti.
Vitam inſpirauit eximius artificis labor.

Digitized by Google

Nempè dum moritur immortale Numen,
Id efficit viuus color,
Vt mori nequeat, dum moritur.
Quid ad picturæ laudem luculentius?
Spirantem iam iam Deum ita animat,
Vt immortalem faciat in tabula.
Habes, quiſqis es, in Cruce Deum viuum,
Qui te mortuum mundi delicijs peruellet.
Aude ſic mori:
Quia hoc eſt viuere in delicijs.

In feſto Sacratiſſimi Roſarij
Ad templi flores.

INSCRIPTIO III.

Vt floreat in magnam Dei Matrem pietas,
Anniuerſariæ depluunt Virgineo è ſinu
ROSÆ.
Cælo decerptæ ver faciunt terris.
Loquuntur, vernantque in ore, ſi ores.
Eædem nanq; & preces, & roſæ ſunt.
Quid ad delicias ſpiritus ſuauius,
Quàm abire in roſas verba?
Efflorescere bellè linguam?
Simul aperiri flores, & labra?
Hæ, ſi neſcis, roſæ,
Et coronam anni amœnant,
Et ſuam Auguſtæ Virgini coronam nectunt.
Scilicet, ornant pulchrè Marianum Caput ſydera:
Sed pulchriùs, quas loquimur,
Roſæ.

Ad Virginem ſine Originis labe conceptam Tutelarem ſuam Bituntina Inflàmmatorum Academia.

INSCRIPTIO IV.

Exeſtè veterum Academiarum Tutelares Dij,
Pallas, Hercules.
Satis veſtri imago nominis priſca luſit ingenia.
Nunc ſanctiori Numini, meliore omine
Theatra dicantur literarum,
Nempe Virgini Deiparæ,
In cuius illibatum pectus nulla Generis viſa eſt
Labes illabi.
Hæc inflammatorum Academiæ Tutelaris Pallas,
Hæc Hercules.
Iactet hic, vix natum angues iugulasse;
Illa, quòd in lucem prodierit clypeata.
Longè ſplendidiora trophæa Virginis:
Anguem, cum lucem non dum hauſerat, protriuit:
Nec bellatrix viſa eſt oriri, ſed victrix.

Ob depulſam luem.

Ciuitas Neapolitana Immaculato D. Virginis Conceptui ſolennia dedicauit. Ad aram verò longè ſumptuoſiſſimam breuiores hæ pro loci anguſtia appoſitæ Inſcriptiones.

INSCRIPTIO V.

Aſſueta à Conceptu palmis Auguſta Virgo,
Teterrimam nuper peſtilentiam profligauit.
Soſpitatrici inclytæ
Aram ponimus, immolamus corda.

IA T 2 *IN-*

INSCRIPTIO VI.

Armatam olim prodijsse in lucem Palladem;
Mentita eſt fabula.
En Diua Virgo, hauſta non dum luce, haſtata, & victrix:
Quæ nobis inſuper, abacta lue, militat.

INSCRIPTIO VII.

Auitam humani Generis luem,
Diram Neapolitanæ Ciuitatis peſtilitatem,
Æquè Deipara triumphauit, vindicata, & vindex.
Trophæis hiſce ſummi, infimi, plaudite.

INSCRIPTIO VIII.

Quotquot erepti nuperæ vaſtitati, viuitis,
Adeſte frequenti huc corona.
Sertum nempè Vos ipſi illibatæ Virgini nectite
Ob Ciues ſeruatos.

In Mariana Epiſtola ſolennijs, quæ Meſſanæ quàm magnificentiſſimè celebrantur.

INSCRIPTIO IX.

Enatam Pauli voce veſtram, Meſſanenſes, fidem;
Suo mox ſcripto aluit Auguſta Dei Mater:
Mariano quippè à ſtylo copia lactis manauit,
Non liquor ſepiæ.
Quid ad veſtri famam nominis illuſtrius,
Quàm dixiſſe ad vos Paulum, ſcripſiſſe Virginem?
Ad Vrbis veſtræ præſidium, fauſtitatem, decus,
Exacuit ille linguam, hæc calamum.
Dei Verbum impreſsit alter in cordibus,
Expreſſit altera in pagina.

At

Digitized by Google

At ditauerit vos Pauli os aureum!
Certè Magnæ Matris literæ vos beant.
Vt ſcriberet, promptus illi calamus fuit;
Aut è Sponſi Spiritus Columba,
Aut à Ioannis filij Aquila.
Eiuſmodi nempè vti ſtylo debuit;
Vt altiſſimè ſcriberet ab Aquila,
Amantiſſimè à Columba.
Paginam ex ſe quidem candidam,
Fecit Virgineus ille candor niue candidiorem;
Expreſſitque puriſſima Dei Mater
Plicatili ea niue amoris in vòs flammam.
Cùm nihil in iis non ſit literis pretioſum,
Hoc pretioſius, Mariæ Nomen.
Obſignari ſplendidius diuinæ eæ Literæ non poterant.
Hoc nomine tranquillantur, maria, ſerenatur Cęlum.
Scilicet, vt miſsa ad vos Epiſtola tantùm pelagi
tutò emetiretur,
Eo Nomine ſecum ipſa ferebat ſerenitatem, tranquillitatem;
Hanc Vrbi ſubindè veſtræ afflauit;
Aſlabit ſemper.
Quęſitam religione, ac fide;
Sume ſuperbiam, Meſſana,
Appellasse te literis Cæli Reginam, quid anguſtius?
Tuæ felicitati adlaborandæ non opus eſt Dei brachio:
Sat tibi ſcribentis Virginis articuli.
Quam non opem, aut opes afferet ea manus!
Quam non calamitatem depulerit ille calamus!
Cælo, Cælitibus, Deo,
Hæc te commendat Epiſtola.
Hæc diuinæ beneuolentiæ conciliatrix, Marianæ pignus:
Hæc tibi leuis pagina
Forte propugnaculum eſt.

Nea-

Neapoli indicata Mariana Puritati ædicula.

INSCRIPTIO X.

Quæ alibi vernant Auguſtæ Virginis areolæ,
Roſas ferunt, amaranthos, violas.
Hortulus hic; quem Puritas colit,
Erumpit in lilia,
Quæ lacte irrigantur Virgineo.
Abibis & tu, quiſquis es,
Iſthæc in lilia citra fabulam,
In amoribus, in pretio ſi fuerit
Marianus candor.

De eadem Diuæ Virginis puritate.

INSCRIPTIO XI.

Non ſat Diuæ Virgini
Collactaneam habuiſſe Puritatem:
Antiquior cunis ea fuit.
In vmbra materni ſinus
Nihil illam priſcæ inumbrauit labis.
Hinc nitorem non attulit,
Sed reperit in ea natalis lux.
Nempè concipi pura debuit,
Quæ concipere Candorem æternæ lucis meruit.
Nec cęleſte Lilium, niſi puriſſima Virginum, aleret.

De eadem Deiparæ Puritate.

INSCRIPTIO XII.

Exaggeratam magnæ Matris Puritatem
Nihil infra, ſupraque Lunam exprimet.

Liguſtra, nix, lilia, victa cupidine.
Liquidiſſimus aſtrorum ...
Vmbra quędam Marię eſt.
Sol ipſe meridianus, illi ſi compares,
Mera nox.
Macte, illibata Dei Parens,
Tu Tibi exemplar, Deo ſimilis, ac propior.

De Mariana eadem Puritate.

INSCRIPTIO XIII.

Intimè, an extimè purior Dei Mater fuerit ;
Ne quęras.
Mutua hinc inde Puritas Puritatem adaugebat ;
Nitoremque afflabat menti corpus, mens corpori.
Nempę ſpeculum ſpeculo repercuſſu radiorum
Pulchrius nitet.
Si, te auſpice, inclyta Cęli Regina,
Geminus hic nobis candor inhæſerit,
Iure grande munus albo ſignabimus lapillo.

Inſtitutis à Sermoneta Duce, Siciliæ Prorege, ſolennijs in honorem Deiparæ Virginis de Capocauana, quæ apud Occidentales Indos principe ſtudio colitur, Pro templi foribus.

INSCRIPTIO XIII.

Huc ades,
Quiſquis opes, & aurum cupis
Scilicet, ab extrema ipſa Peruuia.
Copacauana huc Virgo adnauigauit.

Non

Non ſine omnigena noui Orbis opulentia:
Tu ſinum, ſi ſapis, pande:
Quem impleant manus aureę, plenę hyacinthis;
Debes tantùm Indicę pietatis, & gazę
D. Franciſco Caetano Sermonetæ Duci,
Qui magnam Matrem Americanam
Dum ſolenni ritu, & cultu concelebrat,
Ad opes te Marianas prouocat.

Neapoli in Sedili Capuano,
quò ſolenni ſupplicatione, ac ritu delatum de more
D. Ianuarij Caput, & Sanguis.

INSCRIPTIO XIV.

Inclyto Martyri Iannario,
Principi Vrbis Tutelæ, & gloriæ:
Quòd Sanguine toties fuſo, quoties ferbuit,
Publicæ litauerit ſoſpitati:
Quòd exerto excubet Capite communi bono;
Capuana nobiliſſima Porticus
Exiguum grandis obſequij monumentum
Dicat venerabunda.

In eodem Sedili.

INSCRIPTIO XV.

Ades, magne Ianuarij, Tutelarium auſpicatiſſime.
Ad aram hanc tuam ſiſtitur Vrbs vnanimis,
Tuum vt iuret in obſequium, & fidem.
Ades propitius, volens:
En pace, & bello prænobilis Equus Neapolitanus

Tu

Tuo ſe ſe Numini, & nutibus ſubijcit.
Aget glorioſiùs Auſtriacos triumphos,
Si tu ipſe fræna modereris.

In eodem Sedili.

INSCRIPTIO. XVI.

Vindici, & Propugnatori Vrbis
Diuo IANVARIO magno
Aram religione, quàm mole, & cultu auguſtiorem
Inaugurarunt Capuana ſubſellia.
Inſigni hac pietate
Caritatem, bella, luem
Vrbi, & Regno cauent.
Erunt ſub tanto Ciues Patrocinio
Sine metu, ſine motu.

In eodem Sedili.

INSCRIPTIO XVII.

Siſte, Maxime Antiſtes, & Martyr,
Neapolitanæ Ciuis, & præſidium Vrbis.
Quam tibi inclytus Capuanæ Sedis Ordo pompam allaborat,
Ornet nunc pretioſior tui ſanguinis purpura,
Impleatque tua fauſtitas, ac Numen.
Tùm ſupplici Ciuitati tuæ annonam, pacem, hilaritatem
Adpromitte, annue Inſulato tuo Capite.

In eodem Sedili.

INSCRIPTIO XVIII.

Aſſertori, & Parenti publico,
Diuo Ianuario,
Laureato Antiſtiti, Martyri Infulato,
Ob reportatas
Priſcas, ac nuperas ab hoſtibus, à flammis victorias
Gratulabunda Capuanæ Sedis Nobilitas
Anniuerſarios triumhos inſtaurat.
Porrò nil inter iſthæc trophæa luculentius,
Quàm ſectum Victoris Caput,
Fuſus Cruor,

In eodem Sedili.

INSCRIPTIO XIX.

Huc vos, Proceres, Ciues,
Fauſtè prouocat publica gratulatio.
Coronam illuſtri Panegyri
Adornate magni Martyris magno Capiti.
Par eſt, vt Neapolitana celebritas
Hoc non è gemmis, ſed è Ciuibus fertum nectat
Anteſignano, & potentiſſimo Tutelarium,
DIVO IANVARIO
Qui vt olim pro auita Religione,
Ita nunc pro Patria Caput vouet ſuum.

In eodem Sedili.

INSCRIPTIO XX.

Inclyto Martyri, & Tutelari Magno
Sanctiſſimo Parenti, & Ciui,

Ho-

Honores publici:
Quos Capuana hæc nobiliſſima Porticus
Adauget cultu, plauſu congeminat:
Monetque ſecuritatis Vrbem,
Excubante ſacris è puluinaribus Ianuario,
Qui poſthumo ſuó ſanguine,
Amicitiam, tutelamque ſanxit æuiternam.

In ſede Montana.

Atque in eadem anniuerſaria D. Ianuarij ſupplicatione. Ad Ioannem Auſtriacum poſt Neapolitanas turbas.

INSCRIPTIO XXI.

Tibi, flos Principum, & ſpes læta Auſtriadum,
Tibi Montana hæc Sedes nobiliſſima
A magni Ianuarij Capite abijt in Capitolium,
Vt poſt reuectam Neapolitanam victoriam,
Palmarum philyris lemniſcatus,
Immortales triumphos agas, veluti in monte Capitolino.
Porrò, quòd viciſti, vt parceres, pepercisti, vt vinceres,
Citra ſanguinem triumphalis,
En tibi ſuo ſanguine aſsultat, plaudit, gratulatur
Martyr hic inclytus,
Ingens Auſtriaci Sanguinis tutela, & vindex.

In eodem Sedili.

Ad Ognatti Comitem Neapolitanum Proregem.

INSCRIPTIO XXII.

Ades hisce lætitiæ imitamentis,
Grande vtriuſque Heſperiæ ſydus,

Comes inclyte,
Non diſtrahit Magni Iannarij cultum à tuo
Montana hæc Porticus:
Quando, quæ nuper affulſit Neapolitanæ huic Vrbi,
Ac Regno fauſtitas,
Cælo ille, tu terris allaboraſti.
Perennabit triumphalis tua hæc laurea,
Quam habes cum tanti Martyris Capite communem.

In feſto Apoſtolorum Principum

Petri, & Pauli.

INSCRIPTIO XXIII.

Nihil feſta hac luce ſplendidius,
Duo licet Orbis lumina extinguantur.
Congeminatur diei fauſtitas, ac lux
A gemini deliquio Solis.
Certauere ſemel, triumphant ſemper,
Auguſti Apoſtolorum Principes.
Retulit trophæa ſua Dominus, non ferro, ſed ligno:
Vincit vterque hic ferro, & ligno.
Vides in Cruce Petrum.
Expanſis mutuò bracchijs,
Neſcias, amplexetur Crucem Petrus, an Crux Petrum?
Amore certant:
Æquè illa Petrum, ac Petrus illam amat cupidè.
Inuerſo Capite moritur:
Sic nempè naſcimur:
Scilicet, natales ij erant inclyti Senis.
A Cruce natus, vnde renatus genus hominum.
Cum interim verſis in Cælum veſtigijs,
Aſtra moriendo inambularet.

Paulò

Paulo Certix abſcinditur.
Caput illi auferre enſis potuit, non coronam.
Pro ſanguine lac manat:
Quod nihil illi ſua nece ſuauius.
Naſcentis Eccleſiæ Nutritio
Vbera deerant, non lac.
Quos peperit viuens, vel moriens alit:
Ab hoc lacte mutatus lictor,
Poſthuma Pauli Soboles Deo naſcitur.
Qui ſitiebat modò ſanguinem, lac bibit.
Ipſe ſibi lacteam aperuit venam.
Vos interim eſte, Animæ magnæ, præſidia gentium.
Ille enſis hoſtes fundat,
Illa crux ſaluet.

In Conuerſione D. Pauli Apoſtoli.
Ad templi fores.

INSCRIPTIO XXIV.

Certantem Cælo Paulum
Tonitru, ac fulmine Gygantum more peti debuit.
Nempè vt eruditus ipſe in fulmen, ac tonitru,
Æterno Orbem Ioui ſubijceret.
Equo vehitur, equo ſuo perſimilis:
Efflat ille ignem naribus,
Spirat hic cædes, ac minas.
Circumfuſus luce, voce territus,
Cadit, non frangitur electionis Vas.
A caſu indole, ac ſpiritu erectior,
Surgit è terra Antæus alter,
Addito pectori non tam robore, quàm Numine.

Quam

Quam nimia ea lux affuderat oculis noctem,
Ita à ſe diſpulit,
Vt diem facere aliorum mentibus cœperit:
Subitò Paulus, qui modò Saulus.
Caligo illa lux fuit menti.
Lux illa ardor animo:
Ab hoc ardore fulgurauit hic Pericles.
Compleuit mox terras publica ea vox.
Peregrinata cum Sole ipſo par Orbi lingua,
Solem intulit Gentibus,
Diſſeminata Euangelij luce ad gloriæ ſegetem.
Agite, quicumque adeſtis:
Quod Saulus, Paulus,
Nobis cecidit, ſurrexit nobis,
Deo plaudite.

In decollatione D. Ioannis Baptiſtæ.

INSCRIPTIO XXV.

Vides inter conuiuias ſectum Ioannis Caput.
An ſua Rex celebrare conuiuia ſine pclara hac dape nequijt?
An ab ingeſtis tot affatim epulis
Faſtidientis iam ſtomachi vis languida
Excitari peregrino hoc ferculo debuit?
Quid truculentius,
Quàm cumulari lætitiam letho?
Madeſcere mero, & ſanguine?
Natales agere per funera, per neces?
Saltat Herodis cunabula Puella.
Proh, quàm ſacro Capiti minatur argutus ille pes!
Quantum innocentiæ lædit, dum ludit!
Pyrrhichen ſaltat, dum expediri arma cernis.
Simul librari Corpus, vibrari ferrum vides,
Latentque parricidia in choræis.

Ob-

Obtruncari Ioannem petit.
Altiùs ſubſilire non potuit Saltatricula,
Quæ tam ſublime Ioannis Caput attigit.
At petit Filia iuſſu Matris:
Terrori pellici erat Præcurſor ille pelliceus.
Nihil inceſtis thalamis tam infeſtum,
Quàm diſerta ea vox clamantis in deſerto.
Gauiſa Regia Meretrix,
Stare amores ſuos magni Capitis ruina;
Coronamque ſuam putat abſciſſum Caput.
Interim ſimul caſam, ſimul infractã gratulatur ceruicẽ ſuã,
Se grandior, minutus licet capite,
Ioãnes.

Ad calamum D. Thomæ Aquinatis.
In Bituntina Inflammatorum Academia.

INSCRIPTIO XXVI.

Magni Aquinatis
Adminiſter ingenij, interpres mentis,
Calamus hic eſt.
Ne te ſpecies fallat,
Nihil anſeris habuit, qui tàm altè euolauit.
Beatarum mentium aliqua ab alis vulſit ſuis;
Vt angelicus contingeret Angelico calamus.
Leuiſſimus, quia volatu Cælum penetrauit:
Cæterùm, à doctrinarum pondere grauiſſimus;
Temperari ferro non debuit,
Quem mirè exacuebat ingenium,
Non ducendis eleganter characteribus,
Sed docendis peracutè mentibus.
In ſumma rerum diuinarum caligine
Ita nihil ab eo obſcurum,
Veluti atramentum quidem combiberet, ſed aurum funderet,
aut lucem.

Hinc

Quam nimia ea lux affuderat oculis noctem,
Ita à ſe diſpulit,
Vt diem facere aliorum mentibus cœperit:
Subitò Paulus, qui modò Saulus.
Caligo illa lux fuit menti:
Lux illa ardor animo:
Ab hoc ardore fulgurauit hic Pericles.
Compleuit mox terras publica ea vox.
Peregrinata cum Sole ipſo par Orbi lingua,
Solem intulit Gentibus,
Diſſeminata Euangelij luce ad gloriæ ſegetem.
Agite, quicumque adeſtis:
Quod Saulus, Paulus,
Nobis cecidit, ſurrexit nobis,
Deo plaudite.

In decollatione D. Ioannis Baptiſtæ.

INSCRIPTIO XXV.

Vides inter comitias ſectum Ioannis Caput.
An ſua Rex celebrare conuiuia ſine p̄clara hac dape nequijt?
An ab ingeſtis tot affatim epulis
Faſtidientis iam ſtomachi vis languida
Excitari peregrino hoc ferculo debuit?
Quid truculentius,
Quàm cumulari lætitiam letho?
Madeſcere mero, & ſanguine?
Natales agere per funera, per neces?
Saltat Herodis cunabula Puella.
Proh, quàm ſacro Capiti minatur argutus ille pes!
Quantum innocentiæ lædit, dum ludit!
Pyrrhichen ſaltat, dum expediri arma cernis.
Simul librari Corpus, vibrari ferrum vides,
Latentque parricidia in choræis.

Ob-

Obtruncari Ioannem petit.
Altius ſubſilire non potuit Saltatricula,
Quæ tam ſublime Ioannis Caput attigit.
At petit Filia iuſſu Matris:
Terrori pellici erat Præcurſor ille pelliceus.
Nihil inceſtis thalamis tam infeſtum,
Quàm diſerta ea vox clamantis in deſerto.
Gauiſa Regia Meretrix,
Stare amores ſuos magni Capitis ruina;
Coronamque ſuam putat abſciſſum Caput:
Interim ſimul caſam, ſimul infractã gratulatur ceruicẽ ſuã,
Se grandior, minutus licet capite,
Ioãnes.

***Ad calamum D. Thomæ Aquinatis.
In Bituntina Inflammatorum Academia.***

INSCRIPTIO XXVI.

Magni Aquinatis
Adminiſter ingenij, interpres mentis,
Calamus hic eſt.
Ne te ſpecies fallat,
Nihil anſeris habuit, qui tàm altè euolauit.
Beatarum mentium aliqua ab alis vulſit ſuis,
Vt angelicus contingeret Angelico calamus.
Leuiſſimus, quia volatu Cælum peruaſit:
Cæterùm, à doctrinarum pondere grauiſſimus.
Temperari ferro non debuit,
Quem mirè exacuebat ingenium,
Non ducendis eleganter characteribus,
Sed docendis peracutè mentibus.
In ſumma rerum diuinarum caligine
Ita nihil ab eo obſcurum,
Veluti atramentum quidem combiberet, ſed aurum funderet,
aut lucem.

Hinc

Hinc illuſtria literarum monumenta, ac verè aurea.
Quæ olim inſedere in Ambroſij ore apes,
Diceres conſediſſe in Aquinatis calamo,
Diuiſo videlicet munere,
Vt ibi mella reliquerint,
Hic configendis Nouatoribus ſpicula.
Platonis lingua loquuturum Iouem,
Dixerè veteres, ſi loqui vellet.
Certè hoc ſcriberet calamo Deus,
Si ſcribere interdum velit.

In feſto Sanctæ Roſaliæ.

INSCRIPTIO XXVIII.

Innutritam Cæli Roſarijs.
Inclytam ROSALIAM,
Feſtis excipitis plauſibus, Panormitani.
Habetis in vno hoc flore ver integrum:
Virtutum quippe mille areolas explicat Roſa hæc vnica.
Non expectat amœnitas veſtra anni vices:
Ab hac vobis Virgine ſemper floreì decurrunt dies.
Hinc veſtræ efflorescunt, & perennabunt deliciæ;
Neque verendum, ne marceſcat Roſa,
Quam alluit Regum ſanguis,
Et tuetur quæſita à latebris vmbra.
Fallimur.
Elanguit flos hic ſanctimoniæ illibatus
A lachrymarum imbre, à ſiluarum vmbra.
Obiecta ſiquidem mire in ſpeculo cruenti Numinis forma,
Spreto hinc formæ cultu,
A ſpeculo euolauit in ſpecum.
Hauſit præduram à vitro Indolem,

A cruen-

A cruenta Chriſti effigie
Spiritus, Elephantum ritu, generoſiores.
Non feras, non antra horruit Eremicola:
Manſueſcere belluas docuit comitate oris.
Pſallentis linguæ facundia antrum erudiuit in templum;
Nacta in ſolitudine frequentiam à Cælitum choris,
In Eremo hortum, à fletu ſuo irriguum.
Indormit ſaxis,
Vt mulctet ſomnus, non recreet
Mollia quieſcentis Puellæ membra.
Quercu alitur, cùm fames vellicat,
Innocentiæ nempè, & melioris æui annona.
Sitim reſtinguit fugiens riuus,
Quem ſc. Roſæ ipſæ bibunt, & lilia.
Inueſtem operit fluens capillus:
Quid regiæ Virgini congruentius,
Quàm auro ſuo tegi?
Grata illi nemorum ſilentia, quæ precibus abrumpit:
Nec deerat ijs ſiluis ſanctior luſcinia:
Audit, & plaudit auritum Cælum.
Sic vitam agit Roſalia cautes inter, & rupes
Aſperam æquè, & ſuauiſſimam:
Quoad illam terris inuidit Empyreum.
Sat antra tenuere aſtris dignam.
Relictis exuuijs,
Viſa per ea ſaxa iuuentam induiſſe:
Contigit & ipſa deinde oſſa lapideſcere:
Nempè nullus tantò pignori par tumulus:
Ipſa ſibi ſepulcrale eſt marmor.
Pio Cineri ne flores, Panormitani, fundite:
Tulit ipſa ſecum in tumulum roſas
ROSALIA.

Ad Diui Petri ſimulacrum,

Ab Anſaldo Pallauicino in noſtro Genuenſi Diui Syri templo, in interiore videlicet proſpectu, ac ſupra fores poſitum.

INSCRIPTIO XXVIIII.

Vt ad templi huiuſce fores excubet Cæli Clauiger,
Iuſſit, dicato præclari operis ſimulacro,
Anſaldus Pallauicinus, Auguſtini Fil.
Nempè
Vt aſsuetus Empyrei foribus Petrus,
Hanc etiam cuſtodiret Baſilicam,
Poſtquam eam ipſe auro, picturæq; elegantijs
Ita exornauit, vt Empyreum repræſentet.
Ratus item, par eſse, vt in ſacra olim Apoſtolis Æde
Principe loco conſiſteret Apoſtolorum Princeps.
Cuius ideo vultus ſolido è marmore effingendos curauit,
Vt æuiternam eius intelligas tutelam fore.

Ad eiuſdem Anſaldi Pallauicini ſimulacrum In templi eiuſdem interiori facie poſitum.

INSCRIPTIO XXX.

Superſtitem hoc in marmore, ac ſpirantem vides
Anſaldum Pallauicinum Auguſtini F.
Cuius non tam auro, quàm aureæ verè indoli
Templum hoc debet, quòd niteat.
Hæret hic lubens volens,
Vt qui ſemel Apoſtolorum Principi Tutelari ſuo;
Iſthæc

Iſthæc dicauit pietatis, ac munificentiæ monumenta,
Dicare in æuum pergat, indefeſsus, quia marmoreus.
Cum interim ſuæ magnificentiæ theatro fruatur ſemper.
Porrò, qui poni ſibi ſimulacrum vetuit,
Quòd vetuit, ter meruit.

Ad Sacellum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ à Thoma Caracciolo Archiepiſcopo Tarentino Cl. Reg. dicatum.

INSCRIPTIO XXXI.

Agno Euchariſtico,
Quem ſemel immolauit, & ſemper immolat,
Qui Sacerdos ſimul, & Victima:
Sacellum hoc
Anguſtum mole, religione auguſtum,
Extruxit, inſtruxit, dedicauit
Thomas Caracciolus Archiep. Taren.

Ad Columnam, & ſimulacrum *D. Ianuario à Neapolitana Ciuitate dedicatum.*

INSCRIPTIO XXXII.

Inclyto Martyri Ianuario,
Quòd edomito pridem Veſuuio,
Triumphata nuper lue,
Publicam propugnauerit ſoſpitatem,
Columnam, ſimulacrum,
Victoriarum ſymbola,
Duraturæ pignora ſecuritatis,

Ciuitas Neapolitana D.D.
Vides, præaltam conſcendiſſe columnam Ianuarium,
Vt nubibus, ac Cælo propior,
Anni vices communi felicitati attemperet,
Ac ſyderum etiam vim moderetur ſuo nutu.
Columnæ verò ita inſiſtit,
Vt intelligas, poſitam iam à ſanctiore Hercule,
Ærumnis, & calamitatibus metam.
Tu ſiue ſimulacrum, ſiue columnam ſpectes,
Ianuarium vtrobique agnoſce.
Viuit nanque, ſpiratque in ſimulacro,
Ad Neapolitanæ Vrbis excubias:
In columnam verò abijt,
Ad rerum columen.

Ad Beati Caietani ſimulacrum.

Neapolitanæ Ciuitatis decreto poſitum.

INSCRIPTIO XXXIII.

Beato Caietano Thienæo,
Clericorum Regularium Conditori,
Quòd facili ſemper in vota Ciuium aure,
Faciliore manu
Omnigena paſſim beneficia contulerit,
Graſſante præſertim Chriſti Anno MDCLVI.
Teterrima peſtilitate,
Neapolitanæ Vrbis Septem-Viri
Æterni monumentum obſequij dicant.
Nempè cùm nihil grandius habeant,
Quod ingentibus Beati Viri promeritis referant,
Excitato hoc ſimulacro,
Ipsummet Caietanum Caietano ſiſtunt, & conſecrant.

Ad

Ad Diui Hieroſſymi Iconem.

INSCRIPTIO XXXIV.

Siſte, Senex innocentiſſime,
Nihil eſt ill bato in pectore,
Quod ſaxo vindices, ac frangas,
Pectus iſthuc aureum diuexas lapide?
Quæ tua hæc religio,
Sinum tuum,
Hoc eſt, humanæ, diuinæque ſapientiæ templum,
Quod cæteri mortalium reuerentur,
Saxo labefactare?
Saxis ſæuiant, qui opes animi
Proiectæ vitæ propudio dilapidarunt:
Hoſpes magni tui pectoris diuinus Amor:
An hunc aggrederis, quod te acrius exulcerauerit?
At caue, ne ardens hoc Numen lædas:
Exacuet ad hunc lapidem ſua tela:
Feriet intus eò acrius,
Quò tu acerbius foris crucias.
At ſaxo tuo durior, pergis tu, magne Senex:
Et quando lanienа tua minus indiges,
Noſtrum tuo in pectore crimen contere.

Ad D. Mariæ Magdalenæ effigiem in Maſſilienſi ſpecu commorantis.

INSCRIPTIO XXXV.

Quantum olim ad ſpeculum luſit
Magdalena,

Tan-

Tantumdem poſtea luxit in ſpecu.
Cùm latere à vitæ vitijs debuit,
Quæſiuit lucem.
Digna poſtmodum luce à ſanctitatis laude,
Quæſiuit latebras.
Aſpicis hoc in ſpecu plena horroris omnia,
Præter ipſam.
Squalet quidem vultus,
Sed quæ ſpirat in eo pietas,
Squalorem ipſum beat.
Superbus olim cultu crinis
Nihil priſci, pexique auri retinet;
Ceruicem onerat, non ornat.
Madent ora perenni lacruma:
Vt quæ ſemel Domini pedes lauit,
Suum ſemper pectus eluat.
Ita affixa humi,
Vt quotidie angelis baiulis conſcenderet Cælum.
Aure hic haurit Empyreum.
Sed concentu hauſto, ita redit
Vt remaneat ſpiritu affixa Cælo.
Geminam dices Magdalenam:
Alteram Maſſilienſis ſpecus, alteram Cælum tenet.
Hic delicijs diffluit, hic lachrymis.
Acta introrſus ſpecus hæc,
Fruſtra lucem fugit.
Nam Magdalenæ hoſpitio
Erit ſemper ſuus illi meridies.

Ad

Ad aram D. Mauri Abbatis in ſolemni eius feſti die.

INSCRIPTIO XXXVI.

Inclytæ D. Mauri memoriæ
Anniuerſarias apprecationes, thura, vota
Ritè inſtauramus.
Quantus hic fuerit,
Eruditus in eximium pietatis fructum flos æui,
Exactum per virtutum prodigia vitæ rudimentum,
Æquè per vndas, ac per ætatis lubrica
Inoffenſus in Iuuene inceſſus,
Commonſtrant.
Age, quiſquis es, ad hanc eius effigiem procumbe,
Ad aram ora:
Corporum ærumnas, animorum incommoda,
Ipſam malorum Iliadem
De more profligabit Maurus.

Pro eodem Diuo Mauro

INSCRIPTIO XXXVII.

Diuum MAVRVM
In Diui Benedicti diſciplina,
Hoc eſt,
In ipſo Sanctimoniæ ſinu educatum,
Parenti non imparem,
Feſta excipimus luce, ac plauſu.
Hic Ille,
Cuius ad veſtigia obſtupuit immoto lacu, vnda.
Ereptus hinc Placidus, arreptis capillis,

Mo-

Monuit, tam non leue id opus, quàm leuis coma eſt.
Porrò toties portenta hæc renouat Maurus,
Quoties merſam ærumnis ſuis gentem mortalium
Soſp tati reſtituit.
Hæc ſcilicet frequentiſſima eius trophæa,
Profligata corporum lues,
Abſterſo oculorum imbre,
Animorum ſerenitas.

De D. Simeone Stylita.

INSCRIPTIO XXXVIII.

Non vnam habes hic columnam:
Erecto corpore, erepta mente,
Columna Simeon eſt ſupra columnam.
Expugnandis aſtris Montes olim Montibus:
Columnis nunc columnæ impoſitæ.
Reliquiſſe terras videri Stylita poterat,
Superſtes adhuc:
In terris verò cùm eſſet,
Viſus exceſſiſſe nubes, ac Cælum tangere,
Columna ſua, ac Olympo ſublimior.
Loqueretur ipſe Deo, aut Deus ipſi,
Audiri, audire facilè poterat,
Cœlo propior.
Summos vertices ſi feriunt fulmina,
Nil altius petere, quàm Stylitam hunc, poterant.
Abſtinuere, ne tantum inuiderent Orbi portentum.
Marmor ſi non eſſet, fieret à ſtupore marmor columna,
Stylitam ſuum videns,
Turbido ſub Ioue ſerena fronte hyemantem:
Pluuio Cælo,

Affi-

Aſſiduo imbre, aſſiduis lachrymis madidum:
A niue candidum, à ſole decolorem:
Æquè peruſtum gelu, ac æſtu torridum.
Quid forti hoc Viro fortius?
Deuictis iam terris,
Ad nouam triumphorum ſegetem
Aeris regiones occupat:
Auſus cum ipſa Cæli inclementia,
Cum furentium ventorum rabie,
Dira cum grandine,
Cum elementis ipſis congredi.
An vicerit, hæc ipſa teſtatur columna,
Ad tropheum erecta.
Porrò ſanctitatis hic Hercules
Columnam hanc ſtatuit virtutis metam.

Digitized by Google

Pro Hiſpaniarum Principis Natalibus.

Deo Noſtri perſoluunt gratias ad B. Caie-tani Cineres.

INSCRIPTIO XXXIX.

Abacta pridem lue,
Cumulata mox eſt lætitia, ac fauſtitas
Natalitia Auſtriaci Principis luce.
Ades, Parthenope,
B. Caietano plaude gratulabunda:
Quo auſpice,
Vt profligata iam diritas peſtilitatis,
Ita nunc datis terrarum Imperio Philippis,
Additus felici puerperio Philippus,
Magnis Magnus vel in Cunis.
Interim Clerici Regulares
Euchariſtiria Max. Numini perſoluimus;
Ad eiuſdem nempè Thienæi Manes:
Cuius Tutelæ
Inclyti Principis infantiam,
Suis in faſcijs Orbis faſcibus proludentem,
Tum Auguſtiſſimorum Parentum ſoſpitatem,
fortunam, Regna,
Prolixè commendamus.

Ad

Ad tabulam, in qua Elias, curru vectus igneo, Cælum petit.

INSCRIPTIO XXXX.

Triumphata Regum potentià,
Capitolium Elias petit,
Flagrante non tam ab igne, quàm à zelo curru.
Hac vehi quadriga, ac pompa debuit,
Cui pectus adamantinum, ac maius igne.
Qui vi precum vicerat elementa ſæpiùs,
Elementorum ſuperbiſſimum,
Suo illigatum currui voluit,
Ac triumphali pede calcat.
Semel, aurigante audacia,
Arſit Cœlo currus ad Phaëtontis ruinam:
Ardet nunc ad ſublimem Eliæ raptum.
Metitur ille ſuo caſu Cælum,
Hic aſcenſu, ac triumpho.
Vides præferuidas volui rotas ad Olympum;
Non in puluere Olympico.
Vides & nouos Pegaſos
Euolare ad aſtra alis igneis:
Cum interim non fontem, vt olim fabula,
Sed flammas excitet vngula.
It curru ſuo ardentior Senex flagrantiſſimus:
Ardet intrepidus, non ardet:
Scilicet, nunquam læſerit ignis ignem.
Dilapſa ab incendio chlamys intacta:
Exuit nempè ſenectam Phœnix,
Inextinctus, & rediuiuus.
I, Bone, quo te rapit flamma:
Redibis, cum mundus arſerit.

Venerabilis Viri Franciſci Olympij Cler. Regul.

Elogium.

INSCRIPTIO XXXXI.

Euolandum penè in Olympum calamo eſt,
Cum Olympius deſcribendus,
In ſublimiore virtutum gradu poſitus,
Nempè Cælo propior.
Vitam à Marianis Niuibus auſpicatus,
Has habuit gemellas, & concolores.
Semper deinde infans, ſi candorem mentis ſpectes:
Semper ſenex, ſi mores.
Illud in infantia ſanè mirum,
Quòd noxam metueret, antequam metui ab eo poſſet,
Affuſa luce antę rationis crepuſculum.
Natus ſemel, naſcitur iterum, ſuſceptis ritè votis:
Nec ſine lachryma alteræ hæ illi cunæ.
Theatinos mores ea facilitate arripuit,
Ceu diutiùs exercuiſſet:
Ea alacritate, ardoreque exercuit,
Ceu tùm quidem arriperet.
Actuoſa æquè, ac contemplatrix illi indoles:
Ità animorum commodis ſe ſe dabat,
Vt non ſurriperet ſe Deo.
Facilis illi ad proximos deſcenſus,
Aſcenſus ad Deum facilior.
In infirmos robuſtior illi charitas.
Quos maximè teterrimus corruperat morbus,
His operam, opemque deſtinabat ſuam.
Veluti è corporibus fœdè corroſis roſas carperet.
Peramanter pectori adprimebat, nempè propè cor:
Libatis etiam ad amoris ſpecimen oſculis,

A quibus ingenio charitatis ſanies abibat in nectar,
In delicias vlcera:
Perſanata interdum ipſa corporum lue,
Mutato videlicet in opobalſamum oſculo.
In diuinorum commentatione
Ita humi affixus, vt aſtra inambularet:
Mundi aduena, vbi morabatur;
Cæli, vbi peregrinabatur, Ciuis.
Breuior illi ſomnus,
Vt orando quieſceret prolixiùs in Dei ſinu.
Vigiles ſemper noctu oculos,
Dixiſſes Cæli ſidera, quæ numquam non excubant:
Quid illa lachrymarum ab oratione perennitas?
Igne videlicet à meditatione exardeſcente,
Stillabat è virtutum floribus pretioſus imber.
Nec ſua deerat voluptas fletibus,
Vt ſubinde ſaltaret,
Dei nempe compos, non ſui.
Saltu Cælum pertingere conabatur corpus,
Quò iam peruenerat volatu ſuo mens,
Alis nempe igneis,
Quibus ita abſcedebat à ſe Olympius,
Vt videretur ab extaſi ſine anima, non ſine Deo.
Iam, quò ſæuior ipſe ſibi, eò Deus blandior:
Colligere ſolitus è ſpinis ſuis Cæli roſas.
Magnæ Matri percarus, Filij amores demeruit.
Scitiſſimi oris Puer,
Stillantibus mero melle labris,
Salutationem Angelicam cum eo recitat.
Nihil tum eo Infante facundius,
Sed euanuit Ieſus, pronuntiato Ieſu nomine:
Effuſo videlicet pretioſi Nominis oleo:
Vt neſcias, vulnerare Puer hic Amor venerit,
An mederi.
Reliqua porrò præclari animi decora,
Ne numerem, vetat numerus.

 Viſus

Viſus tandem profundè conſenuiſſe annorum curſu;
virtutum æuo.
Exceſſiſſe non ynum ſeculum dices,
Si pro merita metiare.
Morti proprior, immortalitatis candidatus;
Perindè vultum compoſuit,
Vt tranquilliſſimè expirauerit,
Ceu iam potiretur Olympo Olympius.

Ad tabulam, in qua Suſanna in pomario.

INSCRIPTIO XXXXII.

Ore elegans, more elegantior
Datur hic à penicillo elegantiſſimo
Suſanna.
In horto, ac ſua in areola
Vernare pulchritudinis, ac pudicitiæ flos debuit.
Poſitis ad fontem exuuijs, dum luitur,
Caſtam dixiſſes Dianam prolui.
Remotior ea pomarij pars,
Vt vel ipſum ſolis oculum arcere loci vmbra videretur.
At non latuit cœcum hinc Puerum,
Oculatos hinc Senes Mulier,
Vidiſſe, exarſiſſe fuit.
Non prohibere flammam pexa capitis nix,
Non reſtinguere gelida fontis vnda potuit.
In Senibus amoris infantiam ne quæras,
Grandæuus ſtatim viſus, vel in cunis.
Captandæ prædæ latent ad inſidias:
Nunquam ſcil. ſine latebris enorme facinus.
Proſiliunt amantium impetu, an amentium?
Non Hercules contra duos, quid fœmina?
Et ſi nunquam ſola, cui virtus, & Numen adeſt.
Nudum illi latus, non inerme;

Suo

Suo munitur adamante adamatum pectus:
Fractaque momento vi ſenum,
Vicit inceſtos caſtiſſima.
Nec ſiſtunt: furor fit ſpretus amor.
Ceu læſi tori compertam,
Obrutam lapidibus Susannam volunt;
Admordent nempè lapides;
Acti rabie ſua canes.
Errant deliri Senes:
Victrix ſemel, vicit iterum fœmina,
Retortis in ſceleſtiſſima Capita lapidibus.
Par erat
Excitari iſthæc in triumphalem arcum ſaxa,
Ad immortale triumphalis Caſtimoniæ
Monimentum.

Ad tabulam, in qua pendens è quercu Abſalon.

INSCRIPTIO XXXXIII.

Regij Iuuenis ſi formam ſpectes,
Indignum hoc fato dices:
Dignum atrociore, ſi indolem.
Parricidium.
Non vultus purpura, non capitis aurum, ornat, aut tegit.
Siſtitur hic tibi Absalon,
In ipſo flore æui neci maturior.
Non filius, non homo: bellua profectò fuit,
Qui bellum Patri intulit.
Hærere proinde ſiluis,
Sua nempè in ſtatione debuit.
Fugientem eripuiſſet inſequentium manibus
Incitatiſſima equus fuga:
Sed velocior immota, immitis quercus:

In-

Iniectaque illum manu, corripuit.
Scilicet, nuſquam tuta improbitas:
Vbique lictor, iudex, pœna:
Eſtque in vmbris ipſis, ac truncis nemorum Nemeſis.
Diſcinctum moribus, ſolutum coma,
Religatum vides ſua coma.
Frontis olim Coronamentum ſua fronde quercus,
Nunc vindex ſcelerum.
Dum ſe perflari ſinit vento cæsaries,
Comatulum ſuum ad ventorum luſum ſuſpendit:
Erroremque Capillamenti ſoluit ipse Absalon,
Dignus, quem tergemina confodiat cuſpis,
Naturæ, Patris, ſui reum.

Exagitati malo genio Saulis effigies.

INSCRIPTIO XXXXIV.

Vides hic arreptum furijs Regem;
Graſſantem intimè peſtem oſtentare truci vultu.
Nihil ea terribilius ſpecie,
In qua Erynnes pererrant, aut inſident.
Lucent feralem in modum oculi,
Quos Diræ ipſæ accendunt ſua face.
Horret, horrificat arrecta Cæsaries:
Turbari nempè comas oportuit capite tumultuante.
Audis penè ab ore minas,
Vt neſciat tantam cohibere iram mutus color.
Quid? ardet, furit ipſa tabula, furente Rege.
Pacandis inferis, eſt alter hic Orpheus:
Vides? temperat teſtudinem auream;
Non lentus Iuuenis.
Hic ſi tantiſper ſiſtes,

Ad Lyræ modos delirantem videbis
Suæ redire menti Saulem.
Percussu citharæ, ceu mulctatus verbere, ferox genius,
Manſueſcet.
In armonico ipſo arcu arma ſentient Eumenides,
Dabuntque pulſanti dexteræ victas manus.
Erunt hæc deniq; trophæa citharæ,
Fractus Acheron, fuſæ vmbræ, deletæ Furiæ.
At tu caue interim tibi, bone Fidicen,
Tuis ne fide fidibus.
Inferos vinces, Saulem non vinces.
Haſtam vides, hoſtem time.

Ad horologium, iu quo præſident tempus, & mors.
Apud Alexandrum VII. Pontif. Max.

INSCRIPTIO XXXXV.

Temporis, an mortis monitrix hæc moles?
Vtrumque hic vides:
Alterum momenta diuidit vitæ:
Altera ipſa hæc momenta inuidet vitæ.
Quicquid horarum hic fluit,
Munus temporis eſt, rapina mortis.
Dum te temporis beneficio credis viuere,
Vides, decreto mortis te mori:
Vt neſcias, vitales, an lethales horæ tuæ ſint?
O quæ ſe ſe hic aperit ſchola vitæ,
Docente mortales morte, ac tempore.
Declamat hinc tempus, parere ſe morti:
Declamat hinc mors, imperare ſe tempori.
Tu ab erudito hoc horologio hæc diſce:
Vt nec credas tempori, & conſulas morti.

Digitized by Google

Ad Microſcopium.

INSCRIPTIO XXXXVI.

Neſcio, an quid promere è ſua officina
Splendidius, aut grandius ars poſſit
Microſcopio,
Cui vis illa, vt minutiſſima quæq; corpora
A pellucido grandeſcant vitro.
Olim iuuare oculos didicit cryſtallus,
Nunc ludere,
Indita arenulis, atomis non ſua mole.
Corrigit hic pulchrè naturæ parſimoniam
Ars liberalior.
Quicquid curta ea manus negat,
Attemperatò mirè criſtallo,
Addit hæc ſplendidè:
Vt non mirum, cùm omnia hic excreſcant;
Fateri ſe naturam minorem arte.
Suſpicienda porrò eſt in Microſcopio
Humani Magnitudo ingenij.
Quiſquis adinuenit, erit profectò ſemper
In puſillo magnus:
Quod nulli vnquam, neque Magno ipſi Macedoni contigit:
Tu diſce ab hoc opere,
Noſtra hæc videri Magna, non eſſe.
A vitro grandeſcunt:
Atque adeo vitreum eſſe, quod eſt Magnum;
Ac frangi fortunam, quæ vitrea eſt,
Cùm ſplendet, aut creſcit.

Ad florigeros Viri Principis hortos.

INSCRIPTIO XXXXVII.

Ne magnæ curæ magnos animos obruant,
Hortos hoſce procurauimus
Flora, Venus, Gratiæ.
E Thracia, è Græcia, è Perſide,
E noto, ignotoque Orbe
Bulbos quæſiuimus,
Vt peregrini vernarent hic flores;
Eſsentque horti ortu ſuo ac ſtirpe prænobiles.
Nihil hic è vulgo, ac plebe,
Sed quidam veluti florum flos.
In tam multiplici varietate
Vnam, eandemque vides in florida hac familia elegantiam;
Eſtque venuſtas in diſcolore vultu concolor.
Flos hic lacteus niuem viſus habuiſse collactaneam;
Aut nutriculam.
Naſcentem illum excepit purpura,
Verè porphyrogenitum.
Flaueſcit hic, pretiumq; habet à ſuo auro.
Hi cærulei, affines nempè Cælo.
Miſcent alij colores ſuos,
Picturati, virgati, vermiculati,
Vt habeant horti ſuam Irim.
Quicumque huc adeſtis,
Vobis florentes haſce delicias propinamus.
Aſpicitis? ſua poſt fata
Redière Narciſſi, Hyacinthi, Adonides,
Ac rediuiui ſpirant hic pulchriùs.
Vt exhauſtos curis, ac ſtudijs

Digitized by Google

Pulcherrimo vos aſpectu ſuo recreent, vegetentque.
Nos etiam ab horti cultura defatigatæ,
In puluillis hiſce quieſcimus,
Et cubamus in roſa,
Flora, Venus, Gratiæ,

Ad Bibliothecam.

INSCRIPTIO XXXXVIII.

Sapientia
Hanc ſibi extruxit eruditam Aulam:
Inſtruendam, exornandam Muſis dedit.
Quicquid vnquam ingeniorum tulit
Academia, Lycæum, Porticus,
Hic loquitur, hic ſilet.
Quicquid vſquam voluminum
Profana, ac ſanctior cudit eruditio,
Suas hic in claſſes centuriatur.
Militant nempè libri, pugnant literæ,
Vt inſcitiam triumphent.
Habes, qui doceant, qui perorent, qui moneant:
Recens iis ſemper dicendi, docendi vigor.
Audis, quę voles, quantum voles.
Tu tibi ad menſuram temporis clepſydra.
Sitiunt aures? dicent.
Fatigantur? ſilebunt.
Summa ipſa doctrinarum Capita;
Pręſignes eloquentię Principes,
Dictionem, ſilentium ſi imperaueris;
Nutibus parebunt tuis.
Ordinem, locum, pluteos ne mutes.
Ceterùm

Flo-

Florentiſſima in hac Auctorum Republica
Tu Senator, Conſul, Dictator.

Ad publicum Armamentarium.

INSCRIPTIO XXXXIX.

Quæ vides hic omnigena pro parietibus arma,
Publicę tranquillitati pendent.
Pacem armant, exarmant bella.
Turbido, pacatoque tempore
Æquè metuenda armorum otia, ac vſus.
Quę feriunt tela, hoſtes debellant;
Quę feriantur, terrent.
Scilicet, inſtrumenta bellorum munimenta pacis ſunt:
Enſes, fiſtulę ſecuritati militant:
Tela Martis Martem fugant.

Ad publica Horrea.

INSCRIPTIO L.

Excitatis hiſce publicę annonę Horreis,
Non eſt, cur ab armorum ſiti
Suis metuant populi alimentis, ac frugibus.
Luſerint agricolas imbres,
In ſegetem annus grandinet,
Tuta hic meſſis, & Ceres.
Initum veluti cum Cęlo fœdus,
Vt ſemper hic pluat, nunquam grandinet.

Facit

Facit nempè Cerealium Ædilium prouidentia;
Vt ſine hyberno puluere, ac verno luto,
Flaueſcat hic pulchrè ſeges.

Ad tabulam, in qua deſcripta Italia.

INSCRIPTIO LI.

Italia hæc Principum, ac Regum Regio.
Sceptro olim, nunc religione, ac Cæli faſcibus terris
dominatur.
Intra mare Superum, ac Inferum ſe ſe continet,
Mundi aliquando finibus vix contenta.
Prærduis Alpium niuibus caput Cælo infert,
Coronatque ſyderibus triumphos ſuos.
Cùm interim Appenninus, ceù ſolium aſſurgat
Terrarum Reginæ.
Fecere hic nidum Romanæ Aquilæ.
Hinc ſua longè, lateq; fulmina eiacularunt;
Quibus ſubactis Regnis, ac Regibus,
Terras omnes fecere Italas.
Viſa aliquando triumphalis ea ceruix ferre iugum;
Ceruix nempè, non animus.
Vuandalorum, Gothorum ferrum, flammam experta,
Suo mox è cinere refloruit Orbis Phœnix.
Neque graſſari ea monſtra diù poterant,
Vbi pro Alcide erat virtus Itala.
Neſcias deinde in Italia quæ præſtantior,
Cæli amœnitas, an gentis humanitas?
Camporum cultura, an morum?
Ingeniorum, an frugum copia?
Viſæ in eius beatitatem conſpiraſſe
Pomona, Ceres

Digitized by Google

Non alibi Lybica quæras horrea,
Non alibi Heſperidum hortos.
Claſſe verò æmula, an famula ?
Conuehunt vndique opes Maria ;
Alluunt vbertatem flumina,
Implunnt fauſtitatem ſydera.
Quid ? vna nunc Vicaria Cæli Inſula
Illam Cælo æquat:
Audit hinc meritò
Terrarum amores, mundi Patria ;
Publicum Orbis Atheneum, ingeniorum altrix,
Magiſtra morum, Cortina veri,
Religionis templum, ſalutis ara ;
Virtutis area.

Ad Hiſpaniæ Tabulam.

INSCRIPTIO LII.

Ad Occidentem licet Solem
Sita, quam vides, Hiſpania :
Nihil ea tamen illuſtrius.
Nulli quippè lux vberior :
A Sole videlicet vbique ſubdito,
Et qui Hispanus oritur, Hispanus moritur.
Ita Pyrene clauditur, & Mediterraneo,
Vt Regnorum, & Orbis capax,
Vltra Abylam, vltra Calpem, infra mundum
Seipsam extendat. ac explicet.
Diuulſis nempè ſuo è ſitu Herculis columnis,
Vltra naturę fines asportauit,
Suique Imperij metas poſuit.
Plena hic pręliaris animę pectora,
Quę nec aurum, nec ferrum expugnauerit.

Sa-

Sagunthi Carthaginem, Numantię Romã vicit Hiſpania.
Virtute hoſtes, ſeipsam domuit patientiã.
Sueta etiam cum malignitate naturę congredi,
Elementa aggredi,
Neceſſitatem, fortunam ęquè frangere.
Armorum genio par ingenium.
Cecidere olim, laborantes ęuo ſuo Athenæ:
Quod reuixerint, ſpirentque, debent Hiſpaniæ.
Ignea equis vis, ac vento leuior, à quo geniti:
Genti pondus ineſt:
Mente, Conſilio nil grauius.
Pietas, qua nihil illi antiquius, viſa nunquam conſenuiſſe.
Pietati pronior naturæ ſinus.
Eſt namq; in aurifodinis diues, in frugibus vberrima,
In gregibus pinguis.
Digna Principibus ſuis Hiſpania:
Digni Hiſpania ſua Principes.

Ad Galliæ Tabulam.

INSCRIPTIO LIII.

Transalpinam Galliam,
Fuſam longè, latèque vides.
Hic Narbonenſis, hic Celtica.
E Pyrene Hiſpaniam, ex Alpibus proſpectat Italiam.
Neutri ſoli, Cælique genio impar.
A crinali Capitis auro nomenclatio
Certè id indicat,
Aut Gallicam Fortunam esse, quia Comata:
Aut fortunatam Galliam,
Quòd arripuiſſe videtur Fortunæ Comam.
A patria niue.

Ineſt

Ineſt menti, & moribus candor:
Elucetq; ingenuum in vultu pectus.
Prope eam niuem Mars ardet, & flamma gloriæ.
Bellicoſa nanq; Gallia, valetq; impetu.
Vbi incaluit, robur illi ſupra virum:
Vbi refrixit, non ſupra fœminam.
In tanta bellicæ virtutis laude
Deſudat in otio literarum.
Sua ſunt Gallicis ingenijs præclara Athenæa:
Sua Gallicis Athenæis præclara ingenia.
Ornat, adaugetq; ſtudia linguæ pretio, & copia.
Non vnus in Gallia Gallicus Hercules,
Qui eloquentiæ auro aures capiat.
Inſunt à tellure, à Cælo cæteræ naturæ opes.
Fluctuat in aruis Ceres aurea.
Æſtuat in lacubus Bacchi nectar.
Infert & pelagus merces ſuas,
Vt venti etiam in Galliæ fauſtitatem coniurent.
Denique
Floret, florebit Gallia inter regia Lilia.

Ad Germaniæ Tabulam:

INSCRIPTIO LIIII.

Aſpera olim vt Cælo, ita & moribus
Germania.
Bicorni Rheno, binomine, & ſeptimgemino Danubio
Nimium, quantùm terreret.
Adde parem Germaniæ Hercyniam,
Vaſtitate, belluis, horrore nobilem,
Siluæſcentibus per eas quercus, ac vmbras Alemannis;
Mutata ſubinde vice temporum,
Inducta, hyemante adhuc Cælo,

A a Alia

Alia, non ſoli, non solis, ſed morum indoles.
Cum Romani aula Imperij Romana eò maieſtas
immigrauit.
Inclaruit nubilus ille aer ſplendore Latij.
Scilicet, non alibi priſcæ magnitudinis exuuias,
Latinæ potentiæ analecta,
Reliquias Cæſarum reperies,
Quam in Germania.
Toroſum, amplum Genti pectus;
Animæ magnæ capax.
Sua, aut extera adminiſtrent bella Alemanni,
Pugnaciſſimi.
Ea alacritate dant ſanguinem, qua vina hauriunt.
In armorum, an poculorum certamen
Libentius ruant, neſcias:
Fortitudinis comes, fides.
Proniores falli, quàm fallere.
Quæ denique maxima Europæ Regio eſt;
Ingentia conflúxisse in ampliſſimum ſinum
Naturæ dona, gratulatur.

Ad Siciliæ Tabulam.

INSCRIPTIO LV.

Nobilis Italiæ appendix Sicilia hæc eſt.
Formam, ac ſitum vides,
Procurrentibus in mare Promontorijs,
Vt agnoſcat pelagus naturæ propugnacula;
Et quæ cautes caueant Inſulæ,
Si quid auderet ſua, aut Barbarorum rabies.
E continenti, interfuſo freto, diuulſa,
Ceu tantum ſecum habeat ſplendoris, & commodi,

Vt

Digitized by Google

Vt nihil expeti ſibi ab reliqua debeat Italia :
Ionio, Tyrrenoque mari circumflua,
Aliud complectitur ſinu pelagus, ſed aureum:
Fluctuante videlicet in campis ſegete :
Surburbanus olim Romæ fundus, ac horreum.
Flaueſcit & in collibus Bacchus,
Pendente è pampineis ſmaragdis electro, ac auro,
Quæ mirè eliquantur in nectar.
Suam etiam vindemiam exprimit ab arundine,
Coaleſcente in ambroſiam ſucco.
Hoc mirum,
Non inflari hic calamos ad aurium melos,
Sed prælo premi ad delicias guſtus.
Cùm interim Hyblæo ſcateat melle,
Certetque cum Attica api, apis Sicula.
Habet & Sicilia Seres ſuos.
Dum nent, ipſi ſibi colus, ſtamen, ſuſus,
Ac ſplendidè in mortalium luxum lucubrant.
Luſit hic in vndis, luſit in igne
Mendax fabula,
Cyclopes Æthnæo in antro procudunt Ioui tela :
Inſequitur Arethuſam ſuam Alpheus :
Scilicet, mentiuntur fulmina, æquè ac flumina.
Ne verò Charybdis, Scylla, fretum terreant:
Cuſtodiæ hæc monſtra ſunt,
Vt olim Atlanticis hortis Draco.

Ad Tabulam in qua deſcripta Neapolis.

INSCRIPTIO LVI.

Contractam in anguſtum exigua in hac tabula
Neapolim vides.
Exigua exprimi mole debuit Orbis gemma.
Inter Italicas Vrbes coronam iure meruit
Neapolitani Regni Caput.
Noua appellari Ciuitas voluit,
Quæ amplitudine, ſplendore, ſitu,
Nullas non æquat veteres.
Hanc Elenam vt pingeret natura,
Viſa decerpſiſſe
E Cælo temperiem, è tellure copiam, è mari delicias.
Hanc Pandoram ornauere certatim Numina donis ſuis,
Bacchus, Ceres, Pomona, Flora
Phœbus, Pallas.
Hinc Colles aſſurgunt,
Vt formoſiſſimæ aſpectu Vrbis fruantur.
Hinc mare in craterem eruditur,
Vt amœnitates propinet ſuas.
Inclyta genti claritas.
Quæ alibi peregrinatur nobilitas,
Suam hic Sedem, ſua habet Subſellia.
Equos, aut Equites ſpectes, nihil generoſius.
Equites Alexandros dices virtute belli:
Equos abſtirpe, ab indole Buceſalos.
Miſcet arma togis:
Æquè in acie, atque in palæſtra literarum ardens.
Litant muſis, militant Marti Neapolitana ingenia;
Amœnitatem Vrbis
Propior congeminat Pauſilypi amœnitas.
A mari, à vindemia madet Collis.
Æſtiui hic Soles hyemant, aut exulant.

Cùm

Cùm interim Natale pelagus
Gaudeant non vnæ innatare identidem Neapolitanæ Veneres,
Quæ delicias ſimul hauriunt, ſimul afflant.
Denique gemina ornat vrna Neapolim,
Sirenis, Maronis.
Concinet æternùm Vrbis laudes
Canorus vterque Cinis.

Ad marmoreum morientis Senecæ Simulacrum.

INSCRIPTIO LVII.

Viuo, ſpirantique in marmore
Morientem Senecam vides.
Vt gratias Præceptori ſuo rependeret,
Senecam necat Nero.
Abſtinuiſſent alij à Præceptore Cæſaris,
Non abſtinuit Cæſar ipſe à ſuo.
Non conqueri ille de Nerone poterat:
Eodem quippe ab eo habitus loco eſt, ac Mater.
Mulctata illa eſt, quod Neronem peperit:
Hic, quòd educauerit.
Sciſſis venis mori iuſſit truculentus Cæſar:
Vt exhauſto videlicet cruore omni,
Non eſſet, vnde ipſe erubeſceret.
Sectis verò, ac debilitatis lacertis,
Palæſtram non detrectat Vir fortis:
Fortunam, Fatum, Neronem vincit.
Reſtituit Senecam marmor hoc,
Expers licet ſanguinis, viuum.
Non loquitur:
Nempe ad atrox facinus ſtupore defixus,
Siluit olim Vir diſertiſſimus,
Et ſilebit ſemper.

Ad

Ad Cornelij Taciti Effigiem.

INSCRIPTIO LVIII.

Rem hic Romanam ſtylo complexus non impare,
Simul hiſtorias, atque Annales ſuos,
Simul Romanorum facta viſus æternaſſe.
Mirum, quòd tam diſertè dixerit Tacitus.
Aulam, Aulicos,
Neſcis, ornet elegantiùs an carpat acriùs.
Cenſorem, Hiſtoricum Miſcuit.
Vtrique muneri ſua virgula, ac ſtylo par.
Id maximè in laude ponendum,
Quòd quæ alijs obſcura eſt breuitas,
Tacito lucem nominis peperit.

Ad Virgilij Maronis Effigiem.

INSCRIPTIO LVIIII.

Virgilium Maronem
Auſus delineare hic pictor,
An canorum adeò Vatem expreſſerit mutus color?
An aliquis par Apelles Muſarum Apollini?
Mantuæ natus,
Cunas habuit ad Mincij ripas cum Cycnis:
Parthenope denatus,
Ad Sirenum vrnam contumulatur:
Suauior ipſe Sirene, & Cycno, dum canit.
Multiplex vni ingenium,& fertile.

Ad

Ad gracilem Paſtorum auenam,
Cecinit inſigni poeſeos vena
Atque ita non ruſticè
Vt fuerint Maronianæ ſiluæ digna Conſule.
Quæ tractant plectra, ac citharas Muſæ,
Tractare raſtra docuit:
Gauiſa tellus vomere laureato
Ac viſa in Parnaſso à cultura agrorum
Æquè ac Carminum,
Cum ſterili lauro ſeges aurea.
Altiùs deinde ſi ſpiret Maro,
Inflétque ad arma lituos,
Vides militare Marti Iouis Filias:
Ac traducto ab ingenio ad dexteram furore Phœbi;
Stare in acie, conferre pedem, vibrare tela.
Quid pulchriùs,
Quam perindè à ſua poeſi, atque ab ardore præliorum
Muſas incaleſcere?
Adnauigante in Latium Ænea,
Ab exuſto Ilio
Simul Phœnix Vrbium Roma,
Simul Phœnix ingeniorum extitit Maro:
Vt ab eodem Troiano cinere gemellas dixeris
Romam, & Maronis Muſam.
Quid ad Romæ famam grandius?
Quid ad Maronis decus illuſtrius?

Ad Annibalis Carthaginenſis Tabulam.

INSCRIPTIO LX.

Ni luſca tibi, quiſquis es, oculorum lux,
Captum altera oculorum luce Annibalem,
Facilè

Facilè agnoſces:
Monſtrum nempe, quod ad Latij metũ peperit Africa.
Dixiſses, Spartanorum more pro cunis clypeum habuiſſe;
Qui fandi adhuc neſcius,
Conceptis ſolennibus ad aram verbis;
Bellum Romæ indixit.
Arſit tum ea ara Annibalis magis igne, quàm ſuo,
Vides vſque ad aram iuratum hoſtem,
Non amicum.
Tenera ſtatim ætas ferro induruit.
Sagatus Saguntum petit,
In cuius incendio procuſum hoc belli fulmen.
E Pyrene in Alpes tranſuolat.
Exacuit ad eas cautes vim pectoris,
Ad eas niues æſtum animi adauxit.
Hinc ſuo raptus impetu,
In Italię fauces inſilit Pœnus Leo.
Primum Reip. vulnus,
Saucius, ac debellatus ad Ticinum Scipio.
Adnumerat, admurmurat adhuc cædes Trebia.
Decolor adhuc Traſimenus,
Non tàm à cæſorum ſanguine,
Quàm, fuſo Conſule, erubuit à verecundiã.
Dum media in Italia graſsatur Africa,
Reſtituit rem cunctando Maximus.
Sed ea mora Annibali ſpiramentum, & quies fuit.
Inſtaurataq; pugna,
Romam in vno Conſulum fugat, in altero cædit.
Quam horruere ſtragem Cannæ,
Excepit Aufidus,
Cui creuere vndę à cruoris vndis.
Expoliati auro d gĩti:
Menſuramque cladis vides in anulorũ modijs.
Romanorũ ſtragem vindicant Campanę delicię.
Quem vincere nequiuere arma; vicere ocia,
Cannaſque ſuas reperit Capuę.

Per.

Digitized by Google

Perdidit hic Annibal Annibalem :
Nec ſine Annibale profligaſset vnquam Roma Annibalem :
Tandem terris profugum, venena conficiunt.
Prouocare fatum ſuum potuit,qui Romam toties laceſſiuit.
Hoc illi maximè ad famę decus,
Inter Torquatos, Quintios, Decios,
Meruiſse Romano in foro ſimulacrum:
Viſus ex implacabili hoſte Ciuis.
Donatus vltrò Ciuitate, quam capere vi nequijt.
Etſi non tam Annibali,
Quàm ſibi ſimulacrum hoc poſuit
Romana virtus,
In hoſtes ardens, cum hoſtibus ſplendida.

De Marci Tullij Capite in roſtris propoſito.

INSCRIPTIO LXI.

Quis credat, obmuteſcere Roſtra potuiſse,
Agente pro roſtris Tullio?
Proh facinus!
En auulſum ſua à ceruice Ciceronis caput,
Qui toties à ceruicę Reip. ſecurim depulit:
Huç illa Romani Periclis euaſere tonitrua,
Vt caderet ipſe Antonij fulmine exhauſtus.
Vides, non tam fati neceſſitate,
Quàm ad hæc ſcelerum portenta attonitum,
Conticuiſse monſtrum illud eloquentiæ.
Neſcit tamen à roſtris diſcedere
Vir diſertiſſimus,
Qui inuehi lingua in Antonium nequit,
Acriore vultu, liberiore id facit eloquentia:
Neminem ſiquidem metuit Cicero iam extinctus.

Declamat, ardet vis illa facundiæ.
Sui ſunt exangui in ore nerui.
Dictionem animat, aſperatque
Qui manat è ſectis venis cruor.
Concurritur certatim ad videndum, an audiendum?
Summa hæc Oratoris laus,
Idem ſibi ſuperſtiti, ac extincto theatrum eſſe.
Illachrymat tanto Capiti Roma:
Indolem ereptam Ciceroni vitam,
Sibi linguam.

Ad Tabulam in qua bellum Actiacum.

INSCRIPTIO LXII.

Partam è Parthis victoriam,
Delicijs, luxu, amoribus, corrupit Antonius.
Poſt ea bella
In Cleopatræ ſinu triumphat.
Hoc pretio
Venali Reginæ venditur Roma.
Ad aureum vellus Imperij
Ægyptus, Arabs, Indus, Oriens,
Centenis velificant nauibus.
Vides in mari ſiluas, in ſiluis vela:
Nec velis ſufficiunt venti.
Quæ vehit Reginam currita puppis,
Nitet picta auro, & purpura,
Ceu foret & ipſa Regina nauium.
It ad Orbis Imperium
Victus Cleopatræ illecebris Antonius,
Faſtu remige nauigat triumphale mancipium.
At vides rates opponi ratibus, Claſſi Claſſem.

Au-

Auguſto aurigante, Romanæ velificant arces.
Fluctuant in ſignis Aquilæ, aquilonibus motæ.
Ardet in vndis Romanus miles.
Pectorum flammam venti conflabellant.
Sed iam claſſico ſe ſe laceſſunt Claſſes.
Aduerſa fronte concurritur.
Iam coacta à ſpiſſiore telo nube,
Mutua ſe diuexant procella.
Peruolant vltrò, citròque faces, neces.
Voluitur in ſuum pelagus non vnus cruoris amnis.
Feruet prælium æquè ac mare.
Tandem triumphum Auguſto adiudicant
Fortuna, Mars, Virtus.
Cedunt, cæduntur natantes Ægypti ſiluæ.
Diſcerptæ, diffractæq; miſſilibus,
Barbaræ naufragant huc illuc puppes:
Totoque errat pelago clades.
Perculſam ſtrage Cleopatram abripiunt venti.
Hoc mirum:
Quod ſecundæ in naufragio aſpirauerint auræ.
Actus amore, an rabie?
Sequitur Reginam Antonius.
Hoc diſcere è fœmina poterat, fugam.
Infelix vtrique exitus:
Illa Romani Triumphi catenas
Cum anguis nexibus mutat,
Animamq; ebibit dira aſpis.
Hic ſua confoſſus dextera, concidit,
Auguſti virtute victus,
Et ſuo ferro.

Ad Didonis Iconem.

INSCRIPTIO LXIII.

Producta in ſcenam Carthaginis Regina,
Vide, quo ſyrmate partes ſuas agat.
Hoſpes illi, an hoſtis? Æneas fuit.
Hæc ab eo dona habuit,
Flammam, qua intimè exarſit,
Ferrum, quo cecidit miſerè.
Quid afferre Troianus poterat à Troia ſua,
Exciſa flamma, & ferro?
Fato profugus, fatum Reginæ attulit:
Acceſsu, abſceſsu æquè illi infauſtus:
Cauſa hic amoris, hic mortis.
Dum vela facit Æneas,
Ipſa ſibi infeſta infelix Dido:
Suſpirijs ventos ventis addit,
Vt auolaret celeriùs transfuga.
Preces ſurdo fundit,
Quas vel ipſi audiſſent faciliùs venti, vndæ, ſcopuli;
Quibus ſe ſe ille commiſerat.
Execrata in Troiano Græcam fidem,
Pectus ſtricto enſe traijcit.
Punit nempè,
Quòd nimiùm in exterum Ducem facile,
Amoremq; aluerit ingrati Hoſpitis.
Certè, quando diſcerpere illum ipſum minùs poterat;
Dilacerare ſpirantem in pectore imaginem,
Dulce putat.
Cadit tragico nimis plauſu Regina:
Neſcis, amoris, an odij trophæa ſint
Traiectæ ferali manu exuuiæ.

Ad

Ad Lucretiæ Romanæ Effigiem.

INSCRIPTIO LXIV.

Quam non agnoſcis à cultu Fœminam;
Agnoſces à cultro.
Hæc illa Romani ſpiritus, maris animi,
Lucretia,
Caſtior, an fortior?
Stricto Tarquinij ferro victa;
Suo victrix.
Puduit, ſe pudori ſuo ſuperſtitem.
Ferro vindice, mulctat ſuo in pectore alienum ſcelus:
Spectante Patre, & Coniuge,
Ne ſplendidum deesset magnæ virtuti theatrum.
Scilicet, vt pudoris ſalua res esset,
Dato ſanguine, erubuit.
Neque alia cædi manu debuit honoris victima.
Exhauſta vulnere,
Pulchrior reſtituta Collatino Lucretia:
Adauxit nempè formæ pretium cruoris minium.
Non huic ſe conferat Heroinæ Cleopatra;
Non auſa tractare ferrum imbellis Regina,
Anguem admouit pectori,
Ne Romanum adaugeret triumphum.
Hæc generoſior, ſuo ſe enſe conficit,
Vt ſuum ipſamet triumphum ornaret magnificentiùs.
Erit æternum pudicitiæ monumentum,
Trasuerberatum cultro pectus.

Ad

Ad Belliſarij Effigiem.

INSCRIPTIO LXV.

Belliſarium hic vides,
Belli illud fulmen,
Quod Aſiam, Africam, Italiam terruit.
Nullum Romano Ioui certius, aut citius fulmen:
Miſiſſe, vicisse fuit,
Diſcerptis Romanarum Aquilarum vnguibus Barbaris,
Subactis ferro, ac fama nominis Regnis,
Victis, ac vinctis Regibus.
Trophæa ſua toto Orbe disseminauit, ac messuit
Poſt tam felicem bellorum aleam
Luſit cum eo fortuna, illuſitque.
Id crine ſuo leuior,
Suo ſaxo volubilior effecit.
Vt de tot triumphis triumpharet liuor.
Eò quippe euaſit lux illa clarorum operum,
Vt careret oculorum luce Belliſarius.
Ampliſſimæ verò opes decreuere in obolum.
O dignam cothurno ſuo fabulam!
Damnatur indignis tenebris lumen Imperij.
Qui ferri in omnium oculis videbatur,
Amiſit ſuos.
Meridiem gloriæ intercepit oculorum nox.
Quid infelicius, quàm, oborta frontis caligine,
Ærumnas ſuas cernere ad commiſerandum non posse?
Quid luctuoſius, quàm, corrupta gemina oculorum
ſcatebra,
Prohiberi etiam fletus?
Obolum deinde emendicat fortunæ filius.
Qui tributa gentium imperauerat, ſtipem quærit.

Stipes

Digitized by Google

Stipes fuerit, qui tantæ non illachrymet cladi.
Diſce quo plerumq; plauſu reſonent aulæ theatra,
Agente partes ſuas inuidia.

Pro aduentu Romam Succiæ Reginæ.

INSCRIPTIO LXVI.

Habes, Roma,
Vnde veteres Cæſarum pompas, ac faſtos tuos
Nouo faſtu adaugeas.
En Chriſtina Alexandra,
Succiea, Gothica, Vuandalica,
In ſinum tuum inuolat.
A tergemino ſuo Regno
Ter magna.
Illa quòd ſpreuerit,
Ter maxima.
Inde nanque auguſtior,
Quòd pro Romana Religione abiecerit ſua ſceptra:
Quòd, abdicata Regnorum Corona,
Pietati ſuæ impoſuerit:
Quòd, relicta alijs cura Imperij,
Sibi præclari operis gloriam retinuerit.
Hactenus Regnorum, nunc animorum Regina, & ſui.
Igitur venientem fauſtè,
Eò gratiore ſinu excipe,
Quòd in Regina non fallunt externa Reginæ inſignia:
Scilicet, non chlamydi, non purpuræ,
Sed regiæ indoli, magnæ virtuti, eximiæ religioni
Honores dantur.

In

In ſolenni inauguratione Comitis Vitaliani Borromæi, Mediolanenſis Faticoſorum Academiæ Principis Primi.

INSCRIPTIO LXVII.

Quæ te pridem, Comes inclyte Borromæe
Fauſtè Principem conſalutauit
Faticoſorum Academia,
Solenni nunc ritu, ac pompa
Tibi laureatos Muſarum faſces,
Sibi Natales ſuos gratulatur.
Naſcitur quippe, Te Principe, ad laborem,
Primumq; haurit non tam diem, quàm meridiem,
A tui iubare Principatus,
A ſplendore generis, à luce ingenij.
Porrò ad æuiternum tantæ inaugurationis monimentum,
In hoc Faticosorum Circo
Suammet Teſſerariam ſtatuit Pyramidem.

Ad ſontem in ſoro Neapolitano excitatum Ab Ognatti Comite Prorege.

INSCRIPTIO LXVIII.

Bonum factum.
Innico de Gueuara, Ognatti Comite, & Villamedianæ,
Inclyto Prorege,
Vides celeberrima in Vrbis area
Excitatum ad loci gratiam fontem.
Ne te ludat perbellè ludens vnda:
Non hic aquarum perennitas,

Sed fauſtitas, pax, æquitas manant,
Gueuara Principe.
Ominantur labentes hi riui, ac imbres,
Lætiorem campis ſegetem, vberiorem horreis meſſem,
Annonam populis laxiorem.
Monetq; ſolutus in laticem lapis,
Sub tanti Principis auſpicijs fluere iam ad votum omnia.
Porrò concelebrat fauſta admurmuratione Ognatti
nomen fons,
Quod æternat inſcriptum hoc marmor:
Neque enim fluxa hinc Principis gloria,
Vndis licet præterfluentibus.

Ad Gambacurtæ Ducis Limatulæ Ædes.

INSCRIPTIO LXVIIII.

Qui locum exhilarat, amœnatque
Manans è Tiphatis montibus
Perenni ſcatebra fons,
Adſtrepentus, ac diuitis venæ illecebrà
Id effecit,
Vt voluptati, genio,
Sibi, Amicis
Tecta hæc proximè poneret
Franciſcus Gambacurta Dux Limatulæ.
Veram nunc reddidit fabulam,
Conſtructis, non ad citharæ ſonitum,
Sed ad manantis aquæ murmur ædibus.

Digitized by Google

Ad Herculis Statuam.

INSCRIPTIO LXX.

Agnoſcis toroſo in pectore ;
Atque in hac lacertorum vi Herculem ?
Spirat niueo in marmore neſcio quid igneum ,
Terretque adhuc Lernam, Nemeam, Mænalum,
Aſpectu, quàm clauâ dirior.
Nullus, herclè, Heros tantum debet fabulæ ,
Quæ , intortis veluti ad ſertum anguibus,
Cunas ipſas laureauit,
Rudimenta hæc excepere Leones , hydræ, apri :
Vt nihil eſset in terris monſtri ,
Quod non conficeret hoc monſtrum .
Iunonem defatigauit Herculeus labor :
Exhauſta eius ira, non virtus Herculis.
Quid Numini indignabundo infeſtius ,
Quàm abire in triumphorum materiam ſua odia ?
Tandem vicit Alcidem ſuus furor :
Viſuſque ad ardentis pyræ lumen
Inter Herculis trophæa Hercules.
Donatus aſtris , docet te, quiſquis es,
Per ardua patere ad Cælum iter.

Ad

Digitized by Google

Ad Vrbis Romæ Commentaria, Ab Andrea Cirino Cl. Reg. conſcripta.

INSCRIPTIO LXXI.

Romani Ioues ſua ab Aquila fulmina mutuantur,
Cirinus calamum.
In tanta ſcriptionis, ac æui mole
Generoſiore vti calamo debuit.
Hoc ad Atlantem, ad Caucaſum euolat:
Hoc Romanum Orbem luſtrat, an illuſtrat?
Conſepultis æternæ Vrbis monumentis
Vt lucem faceret,
Non vna deſudat nocte:
Erutuſque ab hiſce tenebris priſcus ſplendor.
Extructam Thebem cithara,
Mentita eſt olim fabula:
Hoc verum,
Inſtauratam Cirini calamo Romam.
Operoſum veteri Quirino, tantam Vrbem condere:
Eandem ſuo veluti è cinere in lucem reuocare,
Perfacile Cirino fuit.
Aſsequutus nempe id eſt leui penna.
Nec defatigatus ſcribendo,
Vbi illi amplificandæ, ornandæque
Defatigata fortuna ipſa videri potuit.
Scilicet, quæ Vrbs bellis, ſpolijs, triumphis ſuis
Terras obruere viſa eſt,
Cirini ingenium non obruit.
Septicollis Vrbis decora,
Et, ſi fas eſt dicere,
Laudum hanc Hydram
Exhauſit is ſtylo,

Alcides melior.
Cum adroſa vetuſtate, ac æuo, quæ monſtra!
Res illi fuit.
Rixandum etiam cum ſcriptoribus,
Ac veluti cum Leone, ac Tigre congrediendum.
Profligauit, vorauitq; hæc ardua.
Meritò de Vrbe Roma ſcripſit:
Ne longè abesset Capitolinm
A triumphali ingenio.

Ad Adæ Tumulum.

INSCRIPTIO LXXII.

Da, Hoſpes, Parenti Orbis publico,
Quas ille tibi commeruit lacrumas.
Humani generis auctor, an ærumnarum?
Hic ſitus eſt.
In exiguum abijt cinerem terræ filius.
Ab ipſa penè Artificis manu decidit,
Fractumque eſt factnm ad vnguem.
Dei manu opus.
In natali horto breues illi deliciæ.
Habuit ſimul hoc in horto ortum, occaſumq; felicitas.
Quæ ceu mater excepit tellus,
Euaſit protinus in nouercam.
Quos promiſit è ſinu flores, exacuit in tribulos.
Matri par Coniux;
Porrecto ſiquidem lethali munere,
Viſa hamasse, non adamasse
Delibat pomum, ſibi, poſteris peracerbum;
Quod nunquam ſubindè maturuit.
Sapere illi non poterat, quod ſuo infecerat veneno coluber.

Vt

Digitized by Google

Vt mitiora poſtmodum tellus produceret poma,
Edomanda laboribus fuit,
Emollienda ſudoribus, fletibus irriganda.
Quid deinde à ſudore, à fletu,
Niſi vberrima malorum ſeges,
Miſeriarum autumnitas?
Paradiſo emissus,
Mala ſua omnia ſecum portat.
Nulla à ſubditis mortalium Principi reuerentia;
Tumultuantur;
Leonem belluarum Regem conſalutant:
Reginam auium Aquilam.
Vides angues, vngues, cornua,
Expolita nempè ad Adæ exitium arma.
Coniurant, & fœderata inuicem elementa.
Ferro, igne, fulmine, dira grandine,
Adæ caput petitur.
Minantur & cladem ſydera.
Quid luctuoſius, quàm è Cælo lues?
Tandem tot impar ærumnis,
Ne acerbiùs ſæuirent hoſtes,
Hoc tumulo latuit,
Securus ſui.

Ad Euæ Tumulum.

INSCRIPTIO LXXIII.

Matris viuentium,
Quæ mortem intulit mundo,
Quieſcunt extincti hic Manes.
Quæ fecit, vt ſpinas progerminaret terra,
Poſcit nunc pio cineri flores.
Hæc illa è viri latere altera mundi clades.
Dormiente Adam,

Hoc

Hoc eſt per ipſam mortis imaginem, vitam hauſit.
E ſomni vmbris prodijt in lucem,
Vmbras allatura mortalium animis.
Perbreuis eius felicitas fuit, ac penè ſomnium,
Nempe è ſomno.
Mollior fœmina ſtare diù non potuit:
Sibilo cecidit.
Facilè illam perſuaſit ſerpens:
Nempè diſertiſſimus, quia trilinguis.
Decepta decerpit pomum:
Prodijtque à malo vno commune malum.
Fuit olim, qui geminos eliſit in cunis angues:
Vnus nunc anguis
Naſcentem mundum, ſuiſque in cunis perdidit.
Admiſſa mentis nocte, Eua, & Coniux aperuere oculos:
Agnouere caſum orbis, poſteritatis cladem, luctum ſuum.
Erubuere, ſe nudos.
Pulcherrima innocentiæ veſtis, nuditas,
Fit nunc culpæ probrum.
Tegendo corpori non ſatis ea vultus purpura.
Quæ abſtulit pomum ſpolia, dant folia.
Damnatur puerperij doloribus mulier.
Quid acerbius, quàm lictore filio puniri matrem?
Cruciatibus illachrymat ſoboles ipsa, quæ naſcitur.
Perinde nanq; graues,
Vt neſcias, pereat, an pariat puerpera.
Cætera vitæ aſpera, quæ genti mortalium Eua attulit,
Ipſa pertulit.
Hyemauit illi Cælum, ſol arſit.
Diuturnis agitata malis,
Hic demum quieſcit.
Tu Caue, ſileas,
Ne iterum in commune damnum euigilet.

In

In publicis Philippi Quarti parentalibus,
Panormi in templo Maximo perſolutis.
Pro foribus.

INSCRIPTIO LXXIIII.

Philippo Quarto Regi Catholico,
Hiſpanico, Italico, Belgico,
Africano, Hieroſolymitano, Indico,
Herculeam citra Calpem Magno,
Vltra Calpem Maximo:
Quà currit vtrumque ſydus,
Sceptro, ac faſcibus inclyto:
Spirituum altitudine ſupra Regem,
Religione, pietate non infra Auſtriacum:
Quòd fato ereptus peracerbo,
Geminum Orbem luctu merſit,
In communi terrarum conſternatione
Stipendiarijs Sicilia parentat lacrimis.

In ijſdem parentalibus ad alteram
Templi ianuam.

INSCRIPTIO LXXV.

Exequiarum Iuſtis ter iuſtis,
Philippo auguſti nominis Regi Catholico
Perſoluendis,
Adſum huc Trinacria,

Prin.

Digitized by Google

Princ'pi immortua, dolore ſuperſtes.
Pro pyra mea Ætna impar:
Alteram hic magnificentiùs molem excitaui,
Cæſarum ſolijs, Regum ſceptris,
Regnorum coronis compactilem.
Mihi in ſolenni comploratione
Non deerunt lachrymæ.
Dabo non vnum ex oculis flumen,
Circumfuſa non vno pelago.

In eodem funere ad tertiam portam;

INSCRIPTIO LXXVI.

Illa Ego
Perculſa pridem metu Sicilia,
Affulgente ferali Sydere,
Eheu! doleo nunc impare lachryma,
Elato Philippo Quarto Catholico.
Scilicet, huiuſce occaſum Solis edocuit
Inauſpicatum illud Lumen exoriens.
At ipſemet, qui monuit Cometes,
Sparſo miſerandum in modum crine,
Ac mutuato à noctis tenebris ſyrmate,
Effuſè lamentatur,
Ac gentium omnium mœrorem anteuertit.
Hinc exulcerato intimè meo pectori ſolatia.
In tanto videlicet funere
Præiuiſſe Cælum luctus meos.

In

Iu eodem funere.

INSCRIPTIO LXXVII.

Philippo Quarto Catholico Regum Maximo
Si parem excitare molem funeris velis,
Apennino Pyrenem iunge,
Ornetque, ac fulciat columnis ſuis Hercules;
Sepulcrales tumulo faces
Campanus accendat Veſuuius,
Aut Ætna Sicula.
Non extera collocentur Heroum ſimulacra;
Sed domeſtici inſignes trabea, ac fama Cæſares;
Nec ficta coloribus ad pompam virtus,
Sed multiplex adſtet Heroina Auſtriaca.
Scilicet, Philippe Magne,
Qui tua Regna, tuam Domum ornaſti moribus,
Tua Regna, tua Domus
Tui molem funeris allaborent.

Ad eadem parentalia Eccleſia Catholica lamentatur.

INSCRIPTIO LXXVIII.

A vultu, à cultu
Catholicam agnoſcitis Eccleſiam.
Luctuoſum & ipſa theatrum hoc adij,
Vt regio immixta funeri,
Inferias meis etiam lachrymis ſoluam
Catholica Catholico.

Dd Com-

Commune mihi cum Auſtriacis nomen,
Ac penè Auſtriaca ſum.
Communis hinc ærumna, & clades.
Scilicet, Philippo corruente,
Nôn tam Auguſtæ Domus,
Quàm meum columen, meum decus corruit.

Regnum Neapolitanum
Ad eadem ſiſtitur parentalia.

INSCRIPTIO LXXVIIII.

In Parentalibus hiſce tuis
Philippe Catholice, ter magne,
Habet Regnum Neapolitanum ſuas Præficas.
Aduocat huc Campaniam, Lucaniam,
Iapygiam, Dauniam, Magnam Græciam,
Quæ ſciſſis ad pyram tuam comis,
Doloris concentu, an certamine?
Ad lachrymarum clepſydram lamentantur.
Laudes etiam canere ſi velit tuas,
Suas, non è Phocide, Muſas habet.
Adeſt Venuſina Clio, Sulmonenſis Erato,
Enniana Euterpe, Statiana Polymnia,
Quibus vel è ſuo cinere accinit
Maroniana Calliope.
Hæ tuo funeri, tuis laudibus
Plauſum, planctum congeminant.

Iu-

Iuſtitia eidem funeri illachrymat.

INSCRIPTIO LXXX.

Me potiſſimum Iuſta hæc Philippi Magni vocant,
Quæ Iuſtitia cum ſim,
Nulli vnquam iuſtius peracri deſiderio parentaui.
Regium illud pectus Auguſtale dixeris æquitatis:
Cultorem, vltorem recti genium.
Viſa aliquando poſuiſse enſem dextera,
Libram numquam.
Tanto nunc mihi Principe erepto,
Indicto iuſtitio,
Solenni vacare luctui, par eſt.
Captam me olim oculis finxere veteres:
Vtinam centum nunc adderent lumina:
Per tot nempe oculorum Oſtia
Non vnus ſe ſe præceps effunderet
Lachrymarum Nilus.

Ad idem funus Conſtantia Philippi.

INSCRIPTIO LXXXI.

Intrepido, ſtrenuoque in hoc meo vultu,
Quem non ferrum, non fulmen mutant,
Non tam Conſtantiam, quàm Philippum Quartum vides;
Geminus nempè ille mihi, aut collactaneus.
Nulli generoſior animæ Magnæ indoles.
Vidimus tot inter domeſtica funera mirè ſuperſtitem:
In tanta Regnorum ruina erectum:

Ad nubilos fortunæ vultus ſerena fronte.
Eadem vi pectoris fatum ſubijt ſuum;
Ad quod Ego, niſi fuisset adamas pectus,
Pene deſij eſse Conſtantia.

In parentalibus Principis Abellinenſium Ad ſepulchralem molem.

INSCRIPTIO LXXXII.

Marino Caracciolo,
Abellinenſium Principi, Atripaldenſium Duci,
Galerati Comiti,
Reſtincta vitæ Lux
Accendit pyram hanc funebrem.
Vides hic immixta magnificentiæ imitamenta triſtitiæ,
Vt quando tot inerant magnæ Animæ
Ornamenta virtutum
Funus etiam ornatiſſimum foret,
Flueretque ſplendide lachryma
In tanto exequiarum cultu.
Impar hæc nihilominus dolori moles:
Celſitudinem indolis, mentiſque non æquat
Præaltum ſepulcri pegma.
Igitur, Princeps inclyte,
Tua tibi animi magnitudo, nobilitas, virtus,
Monumentum excitent,
Auro ſplendidius, ære perennius.

Ad

Digitized by Google

Ad Diogenis Cynici tumulum.

INSCRIPTIO LXXXIII.

Qui meridiana vſus laterna,
Hominem quærebat inter homines,
Hunc ſi tu quæras ſub hoc lapide,
Occurret pro Diogene Cynico cinis.
Solitus mortalium moribus adlatrare,
Hic tandem ſiluit eruditus canis.
Suum ad ſepulchrum excubat ſui cuſtos:
Nec deſunt hic oſſa, quæ rodat.
Doliaris olim Philoſophus,
Hærebat quidem doliolo, ſed procul à poculis.
Scilicet, viuit, non bibit in dolio Philoſophia.
Magnæ animæ anguſtior ea domus,
Volui vix poterat in volubili tecto.
Attamen ſedem huc illuc ſuam verſando,
Habere dolio in vno plura videbatur conclauia.
Mutato quippe per ſingulas anni vices,
Velut in ampliſſima domo, ſitu,
Sequi nunc ſolem, nunc fugere:
Se Cælo accommodabat, Cælum ſibi,
Exiguo in dolio mundi incola.
Inuiſit aliquando Alexander Diogenem,
Ceu maiorem Magno.
Non habuit ille, quod Diogeni daret:
Habuit, quod auferret, nempè ſolem.
Petitus Cynici dente,
Agnouit Macedo, pro Sole latrare iſtiuſmodi canes;
Non ad Lunam.
Tandem dolium mutauit tumulo:
Vt quieſceret, diù mobilis in verſatili dolio.

Digitized by Google

Excellentis Oratoris Epitaphium.

INSCRIPTIO LXXXIIII.

Qui hoc tegitur marmore, Chriſtianus Orator eſt.
Vbi is diù exarſit in templorum Orcheſtris,
In cinerem tandem abijt eloquens flamma.
Cum plauſu dixit, non ſine plauſu conticuit,
Lachrymis dilaudatus, deſletus laudibus.
Siluere pridem theatra, eo perorante,
Eo nunc ſilente, perorant theatra.
Hoc dolent, quòd impar dictio,
Quando conſepulta cum illo eſt, copia, cultus, ſplendor.
Dixiſse, triumphasse erat;
Audiueris Demetrius Expugnator Vrbium,
Dici hic iure poterat animorum.
Pectora ita quatere ſolitus erat,
Vt ſtatim ſe ſe dederet arx cordis.
Diuina ſi explicaſset oracula, ipſum dixiſses oraculum.
Crimina ſine venia exagitabat,
Faſtum non alio faſtu.
Par quippe muneri grauitas.
Dictionis aurum non tam à ſplendore,
Quàm à pondere agnouiſſes.
Exhilarabat tempeſtiuè orationem flos:
Sed qui ab ardore, æſtuque dicendi exareſcere confeſtim videbatur.
Scilicet, ita florebat eloquentia, vt nil fructuo ſius
Suum erat autumno ver, ſua veri autumnitas.
Vt eſset Demoſthenes,
Deerant magno huic Oratori Athenæ:
Eoque dicente,
Tullij deſiderabantur tempora, non Tullius.

E tanto nunc Oratore tantulus iacet mutus cinis.
At quia in diſertiſſimis ſilentium ipſum loquitur,
Hoc Oratores monet,
Veræ gloriæ comparandæ,
Geſtum, quàm vocem opportuniorem.

Ad tumulum Pauli Toloſæ Cl. Reg. Archiepiſcopi Theatini.

INSCRIPTIO LXXXV.

Pauli Toloſæ Neapolitani Cl. Reg.
Quicquid eſt poſthumi, hic habes,
Quicquid tumulo ſuperius fuit, hic lege.
Inter præcipuas animi dotes,
Natus, expolitus ad ſacra eloquentiæ numeros.
Dictio illi, quam & actio intenderet,
Et comeret oris dignitas:
Plauſorem habuit diſertiſſimum diſertiſſimus, Panicarolam:
Appellatus ab eo vnà cum Marcello fratre, Bonaerges:
Nempè ſupra hominem facundi,
Miſcere cœleſti tonitru ſubſellia vterque videbatur.
Egregium Eccleſiaſtem Bouinenſi Infula cohoneſtauit
Clemens Max. Pontifex Octauus:
Qui auream eloquentiam adæquare purpura cogitauit.
Mun itq; viam honeſtiſſima ad Sabaudiæ Ducem Legatione.
Inter hæc laudum decora
Nihil in illo ſanctitate morum luculentius.
Dilapſus è Cælo B. Andreas Auellinus,
Solitus illi manus oſtendere,
Ad amicitiæ, ſiue pignus, ſiue illecebram.
Demum Archiepiſcopus Theatinus,

Pie-

Pietate, æuo maturior,
Sua in ſede obijt luctu omnium peracerbo.
Pio Cineri
Clerici Regulares,
Abſterſa, quæ ornandæ virtuti impar eſt, lachryma,
Æterno elogio parentant.

Ad Ioannis Comitis Borromæi funus Collachrymat Fortitudo.

INSCRIPTIO LXXXVI.

Quod olim iactabam pectus adamantinum,
Eheu, Borromæi funus emolliuit.
Nulli is virtutum pulchriùs,
Quàm bellicæ litauit fortitudini.
Ticinus, Padus parta ad ripas ſuas trophæa
Adhuc commurmurant.
Ad Aronam Subalpinus Princeps dat Ciſalpino
huic Duci manus.
Angleriam ſuam fortius, an felicius? propugnat.
Trinum, expulſo Gallo, ter magnum deprædicat.
Nihil Vercellis ſecurius, detonante in hoſtes Borromæo.
At hæc alij diſertè perorauerint lingua,
Ipſa copioſiùs dicam lachrymis.

Comitis eiuſdem Prudentia.

INSCRIPTIO LXXXVII.

Nihil in Prudentia ſpectabilius,
Quam proſpiciendis humanorum euentibus oculi.
Hos

Hos modò ad lachrymarum ſolatia conuertimus:
Elato videlicet Ioanne Comite Borromæo,
Cui
Factum ad omnem ſolertiam ingenium,
Attemperata vtrique tempori mens,
Feraciſſimum domi, foriſque conſiliorum pectus,
Par publicæ, priuatæque rei indoles,
Locum inter Heroum nomina quæſiuere.
At quando ipſammet Prudentiam conſternatam hic vides;
Nihil ad hæc buſta intempeſtiuius,
Quam fronte ſerenitas.

Eiuſdem Temperantia.

INSCRIPTIO LXXXVIII.

Illa ego voluptatum moderatrix, Temperantia,
Huc adſum, luctu merſa peracerbo.
Menſuram, modumque lachrymis
In tanto Borromæi funere ne quæras.
Liceat ſemel Temperantiæ exceſſiſſe modum;
Eiuſmodi nempè doloris imitamentis
Ille cohoneſtandus,
Qui ſummam docuit fortunam ſibi imperare,
Naturam frangere, metiri commoda.
Planè Teſſerarium Borromæorum frænum
Auitam hanc eſſe virtutem, ac indolem docet:
At ipſe ingenio, & cultu ſuam fecit.

Ad Ioannis Baptiſtæ Marini tumulum.

INSCRIPTIO LXXXIX.

Ioannes Baptiſta Marinus Neapolitanus,
Muſarum genius, elegantiarum parens,
H. S. E.
Natura factus ad Lyram.
Hauſto è Permeſſi vnda volucri quodam igne poeſeos,
Grandiore ingenij vena efferbuit.
In vna Italica dialecto
Græcam, Latiam ad miraculum miſcuit Muſam.
Egregias priſcorum Poetarum animas
Expreſſit ipſe omnes:
Ipſum expreſſerit nemo, præter omnes.
Cecinit æqua laude ſacra, profana,
Diuiſo in bicipiti Parnaſso ingenio,
Vtroque eo vertice ſublimior.
Extorris diù Patria, rediit Parthenopem Siren peregrina,
Vt propior eſset Maroni Marinus.
Nunc laureato Cineri marmor hoc plaudit,
Vt accinit ad æternam citharam
Famæ concentus.

Mar-

Digitized by Google

Marco Antonio de Rubeis, Bituntinæ Inflammatorum Academiæ Principi iuſta perſoluit ſua ipſa Academia.

INSCRIPTIO LXXXX.

En tibi, Marce Antoni,
Medulla Suadæ,
Summa ingeniorum, ac breuis lux,
Iuſta perſoluimus.
Neque enim par erat, ab Inferijs feriari
Academiam Inflammatorum.
Parentat illa tibi, quæ tibi diù paruit,
Parenti, & Principi.
Ades igitur, Animæ Magne,
Dum laudes tuas hiſce in parentalibus recenſemus
Ad clepſydram lachrymarum.
Conclamat hic porrò a Conradinus tuus,
Ac duplici ſe elatum funere lamentatur,
Suo ipſius, & tuo.
Nec acerbior illi gladius Andegauenſis,
Quàm tua mors:
Quando tuo à ſyrmate, ac ſtylo
Redire in theatrum orbis rediuiuus poterat.
Tu ſapientiùs Orcheſtram Cælo commutaſti:
Idque celerrimè intra iuuentam,
Et breui gradu:
Nempè è ſummo Parnaſſi culmine ad Cælum
Breuis via eſt.

a Tragædiā Coradini ſcribebat.

Catellæ Tumulus.

INSCRIPTIO LXXXXI.

Lugete, Veneres, Charites, Cupidines.
Moroſina, Catellarum floſculus,
Amorum Calathus,
Pulchrá ad miraculum,
H. S. E.
Pallidula, frigidula.
O factum male.
Quam nuper vlnæ ad delicium,
Nunc vrna ad luctum tenet.
Dominæ viuens adblandita, occidens momordit;
Voluptas ſimul, & mœror.
Margarita Auſtria, Brancifortes, Buteræ Princeps,
Hocce ſuorum amorum cineri ſepulcro excitato,
Fudit ex oculis lacrumas, è ſinu flores.
Legiſti, Viator?
Et tu luge, & abi.

Iaſonis Lycij Canis Tumulus.

INSCRIPTIO LXXXXII.

Qui iacet hic Canis
Enectus mœrore, ac fame,
Inter heriles ipſos Manes viſus olim mori,
Illuſtre nactus fatum ad Domini vmbram.
Meruit honorem hunc tumuli hic Pirithous,
Qui Theſeum ſequi ſuum vel ad Inferos voluit.

Ter-

Terrere latratu Domini mortem nequijt,
Nempe ſurdam.
Hinc ne ſuperſtes illi foret,
Maluit poſthuma fide
Cuſtos eſse cinerum cinis,
Atque extincto parentare extinctus.
Digna cani eximia hæc Canis indoles.
Digna hoc cane Erigone, hic canis Erigone.
At tu, Viator, ne putes hac in vrna extinctum.
Habent Phœnicem ſuum Canes:
Viuit è Domini cinere, & ſuo.

Ad formicæ electro incluſæ tumulum.

INSCRIPTIO LXXXXIII.

Vt ſuperbiſſimè quieſcat cinis,
Mauſolea excitatis, Auguſti Reges.
Quid hunc veſtrarum luxum Pyramidum iactatis?
Formica hæc pretioſiùs tumulatur in gemma.
Scilicet, *eruditæ in vrnam Phaëtontiadum* lachrymæ,
Clarrant illam, an clarant?
Latent in tanto ſplendore molium veſtri Manes:
A ſepulchrali electro
Lucet in ſuo tumulo formica:
Diſpulit nempè vmbram nitor gemmæ.
Cæterū, haud potuit indefleta mori tenuis fera,
Quando decidens lacruma implicuit, ac merſit,
In fletu ipſo conſepultam.
Et quòd idem illi tumulus, & lacruma;
Nunquam huic cineri deerunt ſui fletus.
Ad tumulum alibi collachrymant:
Flet hic ipſe tumulus,
Et flebit ſemper.

Ad

Ad Vetardi cuiuſdam vinoſiſſimi Viri tumulum.

INSCRIPTIO LXXXXIV.

Qui numquam mero non caluit
Vetardus,
Frigidus tandem Cinis hic iacet.
Biberio Meroni collactaneus,
Diogeni conſanguineus,
Doliarem vitam ita egit,
Vt diceres, vixisse, vt biberet, bibisse, vt viueret:
Trientes, quincunces, heminæ
Gutta erant vaſto gutturi.
Sextarios ducere, vino mergi, non prolui,
Hoc illi ſolenne.
Exſiccasse flumina ingentes Xerſis copias, fama eſt:
Exſiccaſset hic vnus meri maria.
Viles illi amnes aurei, Pactolus, Tagus,
Quòd aquam euoluant.
Muſas oderat, fontium accolas:
Lætas aiebat ab aqua ſegetes:
Lætos à vino homines.
Reſtincta nunc vita, non ſiti,
Iacent hoc in tumulo ſicci Manes.
Da, quiſquis ades, bibulo adhuc cineri lacrumam,
Sed quam exſudant præla Veſuuij.

Ad

Ad Manſredi, mendaciſſimi Genethliaci tumulum.

INSCRIPTIO LXXXXV.

Clauditur exiguo hoc tumulo,
Qui contineri terris vix potuit.
Errabat Cælo,
Errantium ſiderum comes,
Statariorum conterraneus,
Saturni, Iouis, Veneris contubernalis ·
Quid docere ſolidi, veriq; Manfredum poterant,
Ficta hæc Numina, ac nomina?
Nulli non appingebat Horoſcopo opes;
Mendaciorum æquè ac diuitiarum prodigus.
Purpuras, Infulas ſi quis cuperet,
Aderant ſtatim Manfredi ſydera,
Fidemq; oppignorabant, quam mox fallerent.
Aſtris nentibus fila vitæ,
Nulli canitiem denegabat:
Cum plerique, fallente Lacheſi,
Manfredi Senio non conſeneſcerent.
Per iſthæc ſyderum mendacia
Exculpto auro, ſplendidè viuebat Tenebrio.
Ab aſtris nunc dilapſus in cinerem,
Iacet hic egregius Genethliacus:
Conticuitque ſyderum lingua,
Numquam in eius ore non mendax.

Aua-

Auari cuiuſdam tumulus.

INSCRIPTIO LXXXXVI.

Auarus hic, Hoſpes; clauditur.
Tumulo ſi fundas lacrumam,
Argenti guttam putans,
Vel extinctus extendet manum, vt rapiat.
Extra cinerem ſordidus, quid in cinere?
Scilicet, arentia ſitiunt aurum oſſa,
Calentque adhuc opum cupidine
Manes frigiduli.
Credite.
Hoc illi grata Mors;
Quòd infoſſus humi,
Propiùs accederet, vnde effodiuntur opes.
Nec horruit Inferos, vbi Ditis Regia.
Tu, Viator, pôſthumam, ac ſuperſtitem hanc caue
Auaritiam.
Si quid auri habes, abi.

Ad Iſtrionis tumulum.

INSCRIPTIO LXXXXVII.

Suetus Mimus hic fabulas in ſcenis agere;
Vitæ fabulam abſoluit roſciè extra ſcenam.
Abijt, illo obeunte, à theatris hilaritas,
Suoque immortua Iſtrioni, hic degit.

Non

Digitized by Google

Non lethum horruit lætitia.
Fortè ludit adhuc ſalibus argutus cinis,
Nactus in tumulo caueam.
Tu verò acrem ne timeas dentem,
Edentula nempè mors.

Ignaui Senis centum annorum Epitaphium.

INSCRIPTIO LXXXXVIII.

Neſcis, Viator, quis hoc degat in tumulo;
Centenarius Senex, an ſecularis ignauia?
Creditur hic vixiſse, quia mortuus:
Cæterùm, ſocordia potius in eo vixit, quàm ipſe;
Per ætatis gradus
Viſus, nunquam non ineptè de ſtatu mentis deſcendiſse;
Semper, creſcente æuo, puer, ac ſui minor.
Acceſserit licet Senium, ne putes conſenuiſse:
In cano, ac vano capite incanuit ſegnities.
Profundè verò Senex cùm fuerit,
Senior nihilominus in eo viſa ignauia:
Integrum quippe ſeculum æquauit annis;
Ignauia exceſſit.
Debebatur, Hoſpes, hic illi honor ſepulcri;
Ac meritò ſaxum ſtipitem tegit.

Aleatoris tumulus.

INSCRIPTIO LXXXXIX.

Hic qui iaceo,
Aleator fui verè perditus;

Quando nunquam non aliquid ludo perdidi.
In alea ita aſſiduus,
Vt nullum mihi effluxerit punctum temporis,
Niſi inter teſſerarum puncta.
Videbar vel per ſomnum ludere, ludente me ſomnio.
Quicquid mihi fortunarum fuit,
Aduerſa abſtulit fortuna per ludum,
Quid ageret ſeriò?
Iacturam ſignabam calculis,
Sic opes dilapidaui.
Quæſtus mihi nunquam,
Semper acerbiſſimi in ſortis malignitatem queſtus:
Hinc admordere teſſeras, dilacerare aleas,
Ceu fortunam ipſam diſcerperem,
Cùm admorderem inſtrumenta fortunæ.
Nunc, quando alius ſum, aleis abſtineo,
Vita, & ludo functus,
Non minimo in quæſtu pono,
Non amplius ludere, non ludi.

Ad lucernam Cleanthis.

INSCRIPTIO C.

Solis æmula Cleanthis lucerna hæc:
Poſtquam Athenas, ac Porticum illuminauit,
Inextincta adhuc lucet,
Curſuſq; agit inoffenſos per ora hominum:
Olim noctem diſpulit, Ille cùm lucubraret:
Diſſipat nunc temporum caliginem,
Verſaturq; Viri nomen
In luce mortalium, in ſinu lucis.
An oleum, ac operam,

In ſapientiæ palæſtra Cleanthes perdiderit;
Oſtendit liquidò hæc lucerna,
A qua ſimul inclaruit, ſimul incaluit illi ingenium;
Eaq; hinc affulſit lux menti,
Vt diceres, extitiſse à lucerna meridiem.
Hæc tibi, quiſquis es, còëmenda:
Venalis non auro, ſed labore eſt.
Nempè oportet,
Vt, ſi nitere ſpripta tua velis,
Scribere ad Cleanthis lucernam nitare.

EPI-

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM in Epiſtolis.

A.

ABrami Ortellij Coſmographia. fol.39.
Abſtinentia quàm ſalutaris. 150.
Academiæ Inflammatorum luctus de M. Antonij de Rubeis morte. 109.
Academia Mediolani inſtituitur. 209.
Academias quod dicendi genus deceat. 82.
Adoleſcentum indoles religioſo Inſtituto idonea. 28.
Albricius, Vetranæ Princeps honeſtatem in fœminis ſtylo tuetur. 49.
Aldobrandinorum horti deſcribuntur. 86.
Alexandri Card. Mõtalti funus omnium ſenſu excipitur: & eius partes. 9.
Alexander VII. ſalutatur Pontifex. 166. Eius partes. 167. De tumulo ſtatim cogitat. 168. Sueciæ Reginam quo cultu excipiat. 178. Cardinalium ab eo delectus laudatur: 265.
Alphonſus Neapol. Rex ſtudijs fauet. 18.
Andreæ Citini Cõmentaria de Vrbe Roma laudãtur. 274.
Annus Climatericus examinatur. 36.
Antiſtitum in domeſtico cultu ſplendor. 110.
Antoninus Diana laudatur. 76.
Aqua vino potior. 48.

Argutiæ,& acumina in dicendo. 152.& 253.& ſequ.
Aſtrologi vapulant. 37.
Auaritiæ ingenium; & auari mores. 23.
Aulæ decora, & ſcopuli. 245. & 249. & 211.

B.

BAianæ oræ maritimæ antiquitatis veſtigia. 246.& ſeq.
Baleares aſſueſcunt fundis à puero. 173.
Bombycum opus, ac labor deſcribitur. 273.
Bononię decora. 261.

C.

B. CAietani vita deſcripta à Thoma Caracciolo Archiepiſc. Taren. 203.
B. Caietani ſolennia Neapoli. 182.& Romæ. 183.
Caetani horti deſcribuntur. 98.& ſeq.
Capitolij Romani aula ab Equite Arpinate picta. 115.
Carolus Cardinalis Carafa euectus ad purpuram. 266.
Caroli Thomaſij C.R. Arbor vberrima. 181.
Chriſtinæ Sueciæ Reginæ Romam aduentus. 174. Eius mores, ingenium, ſtudia. ibid. & ſeq. Regnum abdicat. 176. Quo cultu Romæ excepta. 178.
Cicero res ſuas præclare geſtas ſcribi à Lucçio poſtulat. 224.
Cineris ſacri laudes, & ab eo lætitia. 213. Mortalium ſuperbiam frangit. 216.
Comitia Pontificia quàm arcana, & incerta. 164. Diuini Spiritus nutu adgubernantur. 165. Populorum in ijs ſtudia. ibid.
Commoda maiora à villis, quàm ab vrbibus. 159.
Coniux non vulgò dilaudanda. 4.
Coſmographiæ ſtudium perutile. 38.
Coſmographis quantum mortales debeant. 39.
Cultus ſacrorū Antiſtitū dignitati quā conſentaneus. 110.

Cu-

Curioſitas an laudabilis? 69. & ſequ.
Cyri virtus educationi debetur. 172.

D.

DEiparæ Montis Virginis effigies. 21.
Diuorum reliquiæ quàm præcioſæ. 40. Vnde ijs pretium. 41. In propulsandis infortunijs earum vis. 42.

E.

EDucatio formandæ indoli quàm idonea. 171.
Electio, an sors naſcendi in Principibus potior? 89.
Eloquentiæ palæſtra quàm difficilis. 105.
Eloquentia in concionatoribus varia. 151.

F.

FAmiliæ ſuę ſtudium in aliquibus quàm ridendũ. 238. & ſequ.
Florido dicendi genere in Academijs vtendum. 82.
Florum copia peregrinitas, varietas in hortis Caetanis. 96. & ſeq.
Fœminis nullum honeſtate præſtantius decus. 50.
Franciſci Carafæ Præp. Gen. funus, & virtus. 201. & ſequ.
Fratrum mutua beneuolentia. 210.
Funera conſanguineorum lachrymis proſequenda. 269.
Adhibendus tamen modus. 271.

G.

GEnius hominum in ſcribendo varius. 62. Ideò non omnia omnibus placent. ibid.
Græcæ linguæ ſtudium quàm vtile. 55.
Guido Cardinalis Bentiuolus ſua ſcribit. 223.
Gulæ damna. 150.

H.

HIeronymus Pignatellus Cler. Reg. pium opus curat in Inſula Ænaria. 141.

Digitized by Google

Hiſpania laudatur. 92. Caput Orbis. 93. & 59.
Hiſpaniarum Principis mors. 121. Vniuerſum Orbem tangit. 122.
Hiſpanorum potentia quàm ampla. 122.
Hiſpani S. Eucharaſtiam quo cultu Neapoli celebrēt. 125.
Hiſtoria à poeſi in quo diſcrepet. 147.
Hiſtoriarum ſcriptio quos habet ſcopulos. 113.
Hiſtorico licet ſua, ac ſuorum res ſcribere. 223. Quæ eius partes. ibid.
Honeſtas in fœminis maximè dilaudanda. 50.
Horologium deſcribitur. 56. Quid moneat. 58.
Horti Caietani deſcribuntur. 46.

I.

IAcobus Capycius Zurlus Carafam, & Conſtantium à venatione ad armorum laudem prouocat. 120.
Ieiunij laudes delibantur. 214. & 218.
Ioan. Baptiſta Marinus vita fungitur. 1. Ingenium, & Muſa. 2.
Ioannes Comes Borromæus Faticosorum Academiæ Princeps. 233. funus. 234.
Inarime inſula, & in ea thermę. 149. & ſequ.
Ingenia mortalium quàm varia. 118. Obtrectationibus obnoxia. 61.
Innocentij Pont. X. mors. 161. Deſcribitur funus. 162. Et eius indoles. ibi.
Ioſeppinus Cæſar Arpinas laudatur à pingendi arte. 115.
Italia laudatur. 59. & 92.
Iudicium Paridis. 91.
Iulius Cæſar de rebus ſuis Commentarios ſcribit. 223.
Iuſtus Lipſius agros laudat. 154. In illum epigrāma. 160.

L.

LAtinæ linguæ decora. 31.
Latrunculorum ludus laudatur, & deſcribitur. 80.
Lauretanæ Domus religio, ac opes. 206.

Le-

Leges bonæ, an bonus *Princeps* populorum felicitati opportunior. 136. & ſequ.
Libri haud facilè commodandi. 4. Quo ſtudio ſeruandi. ibid.
Linguæ Græcæ ſtudium laudatur. 55. Et Latinæ. 31.
Literæ Marianæ ad Meſsanenſes propugnantur. 259. Feſta de ijs dies, & ſolennia. 258.
Literarum ſtudia nobilium ornamenta. 18.& ſequ.
Ludi in Natalibus Hiſpaniarum Principis 193.& ſequ.
Ludus qui iucundior, ac honeſtior. 79.

M.

MArci Antonij de Rubeis funus. 108. Eius ingenium, ac eruditio. ibid. Cõradini tragædiam ſcribit. 109.
Manſuetudo in Principe commendatur. 145.
Marinus Caracciolus Abellinenſium Princeps dilaudatur. 19. Eius funus. 30.
Maris quàm atrox facies, ſi inſaniat. 13.
Maſtiches vis, & virtus deſcribitur. 52.
Maximus Eques egregius pictor. 114. Eius in Paulino templo pictura. ibid.
Mecænas, fugillatur, quòd ſepulcrum ſpreuerit 73.
Mediolanum laudatur. 207.
Meſsanæ Vrbis decora. 262.
Militia Religioſorum hominum deſcribitur. 27.
Monarchia, an Ariſtocratia potior. 65. & ſequ.
Mons Miſericordiæ quid in Ænaria Inſula pij operis nauet. 141.
Montis Virginis Cœnobium deſcribitur. 20. Deiparæ in eo Effigies. 21.
Monumenta literarum quàm facilè quiſque carpit, & cauſa. 61. & ſequ.
Mores in vrbibus poliuntur, non in agris. 156.
Mors in optimos interdum collimat. 64.
Mortis memoria regnandi artes docet. 168.

Natæ

N.

NAtalium quæ vis. 89. & ſequ.
Natales Principis Hiſpaniarum Neapoli celebrā-tur. 163. & ſequ.
Natura quę balnearia in Inſula Inarimes morboſis expoſuit. 140.
Neapolis deſcribitur. 241. In ea turbæ. 127. & ſequ. Et peſtis. 186.
Neronis indoles educatione miteſcit. 172.
Nicolai Charpy elogium dilaudatur. 142.

O.

OPtimatum, an vnius regimen populis regendis aptius? 65. & ſequ.
Orator ineptus deſcribitur. 84.
Occaſio arripienda. 7.

P.

PAnormi vrbis laudes. 248.
D. Pauli templum Neapoli ornatiſſimum. 113. Pictus ab Equite Maximo fornix. ibid.
Paulus Card. Aretius in diuinorum cultu accuratiſſimus. 112.
Paulus Pont. IV. à nitore diuini cultus laudatur. 111. Aurea Cæsarum numiſmata diffingi iubet ornandæ S. Euchariſtiæ. 112.
Peregrinatio quid afferat commodi? 33.
Peſtis Neapoli graſſatur, & deſcribitur. 186.
Philippi Hiſpaniarum Regis Quarti in filij funere conſtantia. 123.
Philoſophiæ deliramenta. 43. A ſacra Theologia reuocata ad frugem. 44.
Pici Mirandulani in perdiſcenda Hebraica lingua velocitas. 55.
Placidi Carafæ C.R. dictionis flos delibatur. 85.
Poeſeos cultus alius ab Hiſtoria. 147.

Poetarum natio vinoſa. 47.
Princeps bonus, an bonæ leges publicæ rei opportuniores? 136. & ſequ.
Princeps Deo ſimilis, māſuetudine imitari illū debet. 145.
Principes ſtudijs nobiles. 18.
Principes naſci, an eligi melius? 89.
Prodigia in varijs Orbis partibus viſa ann. MDCLX. 225.
Pſittacus deſcribitur. 189.

R.

Regiminis forma quæ melior? 165. & ſequ.
Religioſam diſciplinam ſemel complexus, pergat, neceſse eſt. 11. In hac ſchola virtutum ſenſim res agitur. 12. ſua habet animi laxamenta. ibid.
Religioſi viri ex omni hominum gradu. 10.
Religioſorum mores, atque inſtituta deſcribuntur. 27.
Reliquię Sanctorum in pretio habendæ. 40. Iure exornantur. 42.
Remiſſio animi quā ſtudioſis viris neceſsaria. 255. & ſeq.
Robertus Neapol. Rex fouet ſtudia literarum. 18.
Rodulphus Cæſar S. Euchariſtiam pedes comitatur. 135.
Romanæ Vrbis laudes. 274. & 140. Eius rudera mortalibus documento. 64. Eius clades à tempore. 185.

S.

Scriptio imago animi. 73.
Scrupuli dirè diſcruciant pectora. 45. A malis interdum genijs, & quare? 46. Remedia ibid.
Septenarius numerus an aliquam vim habeat? 36.
Sericum quā pecitur induſtria. 270. Quam varium. 273.
Sermones de *Purgatorio* igne ab Auctore dono dantur. 199.
Seueritas in Principe laudāda magis, quàm comitas. 144.
Sigiſmundo Thaddæo ferias Domini-Natalitias Auctor apprecatur. 51. Grecæ linguæ dat is pperam. 54.
Simia deſcribitur. 189.

Simon

Simon Raus Episcopus Pactenſis à carminis elegantia laudatur. 220.
Spartana educatio. 172.
Studia in vrbibus perficiuntur, non in villis. 155.
Superbia mortalium cineris memoria atteritur. 216.
Sydera aucta à Teleſcopio. 77.

T.

TAbaccum vapulat. 5. Commune mortalium præſidiū, & lues. 6. Eius vſui vrnulæ, ſudariola. 7.
Teleſcopium deſcribitur. 77. Ab eo commoda. ibi.
Temporis fuga, & ſtrages. 51.
Theologiæ laus. 44. Philoſophiam inſtruit. ibid.
Thermæ in Inſula Ænaria. 140. & ſequ.
Theſes publicas propugnare adoleſcentibus quàm periculoſum. 15.
Thomas Caracciolus Archiepiſc. Tarent. à ſacrorum cultu laudatur. 110.
Tumultus Neapolitani deſcribuntur. 127. & ſequ.
Turcarum immanitas in mari. 141.
Tuſculani Aldobrandinorum horti. 86.

V.

VEnatio quàm oblectet, & quàm noceat. 73.
Venetiarum Vrbs deſcribitur. 34.
Verbanus lacus deſcribitur. 230. & ſequ.
Veſuuius mons ardet. 227. Deſcribitur ab eo clades. 25.
Villæ præferendæ, an vrbes?
Vincentius Caracciolus Præpoſ. Gener. laudatur. 134.
Vincislai Regis Boemiæ in S. Euchariſtiam pietas. 126.
Vinum à Poetis dilaudatur. 48. Non euulgandum. 4.
Virgines non compellendæ ad religioſam diſciplinam capeſſendam. 266.
Virtus eſt, quæ perennat. 52. Illi comparandæ quæ proſint? 171.

Vita

Digitized by Google

Vita breuis in feliciſſimis computanda. 52.
Vitæ laudes. 102. Sine literis vitæ nomen vix meretur. 103.
Voluptas maior à villis, quàm ab vrbibus. 157. & seq.
Vrbani Pont.VIII. funus. 98. Delibantur laudes. 99.
Vrbes præferendæ, an arua. 154.

X.

Xiphiæ piſcatus in Meſsanenſi freto. 263.

Digitized by Google

INDEX

EPIGRAMMATVM

Prior numerus Centuriam, ſecundus deſignat Epigramma.

A.

ACcipiter. Cent. 3. epigr. 89.
Æneas ab incendio dilabitur. 2. 34.
Æneidem comburi iubet Maro. 2. 35.
Æſchylus teſtudinis caſu moritur. 2. 55.
Ætas hominum quæ gratior. 3. 17.
Ætatum gradus Romani Imperij. 2. 13.
D. Agnes nuda exponitur ſpectantium oculis. 1. 41.
Alapa Chriſto Domino infligitur. 1. 14.
Alexandri Pontif. VII. Theatrum. 3. 2. 3. De eius morbo allatus Panormum nuntius. 3. 42.
Alexander Macedo Iliadem ſupponit capiti dormiens. 2. 6. Eius ad Achillis tumulum verba. 2. 72.
Alphonſi Neapolitani Regis dictum de mole vitrea. 2. 1.
Amoris blanditiæ fugiendæ. 3. 39.
Ancus Hoſtilius Romanorum Rex Quartus. 2. 18.
Andreæ Piſcaræ Caſtaldi Præp. Gen. Sexti effigies. 2. 66.
Angelus Piſtachius Præpoſitus Gener. XVIII. 2. 78.
Angelus Tutelaris. 1. 81.
Anienis fluminis lapſus. 3. 43.

Annibal venenum ſorbet. 2. 8.
Antonius Solitarius auriculam ſibi amputat, ne cogere-
tur Epiſcopatum acceptare. 1.49.
Aper. 3. 67.
Apes, eorumque Reſp. ingenium, mores. 3. 100. In D.
Ambroſij ore mellificant. 1.34. Ædiculam conſtruunt.
S.Euchariſtiæ. 1. 35. Et pyxidem. 36. In Leonis ore
mella condunt. 37.
D. Apollonia in rogũ inſilit. 1.99. Euelluntur illi dentes. 59.
Aquę potus improbatur. 3.51.
Aquila. 3.79. Diſcerptum D.Stanislai corpus tuetur. 1.32.
Arion Delphino vectus. 3. 30.
Armeniaca. 3. 93.
Artemiſia Mauſoli cineres bibit. 2.42.
Aſellus deſcribitur. 3. 61.
D. Athanaſius in puteo deliteſcit. 1. 30. Et in ſepulcro Pa-
tris. 31.
Auarus timidus. 3. 38.
Auguſtinus Bozomus Pręposſ. Gener. XVII. 2. 77.
Auguſtini Fauoriti Propēpticon ad Card.Chiſium. 4.41.

B.

D. BArbara Patris manu obtruncatur. 1. 50.
D. Bartholomæo detrahitur pellis. 1. 22.
D. Bernardus dæmonem cogit adſtare cum lychno. 1. 40.
Marianum lac ſugit. 51.
Blanditiæ amoris fugiendę, 3. 39.
Bonifacius Alliardus Præpoſ. Gener. XV. 2. 75.
Bonifacij Tomacelli Cler.Regul. tumulus. 3. 44.
Bos laudatur. 3. 62.
D. Brunonis ſilentium. 1. 73.

C.

CÆcitas laudatur. 2. 54.
B. Caietanus clade Borbonica torquetur. 1.69. In fe-
ſta eius luce nullus moritur in Neapolitana lue. 97.

b 2   Eius

Eius Neapoli ſimulacrum. 98.
Canis indoles. 3.65.
Carolus Quintus Regna abdicat. 2. 2.
Catella in fonte mergitur. 3. 40.
D.Catharinæ ceruix lacte manat. 1. 78.
Cato ſtatuas reſpuit. 2. 26.
Catonis Vticenſis effigies. 2. 12.
Ceraſa. 2. 90.
Ceruus inter cornua Crucifixum oſtēdit D.Placido.1.87.
Chriſtina Alexandra Sueciæ Regina Chriſtianam religionem complectitur. 3. 1.
Chriſtophorus Columbus noui Orbis repertor. 3. 37.
Chriſtus Dominus pro Crucifixoribus orat in cruce.1. 2. Eius in horto ſudor.1.1. Ioannem Matris filium conſtituit 3. Matrem Ioanni commendat.4. Latronem Paradiſo donat.5. Animam commendat Patri. 6. Se derelictum in cruce conqueritur. 7. in Cruce ſitis 8. Conſumatū eſt.9.De eius ſepulcro. 11.12.13. Infligitur illi alapa.14.ad Columnā vapulat. 15. Trāsfiguratur. 16.17. Ad eius in Ægyptum aduentum corruunt Deorum ſimulacra. 23.
Chryſopœus. 3. 149.
Cicada ad Eunomij lyram. 3. 98.
Ciconia. 2. 87.
Ciuium virtus vrbes nobilitat. 3. 13.
Cleanthes hortos noctu irrigat. 2. 83.
Cleopatræ cœna. 2. 44.
Clœlia Romana Porſennam fallit. 2. 23.
Columba. 2. 90.
Columbæ literas deferunt in Mutinenſi obſidione. 2. 29.
D.Columbam tuetur vrſa. 1. 52.
Cometam infauſtum ſydus. 3. 57.fauſtum. 58. Neque fauſtum, neque infauſtum.59.
Coturnix. 3.94.
Craſsus aurum ſitiens.2. 28.
Craſsus murenæ parentat. 2. 39.

Crathis paſtor capellam amat. 3. 38.
Cucumer. 2. 100.
Culex deſcribitur. 3. 99.
Currus ſub muſca. 2. 48.
Curtius ſe ſe dat præcipitem in voraginem. 2. 25.
Cycnus. 3. 82.
Cyri caput in ſanguinem mergitur. 2.41.

D.

Dauid, furente Saule, citharam pulſat. 1.72.
Delphinus Puteolanū puerū amat. 3.29. Arionē ve-(hit.30.
Demetrius Rhodijs parcit ob Protogenis tabulā. 2.45.
Democriti riſus. 2. 85.
Deorum ſimulacra corruunt in Egypto ad infantis Dei aduentum. 1. 24.
Didymus cum Theodora certat de morte obeunda. 1.70. Sua arma Theodoræ cedit. 69.
Diogenis dolium. 2. 84.
Dionyſius Corinthi. 2. 38.
Dionyſius Areopagita obtrūcatū caput manu geſtat. 1. 39.
Domitianus muſcas figit. 2. 32.

E.

Eclypſis ſolis in Chriſti morte. 1. 26.
Elephantis ingenium. 3.70.
Elias in Cœlum rapitur curru igneo. 1. 44.
Eliſæus Nardinus Præpoſ.Gen. 1 1. 2. 62.
Empedocles in Ætnam inſilit. 2. 82.
Equus deſcribitur. 3. 60.
S. Euchariſtiæ templum apes conſtruunt. 1.35. Et pyxidem. 36. Vincislai Regis in illam religio. 38.

F.

Fabius Romanus dum lac bibit, à pilo ſuffocatur. 2.31.
Felis. 3. 73.
Ficus. 2. 86.

Ficus

Ficus fructus ſuos decerpendos tradit Deiparæ, dum in Ægyptum fugit. 1. 23.
Fórmicæ ingenium. 3. 77.
Fortunatiſſimis mortalium nihil ſolidi. 3. 11.
Forum boarium. 3. 4.
Fraga. 2. 92.
Franciſcus Caraſa Præpoſ.Gener. XVI. 2.76.
Franciſcus Olympius Salutationem angelicã recitat cum puero Ieſu 1. 96.
D. Franciſci Stigmata. 1. 42.
D. Franciſcæ Romanæ tutelaris angelus. 1. 80.

G.

Gallus. 3. 91.
Glis. 3. 75.
Gregorius Caraſa Præpoſ.Gener.XII. 2.72.
Grues. 3. 86.
D. Guilielmus grauis armis exactam vitam luget. 1. 60.

H.

Helena inepti pictoris. 2. 52.
B. Henricus Suſo Ieſu nomen inſculpit pectore. 1.54.
Heracliti lachrymæ. 2.85.
D. Hilarion Abbas mori timet. 1. 45.
Hippolyti Falcone laudatur liber, cui titulus: Narciso al fonte. 3. 6. De eius Panegyrico in laudẽ D.Pauli. 3.26.
Homeri Ilias ſub Alaxandri Macedonis puluinari. 2.6.
Horatius Cocles ad pontem ſublicium. 2. 22.
Horologium dono datum. 3. 21. & 22.
Hyrundo. 3. 88.
Hyſtrix. 3. 76.

I.

D. Iacobus pœnitens in tumulo. 1. 58.
Imperij Romani ætatum gradus. 2. 14.
Indæ Coniuges in mariti rogum inſiliunt. 3. 35.

Ic.

Io. Antonij Angriſani Præp. Gen. IV. effigies. 2. 64.
D. Io. Baptiſta ab infantia eremi cultor. 1. 25.
Io. Baptiſta Milanus Præp. Gen. 1. 2. 61.
Ioannis Comitis Borromæi mortem deflet Verbanus Lacus. 3. 45.
D. Ioanni Chryſoſtomo ſcribenti adſtat D. Paulus. 1. 57.
D. Ioanni Eleemoſynario palatiū in Cælo conſtruitur. 1. 55.
Ioannes Gonzaga Præpos. Gen. XIII. 2. 73.
Ioannis Scorcouilli Præpoſ. Gener. 3. tumulus. 2. 63.
Ionas fugiens. 1. 75.
B. Iordanus pauperem baltheo donat. 1. 53.
Ioſeph Patriarcha Dominam ludit. 1. 73.
Ioſeph Maria Marauiglia Præp. Gen. XIX. 2. 79.
Ioſue ſolem ſiſtit. 1. 77.
Iſabellæ N. parentalia. 3. 46.
Iuditha Olophernem obtruncat. 1. 95.

L.

D. Lazarus pictor de Theophilo Iconoclaſta victor. 1. 56.
D. Leo Attilæ occurrit. 1. 29.
Leo rectorem ſuum dilacerat. 3. 36.
Leonis robur. 3. 68.
Leporis vires, fuga. 3. 71.
Liber, cui titulus: Pugna ſpiritualis. 3. 15.
Liber de Venatione dono mittitur. 3. 14.
Lilia Marianæ puritati comparata. 1. 20.
Linguam in fœminæ faciē expuit inſignis Martyr. 1. 43.
Literæ Marianæ ad Meſſanenſes. 1. 93.
D. Lucas Deiparæ Imaginem pingit. 1. 81.
D. Luciæ eruuntur oculi. 1. 100.
Lucretia N. honeſtatem tuetur morte. 3. 47.
Lupa Romulum alit. 2. 15.
Lupus 3. 64.
Luſcinia in ore Steſicori. 3. 31.
Luſcinia deſcribitur. 3. 83. Eadem in Cauea. 84.
D. Lyduuina tuendæ Virginitati formam deprecatur. 1. 63.

Ma-

M.

MAchabæi fratres torquentur dirè. 1.85.
Machabæorum Mater hortatur filios. 1.83. Cruciatur ipſa. 86.
Mala. 2. 95.
Mala Citrea 2. 98.
Mala Punica. 2. 96.
Malum Coroneum. 2. 97.
Manlius Torquatus cum Gallo pugnat. 2. 27.
Marcellinus Oda. Præpoſ.Gen.V. 2. 65.
D. Marcius Catena illigatus in antro degit. 1. 47.
Matthæus Sanctomangus Præpoſ.Gen.X.2.70.
Mediolanenſis Vrbis templum maximum. 1. 92.
Microſcopium. 3. 27.
Milo Crotoniates à feris diſcerpitur. 2. 59.
Mora. 2. 94.
Mulier perſonata. 3. 16.
Mulier Romana præ gaudio moritur. 2. 58.
Mulierum fucus. 3. 17.
Murena amatur à Craſſo. 2. 30.
Muris ingenium. 3. 74.
Mus ducentis nummis venijt. 2. 9.
D. Muſa Virgo à Deipara inſtruitur. 1. 46.
Muſæ in Pyrrhi acathe. 2. 49.
Muſcæ à Domitiano Cæſare confodiuntur. 2. 32.
Muti ſilentium laudatur. 2. 56.
Mutius Scœuola manum mulctat. 2. 24.

N.

NAtales Hiſpaniarũ Principis poſt fratris funera.2.53.
Nauale bellum cum Turcis. 2. 52.
Nauis ſub apiculæ alis. 2. 47.
Neronis Quinquennium. 2. 81.
Niobe inter filiorum funera. 2. 50.
Niues in monte Exquilino. 1. 18.

Niuis in vino vſus laudatur. 2. 53.
Noctua. 3. 97.
Numa Pompilius. 2. 16.

O.

ONuphrius Amphora Præpoſ.Gen. XI. 2. 71.
Oues. 3. 63.

P.

PAlma victũ Paulo Eremitarũ Principi miniſtrat. 1.71.
Pantheræ artes. 3. 69.
Parrhaſius de picturæ principatu cum Zeuxi certat. 2.46.
Pater immaturam filij mortem deflet. 3. 48.
Paulo Eremitarum Principi palma victum præbet. 1.71.
D.Paulus vipera impetitur, & reijcit. 1. 28.
Paulus Pont.IV. excipit Oratores Anglos, quo die coronatur. 2. 60.
Pauo deſcribitur. 3. 81.
Pax ex connubio Gallorum Regis cum Auſtriaca. 2.4.
Pecuniæ vis. 3. 15.
D.Pelagia viri habitu. 1. 68.
Pepo. 2. 99.
Perdix. 3. 95.
Perſica 2. 91.
D.Petrus ad galli cantum ſibi reſtituitur. 1. 27. Eius vincula. 48.
D.Petri Cathedra in mole ærea collocatur. 1.88.
Pharao in mare mergitur. 2. 56.
Philœmon à nimio riſu moritur. 2. 57.
B. Philippus Benitius ſitientibus aquam, eſurientibus panem impetrat. 1. 90. Fugit, ne Pontifex eligeretur. 91.
Philippi II. Hiſpaniarum Regis tumulus. 2. 3.
Philippus Maria Guadagnius Præp.Gen. VIII. 2.68.
Philoſophi Roma eijciuntur. 2. 33.
Phœnix deſcribitur. 3. 80.
Pica loquax, & aurifur. 3. 93.

Digitized by Google

D.Placidus inter cerui cornua Crucifixum videt. 1. 87.
Portia Romana carbones ſorbet. 2. 39.
Princeps ſit blandè ſeuerus. 3. 71.
Pruna. 2. 88.
Pſittacus. 3. 85.
Pugnam nobiſcum ineundam. 3. 12.
Pyra. 2. 89.
Pyrrhus Epirotarum Rex tegula perimitur. 2. 15.

Q.

QVintus Fabius Maximus cunctando reſtituit rem. 2. 10.

R.

ROmulus Vrbis Conditor. 2. 16. A lupa alitur. 15.
Roſa D.Virgini comparata. 1. 19.

S.

D. SCholaſtica in Cælum euolat columbæ ſpecie. 1. 76.
Semiramis incompta Babylonem ſubigit. 2. 43.
Septem Dormientes. 1. 66.
Sepulcrum Chriſti Domini. 1. 11. 1. 12. 2. 13.
Sermonetæ Dux laudatur. 3. 5. & 6.
Seruus Tullius Romanorum Rex VI. 2. 20.
Seuerinus Boetius librum ſcribit de conſolatione philoſophiæ. 1. 67.
Silentium muti laudatur. 3. 56.
Simeon Salus deſipit. 1. 65.
Simia. 3. 78.
Solis eclypſis in Chriſti morte. 1. 26.
Sophocles vuæ acino præfocatur. 2. 56.
Speculum deſcribitur. 3. 18.
Spurina ſuos vultus fauciat. 3. 27.
D Stanislaus ab aquila cuſtoditur. 1. 32. A Boleslao diſcerpitur. 33.
Stephanus Medices Præpoſ. Gen. IX. 2. 69.

Ste.

Steſicori in ore luſcinia. 3. 31.
Sturnus. 3. 96.
Surditas laudatur. 3. 55.
Suſanna Senes repellit. 1. 94.

T.

TAbaccum deſcribitur. 2. 50.
Tarquinius Priſcus Romanorum Rex V. 2. 19.
Tarquinius Superbus Romanorum Rex. VII. 2. 21.
Teleſcopium. 3. 19.
Terpander cithara Spartam componit. 3. 32.
Theatrum Alexandri Pont. VII. 3. 2. & 3.
D. Theodora Virgo mentita militem è Lupanari egreditur. 1. 69. Cum Didymo de morte certat. 70.
Timotheus cithara ad bellum excitat Alexandrum. 3. 33.
Tomyris Cyri caput in ſanguinem mergit. 2. 41.
Tullus Hoſtilius Romanorum Rex III. 2. 17.
Turris Babylonica ædificatur. 1. 79.
Turtur. 3. 92.
Tutelaris Angelus D. Franciſcæ Romanæ. 1. 80.

V.

VErbanus Lacus in funere Ioannis Comitis Borromæi. 3. 45.
Veſuuius erumpens. 3. 34.
D. Victoria è tecto ſe dat præcipitem tuendæ virginitati. 1. 61.
Vincentius Caracciolus Præp. Gen. XIV. 2. 74.
Vincentius Gilibertus Præp. Gener. VII. 2. 67.
Vincislai Regis in S. Euchariſtiam obſequium. 1. 38.
Vini potus improbatur. 3. 52.
Vir nobilis à pingendi arte dilaudatus. 2. 51.
Virgilius Maro comburi Æneidem iubet. 2. 35.
D. Virgo Maria iuxta crucem. 1. 10. De eius niuibus in Colle Exquilino. 18. De eius Puritate. 19. 20. 21.
Virtus ciuium, non moles vrbes nobilitat. 3. 13.
Virtutem mortalium vitam extendere. 3. 8.

c 2 Vir-

Digitized by Google

Virtus labore comparatur. 3. 9.
Virtutis labori annexa voluptas. 3. 10.
Vua 2. 87.
D.Vuinalocius oculum ſorori mirè reſtituit. 1. 64.
Vulpes. 3. 72.

Z.

ZAleucus oculi iactura tuetur leges. 2. 37.
Zenobia triumphata, & triumphatrix. 2. 40.
Zeuxis cum Parrhaſio de picturæ principatu certat. 2. 46.
Zopyrus Babylonem Dario ſubdit. 2. 36.

INDEX

Digitized by Google

INDEX INSCRIPTIONVM.

A.

ABſalon è quercu pendens. Inſcript. 43.
Adæ tumulus. 72.
Aleatoris tumulus. 99.
Annibalis Carthaginenſis effigies. 60.
Anſaldus Pallauicinus ſimulacrum D. Petro cōſecrat. 30.
Armamentarium. 49.
Auari tumulus. 96.

B.

BEllifarij effigies. 65.
Bellum Actiacum 62.
Bibliothecæ inſcriptio. 48

C.

B. CAietani ſimulacrum. 33.
Calamus D. Thomæ Aquinatis. 26.
Catellæ tumulus. 91.
Cleanthis Lucerna. 100.
Cornelij Taciti effigies. 58.
Crucifixi Redemptoris imago. 2.

D.

DEipara ſine labe concepta. 4.5.6.7.8. Eius puritas.
Didonis Icon. 63.
Diogenis Cynici tumulus. 83.

Elias

E.

Elias curru vectus igneo. 40.
Epiſtola Mariana Meſſanenſium. 9.
S. Euchariſtiæ ſacellum. 31.
Euæ tumulus. 73.

F.

Fons in foro Neapolitano. 68.
Formicæ electro incluſæ tumulus. 93.
V. Franciſci Olympij elogium. 41.

G.

Galliæ delineatio. 53.
Gambacurtæ Limatulæ Ducis ædes. 69.
Germania deſcribitur. 54.

H.

Herculis ſtatua. 70.
D. Hieronymi Icon. 34.
Hiſpaniæ deſcriptio. 52.
Horologium, in quo præſident tempus, & mors. 45.
Horrea publica. 50.
Horti viri principis. 47.

I.

Ianuarij Caput in Sedili Neapolitano. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Eiuſdem columna, & ſimulacrum. 32.
Iaſonis Lycij canis tumulus. 92.
Ioannis Comitis Borromæi funus. 86. 87. 88.
D. Ioannis Baptiſtæ, abſciſſa ceruice, mors. 25.
Io. Baptiſtæ Marini tumulus. 89.
Iſtrionis tumulus. 97.
Italia deſcribitur. 51.

L.

Lucretię Romanæ effigies. 64.

M.

Manfredi mendaciſſimi Genethliaci tumulus. 95.
Marci Antonij de Rubeis funus. 90.
Marci Tullij Ciceronis pro roſtris caput. 61.
D. Maria Magdalena in ſpecu Maſſilienſi. 35.

Ma-

Digitized by Google

Marini Caraccioli Abellinenſium Principis funus. 82.
D. Mauri ara. 36. 37.
Microſcopium. 46.

N.

Neapolis deſcribitur. 56.
Neapolitana Ciuitas D. Ianuario ſimulacrum dicat. 32. Et B. Caietano. 33.

O.

Oratoris inſignis tumulus. 82.

P.

D. Pauli Apoſtoli Conuerſio. 24.
Pauli Toloſæ Cl.R. Archiep. Theat. tumulus. 85.
Petri, & Pauli feſta dies. 23.
D. Petri ſimulacrum Genuæ. 29.
Philippi IV Catholici Regis Parentalia. 74. 75. 76. & ſequ.
Principis Hiſpaniarum Natales. 39.
Puritas D. Virginis. 10. 11. 12. 23.

R.

Romæ Commentaria ab Andrea Cirino Cl. Reg. 75.
D. Roſalia Virgo Panormitana. 28.
Roſarium Marianum. 3.

S.

Saul malo genio exagitatus. 44.
Senecæ ſimulacrum. 57.
Senis ignaui epitaphium. 98.
Siciliæ Icon. 55.
Simeon Stylita ſupra columnam. 38.
S. Sindonis effigies. 1.
Sueciæ Reginæ aduentus Romam. 66.
Suſanna in pomario. 41.

T.

D. Thomæ Aquinatis calamus. 26.

V.

Verardi vinoſiſſimi viri tumulus. 94.
Virgilij Maronis Icon. 59.
D. Virgo à Copacauana. 14.
Vitalianus Comes Borromæus inauguratur Princeps Faticoſorum Academiæ. 67.

Grauiora quæ irrepſere menda, hic habes: leuiora tu, Lector beneuole, corrige.

			Errata	Corrige
Epiſt.	11.pag.	26. verſ.21.	prodere	prodire.
Epiſt.	28.pag.	83. verſ. 1.	verſari	verſare
Epiſt.	41.pag.	96. verſ.18.	collati	collocati.
Epiſt.	56.pag.	137. verſ.21.	ſeucres	ſecures
Epiſt.	80.pag.	208. verſ.32.	Maratho	Marathon.
Epiſt.	93.pag.	266. verſ. 2.	lenocinâtur	lenocinatur
Epigram.	11.pag.	27.	foruice	fornice.
Epigram.	27.pag.	54.	inſtructus	inſtructos
Epigram.	26.pag.	110.	ſuam	ſuum.
Epigram.	78.pag.	34.in titulo	ſanguine	lacte.
Inſcript.	38.verſ.	2.	erepta	erecta.
Inſcript.	66.verſ.	5.	Succiea	Suecica.
Inſcript.	73.verſ.	19.	augues	angues.
Inſcript.	100.ver.	penul.	ſpripto	ſcripto.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google